BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBROS OCTO

VETERI NOVAQUE LECTIONUM VARIETATE,

COMMENTARIIS, EXCURSIBUS, TESTIMONIIS,

ARGONAUTARUM CATALOGO, INDICE NOMINUM RERUM ET VERBORUM UNIVERSO INSTRUCTOS AC DILIGENTER RECENSITOS

EDIDIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN PRIUS

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINAE PROFESSOR

MDCCCXXIV

PRÆMONITIO

NOVI EDITORIS

AD LECTOREM BENEVOLUM.

S. P. D.

Quum novam hanc C. Valerii Flacci editionem meditarer, omniaque ad eam recte et fideliter conficiendam necessaria de more compararem, ecce fama attulit novum hujus poetæ commentarium crescere sub calamo viri cl. Caussin, ex Academia Inscriptt. et Liberalium Artium, qui jampridem Apollonii Rhodii Argonautica in gallicum sermonem feliciter transtulit (1). Neminem explorando Valerio aptiorem noveram, quam elegantissimæ hujus versionis auctorem, cujus prosa vere aurea et carminibus suaviter consona toties audientium animos rapuit, quum in regio Franciæ Collegio celeberrimi amicissimique professoris diligens vicarius, hanc unam olim ad con-

(1) *L'Expédition des Argonautes, ou la Conquête de la Toison d'or, poème traduit du grec par* J. J. A. Caussin, *professeur d'Arabe au Collège de France. Paris,* 1802, in-8.

ferenda cum Apollonio Maronis carmina recitarem (1). Proinde quum Valerii Flacci Argonautica non novis tantum typis, sed curis etiam novis auctum illustratumque publici juris facere destinarem, statim virum hunc doctrina pariter et ingenii dotibus commendabilem adii precaturus, si forte in partem laborum meorum venire, eximiasque notas, maximum hujus editionis incrementum, edere dignaretur; neque verendum putavi, ne, quum peritus idem sit Arabicæ linguæ professor et in diversa studia omnino distractus, hunc Pharsaliæ versum (lib. III, 247), mihi roganti male feriata succineret invidia:

Ignotum vobis, *Arabes*, venistis in *orbem*.

Nam utriusque illius *orbis Argonautici* nullam non regionem, vel Græcam, vel Latinam, lustratam atque perspectam habet.

Sed plurimus labor corporisque valetudo infirma, quum ipse bona voluntate nos prosequeretur, impedimento fuere, ne longum susciperet opus, cui imparem modestia tantum sua eum faciebat. Qua spe dejectus, nolui tamen lectores tantis opibus omnino defraudari, doctissimumque professorem rogavi, ut notas, quas omnes gallice scripserat, mecum communicare vellet. Eas igitur quum mihi pro comitate sua et bene-

(1) Vid. pag. 633, volum. VII, nostræ editionis Virgilianæ, ubi per transitum, anni et argumenta harum lectionum indicantur.

volentia tradiderit, in latinum sermonem, quantum potui, accuratissime transtuli; quas, lector optime, post unumquemque librum sepositas invenies. Quasdam quoque notas meo penu depromptas adjeci, quando ipsa res, aut sæpius hujus editionis convenientia et usitata ratio id postulare videbantur: unde profecto timendum mihi est, ne in opere eleganti et affabre perpolito manus mea rudis et minus leporum perita sæpiuscule deprehendatur.

Cl. Wagnerum, cujus integrum commentarium assumpsi, ducem in textu edendo sequutus sum, exceptis tamen aliquot locis, quæ ex conjectura jam et ipse mutaverat; ibique ego aut restitui vulgatam lectionem, aut protuli novam, prout alterutram codices optimi firmabant. Et quidem summa patientia miraque sagacitate Manuscriptos, antea non satis fideliter inspectos, et principes editiones ipsissimis oculis vir cl. Caussin revisit, perlegitque; unde Variantes Lectiones nullidum memoratas eruit. Has omnes infra textui subjectas lineis integris videre est. Qui vero MSS et quæ edd. ad eas lectiones conficiendas fuerint adhibitæ, si paucis edisseratur, operæ pretium fore arbitror.

Manuscripti duo sunt, olim ab Italia in ultimis bellis Lutetiam advecti; nuper autem, Ludovico XVIII pacem, justitiam et fidem secum reducente, veteribus dominis restituti. Prior Vaticanus, omnium antiquissimus, ex quo omnes defluxisse pu-

tat Politianus, et quem Pius vocat *codicem venerandæ et exosculandæ antiquitatis* (1); in-4: signatur num. 3277. Hunc in manibus habuerat Heinsius, quum Romæ versaretur, optimasque lectiones inde selegerat; sed opere amisso, collationem a se ipso factam ei commodavit Lucas Langermannus. Quum autem vir cl. CAUSSIN animadvertisset Manuscriptum nonnunquam male citari, multaque omissa, quæ lucem afferre videbantur, ipse singulari cura, vigilantissimaque attentione totum codicem recognoscebat, quum pæne consummatum opus abrumpere coactus fuit, Vaticanum codicem alteri cedere a summo Præside (2) Institutionis publicæ jussus. Facto intervallo, prodiit Valerius, edente feliciter Adolpho *Dureau Delamalle*, cum variis lectionibus, tum ex aliis, tum e Vaticano codice excerptis. Hanc collationem quum diligenter expendisset vir cl. *Caussin*, nec satis accurate factam suo judicio comperisset, Vaticani codicis copia hoc demum tempore rursus sibi facta, intermissum opus ad finem perduxit.

Alter MS, qui pariter ex integro collatus est, quindecimo sæculo videtur exaratus, minutis literis; et habet in fronte: *iste liber est monasterii*

(1) Sæculo IX videtur exaratus; immo et longius recurrendum est, si fides adhibeatur huic notæ, in fronte codicis appositæ, quæ quidem ad initium sæculi XVIII referenda videtur: *Valerio Flacco di scrittura di mille anni; libro conservatissimo in pergam.*

(2) *M. Fourcroy, Conseiller d'État.*

Sancti Salvatoris Bononiensis, signatus in inventario sub num. 327.

Editiones, e quibus variæ lectiones nunc proferuntur, paucis exponam; quum fusius disseratur in Catalogo edd. infra, pag. cc.

1° Editio princeps, Bononiæ impressa, anno 1474, in-fol. Lectiones insunt aliquot optimæ, plures vero malæ; mendis præterea scatet innumeris, quarum magnam partem sustulit Sabellicus in Observatt. Quam editionem spectavisset, unde emendationes petiisset Sabellicus, nemo, nec Heinsius, nec Burmannus, cognovit; ac prior invenit vir cl. Caussin Sabellicum in Observatt. editionem principem ob oculos habuisse, et emendationes e sua minerva deprompsisse: nunc ergo primum sciet lector, quod omnes antea commentatores fefellit, ingeniosas quidem Sabellici lectiones nulla tamen auctoritate valere. Editionis principis exemplar habemus in Bibliotheca Regia, olim a Neapoli asportatum, quum regnum illud invasisset Ludovicus XII.

2° Bononiensis altera, anni 1498, in-fol. Emendationes Sabellici, aliæque plures, quas jubebant MSS, in textu recognoscendo adhibitæ sunt.

3° Veneta, anni 1501, passim priscis interpp. laudata; sed minimi usus fuit.

4° Juntinæ duæ, an. 1503 et 1517, quarum alteram a priori repetitam asserit abbas *de Saint-Léger*. De posteriori tantum hic mentio fiet.

5° Bononiensis, cum commentario Jo. Bapt.

Pii, an. 1519; de qua vide infra Burmanni præf. II, pag. CXLIII sq.

6° Editio Maserii, Parisiis, an. 1519; vide inf. Burmanni præf. II, p. CXXXIV sqq.

7° Veneta, anni 1523, in-8, impressa in ædibus Aldi et Andreæ Asulani; de qua infra pag. CLVI.

8° Phil. Engentini editio, Argentorati, 1525, repetita per Sim. Colinæum, Parisiis, 1532, et per Sebast. Gryphium, Lugduni, 1545.

9° Plantiniana Ludov. Carrionis, Antwerpiæ, 1565, in-8; vide infra p. CLXI.

De MSS quos non adhibuimus, pauca dicere non supervacuum erit. Præcipui sunt;

REGIUS, ut vocat Heinsius; vide infra p. XCV.

Duo Vaticani codices, qui vocantur Heinsio *secundus Vaticanus* et *tertius Vaticanus*.

Erfurtanus, quem citat in Periculis Criticis Piccartus: hunc codicem non amplius reperiri in bibliothecis Erfurtanis docet Harlesius.

Burmanni codex.

Coki codex.

Monacensis, cujus copia facta est viro cl. Adolpho *Dureau Delamalle*.

Illi omnes manuscripti, manifesto recentiores, a Vaticano codice derivati sunt, vel potius a codice manu Pomponii Læti castigato, quem Pius cum vetustis exemplaribus adeo non confusum, ait esse *lima Pomponii Læti, industrii ac perfacundi professoris, elimatum*. Proinde pro conjecturis

habendæ sunt emendationes quæ in istis codicibus occurrunt.

Juvat nunc præcipuæ scripturæ compendia, quibus et Manuscripti et editiones in var. lect. designantur, ob oculos ponere et brevi quadam tabula explicare.

Ald.	id est,	editio Aldina,	an. 1523.
Bonon. cod.	—	Bononiensis codex.	
Bonon. I.	—	Bonon. edit. princeps,	1474.
Bonon. II.	—	Bononiensis altera,	1498.
Carr.	—	Editio Lud. Carrionis,	1565.
Engent.	—	Editio Phil. Engentini,	1525.
Engent. et fil.	—	Engentini editio et filiæ,	
		id est, Colinæi,	1532.
		et Gryphii,	1545.
Junt.	—	Juntina,	1517.
Mas.	—	Maserii editio,	1519.
Pius.	—	Bonon. cum notis Pii,	1519.
Vat. cod.	—	Vaticanus codex.	
Ven.	—	Veneta editio,	1515.
Ed.	—	Editor novus,	1824.

Quum plures jam interpretes, de Valerio Flacco optime meriti, multa super ejus carmine disquisiverint, et acutissimas aut aliqua parte singulares inchoaverint disputationes, plurima collegi, quæ cognitione dignissima textui præmitterentur. Quare statim prodeunt, non una Valerii vita, dedicationes quum stricto, tum soluto sermone, expeditionis Argonauticæ historia, deni-

que præfationes, quas inter, P. Burmanni secunda principalem locum obtinet, etc.

Nunc superest, ut iterum grates publice agam viro cl. Caussin, quod me doctrinæ suæ luminibus tam benigne, tam magnifice adjuverit, prædicemque me illi debere, quidquid in hac nova editione conspicuum, quidquid Doctorum judicio comprobatum videatur: utque suum cuique rependam, veniat in præcipuam laudis partem, si quam merui, Theodorus Dufayel, inter insignes Scholæ Normalis alumnos notissimus, quem ego tanta studiorum librorumque *concurrentium* (Valer. lib. I, 59; lib. IV, 562) multitudine ac varietate districtus, dirigendæ huic Argonauticæ expeditioni per Cyaneos Critices et Typographiæ scopulos, non Symplegadibus faciliores, præfectum volui: ille primum nostræ naviculæ gubernaculo confisus, remos deinde suos expediit, velaque expandit propria, ut ad portum perduceret; cujus aditum tu, lector benevole, nobis longa navigatione defessis utinam non claudas, et Colchorum rege mitior, vellus aureum ultro concedas; cujus quidem rapiendi neque nobis animus, neque spes, neque vis unquam fuit.

Vive et vale,

N. E. LEMAIRE.

PRÆFATIO
NOVI EDITORIS
IN
CAIUM VALERIUM FLACCUM.

Caius Valerius Flaccus Balbus Setinus (1) floruit Romæ, regnante Vespasiano, cui suum poema nuncupavit, paulo post captam a Tito Hierosolymam, circa A. C. LXX, ad quod facinus alludit, I, 12 sqq. Videtur ex Argonauticon initio, Valerium unum e Quindecimviris fuisse, quorum munus erat servare et consulere libros Sibyllinos, quibus sua fata contineri omnino Romani putabant. Patriam autem Valerii, ut magni Livii, et Stellæ

(1) Hoc est integrum Valerii nomen, quod reperitur in pretioso Vaticani codice, initio libri tertii. Codicis hoc loco primum, nomen auctoris occurrit: carent enim titulo primus ac secundus liber; in titulo libri quarti deest auctoris nomen; libris V, VII, VIII, præfixum est nomen *Caii Valerii Flacci Setini*; initio libri sexti legiur, *Caius Valerius Flaccu, Setinus Balbus*; sed hæc nomina, *Setinus Balbus*, mihi videntur esse pro *Balbus Setinus* imprudenter scripta: 1° quod cognomen a regione ductum solet esse ultimum; 2° quod titulus libro tertio præfixus, literis majoribus rubro colore exaratus, quum elegantia scripturæ diligentiorem librarii curam profiteatur, quam cæteri tituli majusculis horridis ac incomptis scripti, sincerior ac fide dignior esse mihi videtur; 3° quod, quum librarius in titulis librorum V, VII, VIII, unum cognomen omitteret, *Setini* cognomen retinuit: hoc autem ultimi proprium est cognominis, rarius omitti, immo sæpe, ad auctorem designandum, solum adhiberi; Vid. Titi Lucretii Cari patria, genus, auctore Lambino.

vatis, Patavium fuisse conjicitur e duobus Martialis epigrammatibus, I, 60 et 77, in quibus eum *Flacci* nomine designari vulgata opinio est. Si res ita est, cognomen *Setini*, ductum ab urbe Setia, hodie *Sezza*, in Latio sita, potest indicare eum in hac urbe diu commoratum esse, vel civem adoptatum ab ea fuisse.

Nonnulla alia de Valerio docerent Martialis Epigrammata, si certum esset eum unum semper *Flacci* nomine in iis designari.

Martialis, I, 77, hortatur Flaccum ut omissa poesi tamquam minus lucrosa, ad forum se convertat; quod quidem consilium afferri Valerio non potuit, nisi quum poeticam artem primum tentaret. Docent alia Martialis loca Flaccum elegantioris vitæ fuisse, pretiosis divitum toreumatibus, Ægyptioque servo utentem, cui nomen erat Amazonico, pulchritudo eximia, omnesque deliciæ, quas apud hoc puerorum genus magni faciebant Romani (IV, epigr. 41). Præterea videtur villam ei fuisse Baiis, quo Martialis eum esset aditurus (XI, epigr. 80). Colligitur ex alio Martialis loco (IX, 91), Flaccum peregrinantem Cypri, eleganter ac delicate ibi vixisse. Denique Valerii Flacci Quindecimviratus, splendida inprimis dignitas, et ipsa per se, et ampliorum honorum spe, ad quos sæpe gradus fuit, firmissimum argumentum est, Nostrum de re familiari satis bene constitutum fuisse.

Valerius Flaccus amicum habuit Martialem, ac, ut credibile est, Stellam, Martialis amicum, et Valerii coætaneum atque collegam in Quindecimviratu (Stat. Silv. I, 2, 176). Flacci et Stellæ nomina conjunctim occurrunt in epigrammate 56, IX, ubi Martialis de eo se

excusat, quod eis munera non mittat. Uterque et in convivio septem amicorum, quod alias describit Martialis, X, 48, nominatur.

Plura de Flacco Martialis habet; sed ad eumdem hominem spectare, et eum esse Nostrum, non bene compertum est. Quare, ne falsa pro veris narrem, Valerii Flacci vitæ nihil addam, deterritus eo, quod Martialis, in tot ad Flaccum epigrammatibus, ne obiter quidem innuit poema, quo maxime apud posteros commendatur hodie Valerius (1).

(1) De vita Valerii pauca dixi, quod pigebat referre quidqnid varii auctores non exploratum asseruere. Nominis similitudine inducti quidam tradiderunt eum a Valerio Publicola, reipublicæ romanæ conditorum uno, genus duxisse. Pius, in C. V. Flacci vita, cujus est auctor, ratns, se vidisse in quodam numismate effigiem Valerii cnm prætoris titnlo, non injncundam hujus auctoris imaginem diligenter et curiose delineavit, quam sedulo expressit Adolphus *Dureau De Lamalle*, *Discours prélim.* p. 31; sed istud quod Pius describit (vide modo p. XIV), sive hæc Pii temporum, sive ipsins fuit imperitia, siue dubio consulare est nnmisma, nostro poeta multo antiquius. Pluribus et præclaris viris nomen fuit Caius Valerius Flaccus; vid. Cæs. de Bello Gall. I, 47; T. Liv. XXVII, 8; Val. Max. III, 2; Cic. orat. pro Publio Quintio, § 28, nbi nominatur C. Valerius Flaccus consul cum M. Hereonio Nepote, anno Urbis conditæ DCLX. Vide quoque Romanas familias, auctore *Jean-Foy Vaillant.*

Quintilianus et Martialis, soli inter Veteres, Valerii Flacci meminerunt. Occurrit apud Plinium juniorem, V, 4, epistola Flacco inscripta, in qua gratias agit Plinius pro turdorum dono; sed qnis sit ille Flaccus non magis, quam apud Martialem, constat. Juvenalis aliquid habet de *vellere aureo*, ac de *Hyla*, Sat. I, v. 10 et 163, tanquam de argumento sæpe tractato et trito; sed neque quemquam auctorem nominat, nec utique certum, Nostrum præcipue designari, qunm plures Argonautica scripserint, qnorum celeberrimus fnit Varro, cujus carmen ad nos non perveuit, quamvis immortalitatem ei promiserit Ovidius, Amor. I, 15,

Obiit autem, regnante Domitiano, paulo ante quam de Institutione Oratoria duodecim libros perfecisset, vel edidisset Quintilianus; cujus opus, in quo Valerii tanquam nuper exstincti luctuosa mentio celebratur (X, 1, 90), quum ad finem regni Domitiani, circa annum æræ vulgaris XCV vel XCVI (1), in lucem prodierit, satis aperte ac definite quo tempore Noster obierit, declarat.

Quintilianus, l. l. sic suffragatur Valerio: *Multum in Valerio Flacco nuper amisimus.* Amplum certe et grave testimonium, necnon obsequii suspicione carens, quippe quod auctori mortuo vir tanti judicii tribuit in propatulo (2).

21: « Varronem primamque ratem quæ nesciat ætas, Aureaque Æsonio terga petita duci? » Jamdudum dixerat Virgilius, Georg. III, 6: « cui non dictus Hylas puer? »

(1) Vid. Dodwell. Annal. Quintil. Sect. XXI, nostr. editionis, vol. VII, pag. 261 sq.

(2) Vid. vol. IV, pag. 74, Quintil. nostr. edit. et Præfationes infra relatas Nicol. Heinsii XCIV, et Pet. Burmanni, p. CII sq. et CXVIII sq.

C. VALERII FLACCI

VITA,

AUCTORE PIO,

AD INTEGERRIMUM ULYXEM MUSOTUM,

PATRONUM CAUSARUM BONONIENSEM.

VALERII FLACCI Argonautarum doctissimi vatis, judicio Fabii Quintiliani, omnium ingeniorum censoris, obitu præpropero et immaturo, latina res plurimum amisit. Sunt qui Patavinum vel Aponensem velint, his epigrammatici poetæ persuasi verbis, Mart. lib. I, epigr. 77:

O mihi curarum pretium non vile mearum,
  Flacce, Antenorei spes et alumne laris,
Pierios differ cantusque chorosque sororum :
  Æs dabit ex istis nulla puella tibi.....
Quid tibi cum Cyrrha? quid cum Permesside nuda?
  Romanum propius, divitiusque forum est.
Illic æra sonant : at circum pulpita nostra,
  Et steriles cathedras, basia sola crepant.

Hi nihilo secius altero Valerii Martialis allecti epigrammate, cujus principium hoc est, IV, 41,

Si quis forte mihi possit præstare roganti,
  Audi quem puerum, Flacce, rogare velim;

(venereis pollentem illecebris pullum milvinum describit) Amazonicum in deliciis habuisse contendunt. Alii priscorum exemplarium titulo persuasi, a Setia urbe Campaniæ, Seti-

num dicunt: quæ eodem nunc quoque nomine censetur: vino nobilitata generoso, haud procul Velitris.

Ego vero magnam elegantissimo poetæ conflatam injuriam ferre non possum, qui quum romanus civis sit, capite deminuitur, et in municipia falso transcribitur, quod fato quodam secundo, dum ista meditarer, in oppido Ruscinone senex indigena, oblato pervetusto numismate, exploratissime ostendit. C. Val. Flacci juvenis et prætoris erat effigies, ut ex titulo demonstrabatur, capillo subcrispo, oris filo ingenuo ac virginali, adspectu vegeto, non citra modestiæ notam. Humeri habiles, et quadrati: cervix torosula, succulenta; non pinguis. Pectus non improbum, nec ostentationis, ut Plinius ait, pectorosæ, ut consilii et modestiæ, ita continentis alacritatis index. Singula perpendentes commodùm exclamavimus ego et Romulus Amasæus, musarum Pancratiastes insignis, quem Platonicum cycnum familiariter dicere soleo, vir utraque lingua doctissimus, inter musarum duces primi subsellii professor, si leporem, sales, eruditionem, ac eloquentiam excutias, in te uno in causarum patrociniis longe primario, politicis moribus, cognitione legum non vulgari, nec protrita fide, ac sanctitate morum prope Socratica, ut in viva, ac spiranti imagine, pervideri. Te namque, vir præstantissime, consensus patriæ peculiari cognomento patronum veritatis appellat. Tibi corporis insignis ac quidam senatorius decor. Tibi forensium ducum antesignano, longe suppetit labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, in tuendis clientibus singularis et præstabilis fides, rarum in hoc artificio bonum. Et quis ambigit Valeriorum Flaccorum familiam fuisse Romanam? quam a Sabinis venisse Fabius innuit apud quem ex Valesiis factos esse Valerios legimus. In quibus L. Valerius Flaccus Catonis senioris amicus connumeratur, qui eum ex Tusculis in urbem Romam vocavit, et instruxit, ut Plutarchus docet. Idem consul, auctore Livio, libro quarto de bello

Macedonico, cum suo reptitio, novoque cive Catone circa Mediolanum, cum Gallis Insubribus et Boiis, collatis signis dimicavit, in quo bello decem hostium millia ceciderunt. Quumque, ut refert idem Livius, lex Oppia de abrogando mundo muliebri ventilaretur, contra collegam suum Catonem Flaccus obtinuit (frustra retinente Catone, et probra in mulierem, ut animal indomitum, jaciente) ne quid matronis fraudis et ignominiæ statueretur. Sub Levino militavit adversus Annibalem. Frustra conarer, et supra rem facerem, si Flaccorum Valeriorum percelebrem familiam, casso atque inani labore, posteritati commendarem. Satis constat eum, qui primus Flaccus sit dictus, flaccidis, hoc est, languidis ac dependentibus fuisse auribus : multis etenim corporis vitia indidere cognomen, ut Scaurorum, Vaciarum, Labeonum, et id genus sexcenta. Prætura ergo perhonorifice defunctus est, in qua, vel cælesti favore, vel industria peculiari, annonam uberem expertus est; quod numisma superius advocatum testatur, in quo ex adverso Cereris imago visitur capite coronato, in cujus dextra spica prægnans aspicitur, quæ laxitatis annonariæ indicium esse solet. Decemvirum Sibyllinum sunt qui credunt fuisse C. Flaccum; hisque versiculis testatissimum volunt, qui positi sunt apud eumdem libro primo, vs. 5, in hæc verba :

> Phœbe, mone, si Cymææ mihi conscia vatis
> Stat casta cortina domo, si laurea digna
> Fronte viret.

Quid vero super hac re sentiamus, in commentariis nostris expressimus. Non valuit Flaccus, novercante fortuna, fato raptus acerbo, et dis iniquissimis exemptus humanis, operi cœpto supremam manum imponere, nec octavum quoque perficere potuit. Cujus conatus egregios mirati simul, et miserati Latinos, qui fontem Latium, unde aquam ad hos potus hauriant, non habent, in publicam studiosorum utilitatem ex Apollonio Rhodio, integram historiam

in decem libros minute digessimus. Appendiculas autem nostras non sine venia legent, qui non vires, sed animum metientur. Feci quod mulus atticus: tam generoso labori quum me imparem cernerem, laboraturis ducatum et exemplum præbui, et aquaturis ad fontem digitum intendi. Orpheum jam latine loquentem addidi, ut expeditionis Argonauticæ cognitio veniret absolutior, quem non semel imitatus est poeta noster, sæpe tamen, non ut vulgus semper putat, Apollonium, quod nostris in Flaccum commentariis ostendimus. Character ac stylus auctoris pressus est, doctus, acutus, canorus, elatus inprimis calore ac entheo furore tonans, ardens, bellicosus: raro sedatior. Sed jam finis sit. Spero lectores non fore Œdipodas, aut Abderitanæ pectora plebis habituros. Vale.

PETRUS CRINITUS

LIB. IV DE POET. LAT. CAP. 66.

C. Val. Setinus Flaccus inter eos, qui Heroica decantarunt, poeta multorum judicio admirandus. Patavinus fuit juxta Aponum natus, ut a Veteribus proditum est. Qui ejus patriam scribunt fuisse maxime insignem natalibus Livii, Stellæ et Valerii Flacci. Itaque hunc ipsum Valerium Martialis *laris Antenorei alumnum* appellavit: alii Setinum crediderunt, ex Setia Campaniæ urbe, quæ haud procul a Velitris fuit. Unde magno in pretio Setina vina habita sunt, ut ab antiquis scriptoribus relatum est. Et mirum videri debet, quanto spiritu Flaccus insurgat, quantaque ingenii felicitate in scribendo carmine præstet. Hic est ille Valerius Flaccus, in cujus obitu multum fuisse amissum queritur Fab. Quint. in libris ad Marcell. Victorium. Exstant ipsius octo volumina de Argonauticis: quod opus Cæs. Domitiani dicatum est a Flacco: vel, ut alii volunt, patri Vespasiano, quoniam sic ad eum in ipsa præfat. operis scribit, vs. 10:

Eripe me populis, et habenti nubila terræ,
Sancte pater! veterumque fave veneranda canenti
Facta virum: versam proles tua pandet Idumen,
Namque potest, Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, et in omni turre furentem.

Scripturus erat multo plures libros, nisi mors intempestiva eum nobis eripuisset. Videtur autem in illis, qui supersunt, Apollonium Rhodium non argumento tantum operis expressisse, sed et singulis quandoque carminibus. Atacinus quoque Varro pari titulo de Argonauticis libros composuit,

quod alibi notavimus. Idem Flaccus habuit inter amicos Secundum, Maternum, Stellam et Val. Martialem qui ad eum scribit, ejusque eruditionem magnopere extollit. Constat hunc mediocri censu ac pene tenui fuisse, et prædium possedisse exiguum, in quo, ut Martialis refert, Musarum curas reponeret. Itaque Martialis libere ipsum monet, ut relictis Musis atque otio, malit in foro et causis agendis versari, quoniam Poetarum studia parvi admodum censerentur, ut his versibus patet:

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes et alumne laris,
Pierios differ cantusque chorosque sororum:
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.....
Quid tibi cum Cyrrha? quid cum Permesside nuda?
Romanum propius divitiusque forum est.
Illic æra sonant, etc.

Puerum Flaccus habuit in deliciis, quem Amazonicum quidem appellant: ejus autem formam, atque indolem, venustatem, eleganti epigrammate Val. Martialis prosequitur. De alio autem Flacco, qui epigrammata scripsit, suo loco diximus.

PRÆFATIO
EDITIONIS JUNTINÆ.

BENEDICTUS PHILOLOGUS FLORENTINUS

BERNARDO MICHELOTTIO

CANONICO FLORENTINO S.

Maximum fuisse studium scientiæ acquirendæ majoribus, nullus est qui nesciat. Pythagoras Samius Ægyptum et Persarum Magos adiit, ut stellarum cursus et siderum motus cognosceret. Inde egressus, in Cretam ac Spartam enavigans, eorum leges et mores inspexit: demum in ea Italiæ parte, quæ Magna Græcia dicebatur, consedit, ubi ad extremum vitæ consummatam philosophiam illustravit. Apollonius, sive ille Magnus, sive Philosophus, discendi, visendique studio accensus, opulentissima Indiæ regna peragravit, ut Iarcham in aureo throno sedentem, de natura, ac cursu siderum audiret docentem. Transeo Platonem, Aristotelem, Anaxagoram, Democritum, aliosque innumerabiles Philosophos, qui scientiæ cupidi totum orbem quam ardentissime perlustrarunt. Inter quos tibi, Bernarde Michelotti, Cæsarei juris et Pontificii consultissimo, et græce et latine impense erudito, tuæ erunt præmia laudis. Nec indulgeo amori in te meo, nec tuo judicio blandior: nota cunctis et testata loquar. Sextum ab hinc annum, nobilissimas Europæ atque Asiæ urbes, omnisque nostri maris insulas, peninsulasque studio indefesso penetrasti, ut Atticam eloquentiam, et omnes pene Græcorum libros, in quibus eruditio ampla et recondita contineretur, a barba-

rica compede revocares, revocatique Florentiam, ad tuam et studiosorum utilitatem deportarentur, quibus rebus quantum excellas, literatorum est judicium, qui ubique locorum, ubique gentium te illum prædicant, quem græcæ et romanæ literæ instauratorem sibi pollicerentur. At quoniam verba non suppetunt animo, laudare pro meritis, ingenium, literas, eloquentiam tuam non conabor, Timantem imitatus, ut quod penicillo exprimere non possum, saltem velo contegam. Percurro hæc cursim, non adulandi causa (quum non tam solidam, tam veram laudem vanæ prædicationes, quam sua cuique recte facta conciliant), sed alios ad eadem studia incitandi, ac tuum cum Valerio Flacco studium profitendi. Quod mihi hortamentum sane fuit et incitabulum, ut tibi nuncupatim inscriberem hoc Valerii opus, varium, luculentum, elegans, nec in ludis trivialibus protritum, nostra modo opera excussum. Qui liber antea majoribus, ct pluribus, non dico mendis, sed portentis ac monstris scatebat, quibus tollendis unus Hercules satis fuit, *Bartholomæus Fontius,* varia linguarum literatura munitus atque instructus, cui ingens gratia habenda est, quum in adolescentia in eo corrigendo plurimum laboraverit: modo enim saniori per ætatem consilio, doctissima interpretatione hunc candidissimum poetam ab injuria audacis inscitiæ vindicavit: salebrosa levigans, obscura illustrans, maculosa emaculans, quam elegantem et eruditam interpretationem, una cum aliis cjus lucubratissimis opibus, publicare jam accincti sumus, quare, σπουδαῖοι ἀπαξάπαντες ὀρχεῖσθε, καὶ σκιρτᾶτε, καὶ χορεύετε, postquam nitida Flacci datur ora tueri, ac veras voces audire. Cæterum Valerium Flaccum, mi Michelotti, donec majora tibi, ac fortasse meliora emancipabimus, veluti proludium aliquod amoris nostri, læta rogamus fronte excipias, magnam in eo voluptatem, multam rerum doctrinam deprehensurus. Vale, Benedictumque, tuæ doctrinæ studiosum, perinde ac soles, ama.

PETRI BARGETANI

IN HUJUSCE OPERIS RECOGNITIONIS LAUDEM

EPIGRAMMA.

Palladis, et magnæ quondam Junonis alumnos,
  Ausa per immensum ducere prima salum,
Torpueram multos Argo cariosa per annos,
  Contempta, heu! passim muneris arte mei.
Fontius, et geminæ Benedictus gloria linguæ,
  Verus Apollinea Phœbus uterque lyra,
Afflati pariter divino Palladis igne,
  In veterem laceram restituere locum.
Quo Tiphy, malo et velis reparata secundis,
  Æterna vivam laude per ora virum:
Et qui flammifero duce me succedet Olympo,
  Castalios releget qui periere sales.
Fontius in Tiphym, specula Benedictus ab alta,
  Perpetui fient in tua vota duces.
Cura Michelotti de me suscepta parentis,
  Præstabit docto pectore Tyndaridas.

PRÆFATIO

ÆGID. MASERII IN ARGONAUT.

ÆGIDIUS MASERIUS PARRHISIENSIS

JACOBO DE MOLENDINO,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI EXIMIO, SAL.

Inter nautas paucos admodum reperies, Theologe insignis, quos Tiphys navarchos volens instituat; quum summa, nec ea inventu facilis, disquiratur industria, prudensque consilium in eo, penes quem deligendæ carinæ summa est, et regendæ imperium. Si enim annosa fuerit ratis, rimulis fatiscens, trabibus contexta cariosis, et picatis negligenter, aut perperam cohærentibus, præsideatque imperitus magister, cui venti ventorumque stationes non sint exploratæ, qui lunæ cornua orbemque, arctos, et sidera noctu non consulat, solisque radios æquales, maculas, pallorem, aut igniculos splendicantes interdiu non speculeretur, avesque, pisces, et quæ ad cursum non parum faciunt minutissima pertinaciter negligat, nihil præter extremum discrimen in mari exspectatur. Quum vero illius (cujusmodi es), dextera succedit, qui navem instruit pulcherrime, peropportune solvit, ventis vela sedulo explicat, gnarus vitare maria prominentibus saxis et latentibus vadosa, non nescius quam frequens, et multa in mari Siculo Gallicoque profunditas, si non jucunda, saltem tutior est navigatio : multoque commendatior navita creditur, si perquam sæviente procella, solutisque austris et torve debacchantibus, cornua obvertere, complicare carbasa, et secundo destitutus zephyro palmas

rapere, incumbere remis, celocemque vado hærentem conto tantisper impellere jubeat, dum vis ventorum contraria pedetentim se contrahat, elangueatque tempestas, flaccescat nimborum violentia, stratique æquoris malacia optanti redeat. Quique, si persistat hiems horrida, proram contraferens, malum confringens et rudentes, nilque quod artis fuerit obliviscatur, moneat, soletur, promittat, clavumque rectissimum constanter retinens, sacram fessis ostentet anchoram, nec frigore torpescens metu fractos excitet, et, invitis fluctibus, cursum prudenter varians, ad conclamatum sæpius portum reducat; quotum a primo putabis? Atqui tales phœnice (ut aiunt) rariores videmus; quum plerique alii sint, qui aut dexterum Lunæ circulum Agamemnonis exemplo observant; aut cum segnibus comperendinantes, post serenam se belliorem sperare prædicant, cursumque ignaviter detrectantes optimam numquam causantur, licet nullam in Aulide moram prænuntiet futuram, nec ad Capharea naufragium portendat.

Horum sententiæ si meum calculum addere contigisset, aureum vellus (absit a verbo tumoris opinio) inter densas luci Martii umbras nunc quoque occultatum maneret. Sed quid ad me? inquies, Mæcenatum maxime: quid remis rudibus cum theologia? Quid Neptuno cum Christo? quid quatuor regionum ventis, remigibusque cum quatuor Evangelistis, doctoribus; angelis ad nocendum terræ et mari nutu divino emissis, fluviisque e voluptatis loco manantibus, quæ quaternarius complectitur numerus? Nonne quod cum fidibus (ut dicitur) graculo? aut cum amaracino sui? Vale cum tuo (subjunges) lenunculo: Anticyrasque, helleborum perquam abunde mansurus, si salutis cura est, quam citissime poteris (nam mora dispendium affert) adnaviga; qui præter sapientissimi Catonis institutum me undis advocas, et salsuginoso sermone invitas, quem prius oratione potabili diluere, et liquore fluviali edulcare debuisti. Cur tenellas juvenum (quibus impero) manus insuetis tonsis

gravare tentas? putas insuper me arma theorica negotialibus mutaturum? Proram alio reflecte: qui a natatilium consortio alienus Delphinum doces natationem, Cretensemque adsciscis discipulum, te longe artis nauticæ peritiorem: quippe suberibus, phellisque, et scirpis adjutus, plumbo gravior, cancrina jactans brachia, celerrimam inter fluctus et rectissimam aperte mentiris jaculationem, solusque audes Asalaminius, et supra modum temerarius ad ipsum Phasim Scythicum, non tam profanis, quam sacris horridum, unica dissutili scapha palmulis tenuique carbaso contenta, tamquam firma et compte adornata navarchide complures transferendos suscipere. In quo parum honoris, plurimum calumniæ es pariturus. Et quum (ut inquit Satirographus) *furor est post omnia perdere Naulum;* quid Nauclerum agis, post Naulum amissum et omnia, te perditurus? circumspice, quæ plurima sunt ubique terrarum navalia. Num Naupegus trabes dolaverit aliquas. Num Naubates fuerit vel cursum meditatus. Dicet quidem pro arbitratu, quod suadebit prolubium. Dicent alii compluria, quos sola movet cordis virulentia. Novit ipse deus ventorum frenator, calcatorque æquoris, quæ causa transfretationis fuerit, et quis trajicientis animus. Fateor tamen, ingenue fateor, inter Theologos non pœnitende, quæ subinde proponis transgressum diu cohibuisse. Non enim me latebat, quanta sunt invidiæ spicula: quo turbine male doctorum calami in pias mentes vibrantur: quam gravia sunt trilinguium missilia, qui moleste laturi Valerianum pelagus nostra occupatum corbita, piratarum more celerius opinione fors advolabunt: quibus post primam facile fuerit navem fabricare, et velis et quadrigis persequi. Ejusmodi homines (si qui sunt) certum erat mihi hoc in mari natantes conspicere, prius quam undis me crederem. Cæterum adfuit, utinam feliciter, tuus meusque non artis proletariæ Ascensius; homo ad unguem factus; et (ut cum Valerio concinam) « Qui maris insidias, claræ qui sidera noctis Norit, et e clausis quem destinet Æolus

antris; Non metuat cui regna ratis, cui tradere cælum Assidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto ». Adfuit, inquam, rostrumque, puppem, et latus utrumque, contos, funes, carbasa, anchoram et cætera id genus navis instrumenta, quæ peramice tunc explicueram, sedulo perscrutatus, verbis calcar adjecit, et quamvis sæpiuscule renitentem, qui lente gradi super terram pedibus assolebam, non solum cum Iphiclo Argo currere, sed etiam conscendere Pegasum, et cum Bellerophonte Dædaloque insuctum per iter volare compulit; Acessæos dictitans nimis quam sera exspectare Phœbes cornua: « Sat firmam jam stare ratem, remisque superbam Poscere quos veheret, rebusque in sæcula ferret ». His itaque stimulatus, et habenas laxare, dare vela ventis, alta secare maria, inviumque prius undarum tramitem aperire monitus, quos agis, ductor optime, oppido quam expedita volui juvare celoce, fortiorem inde et instructiorem (si dabitur) deducturus. Interim leviores tonsulas agitabimus. Si naufragium (quod Deus avertat) faciamus, is es, qui probe nosti, quo sit excipiendus hospitio, qui primus intactum mare conto experitur, et remis sollicitat, primamque carinam producens, a Malea tabulam cum vestibus refert vel semilaceram. Scio, et plerique omnes, mentem cum fortuna te non vertere solitum: quem vellem hac in re ducem cunctis proferri. Non esset, dubio procul, tam densa hominum silva, unde arbores ingratæ legerentur supra Chaonias loquaculæ, illudque extra cortinam non effutirent; sic mutuo susurrantes colloquio: Qua dignus venia, etiam si semel atque iterum lubricum nactus, concretam longo tempore glaciem proscindere, et permeabiles tractus facere moliaris; tuncque, lapsabundus, risu dignum de te præbeas spectaculum? sperasne aliam, quam ab ingrato Xerxe gratiam? Succlamabunt præterea ad ravim ex ludicro sumptum Virgiliano, *non bene ripæ creditur;* et indefessi advocabunt: *Ecquis nam ludus in undis?* Objicient alii parvitatem velorum, et trabium tenuitatem.

Ingentis profecto Æneæ corpus Charontis umbratica navis suscepit; gemens quidem, nec tamen oneri concedens. Vela autem, quibus inter navigandum utimur, sane quam parva sunt, sed plena. Futura aliorum facile majora conjicio, si latius fimbrias diducent alieno auctas additamento; sed quæ serius quam mendici peram aura adventitia Æolus impleat. Tu vero, si a prora ad puppim omnia juste conspexeris, nonnihil forte discernes, quod ingressum persuadeat, et cursum vitæ compendiosum inter numerosas mundi procellas adjuvet. Velis enim remisque omnibus jugiter innitimur, quo celerius accedamus, unde agnus missus est aureo vellere insignis. Illic supremi est meta laboris, et certa requies, quæ quum in omnibus quæritur, se solum delectis ibi patitur videri; nec cor quiescere, priusquam eo ventum sit, ex te noscimus. Ibi litora reperimus amica, quibus fessos levare animos, quassatas rates reparare, et quod ex brevissimo superest viatico, suavius nacturi, linquere gaudemus : utque nobilissimum est tui Augustini eulogium, inquietum est cor humanum, donec ad eum veniat, præ cujus bonitate nulla est regum litoralium gratia, nulla hospitalitas. Et ne rem tuo studio indignam proferri conjicias, quod poesis dulcissima nobis effigiavit velim (si lubet) divine cantatum existimes : persuadeasque, non minoris esse industriæ Ægyptias superstitiones in Christianam religionem, poeticas fabulas in veritatem Evangelicam, mendacia Græca in historiam latinam, quam ludibrium, propudia, insultus, crucemque et spineam coronam (modo rerum collatio æque admittatur) in laudem Dei Optimi Maximi, honorem, et gloriam (ut decuit) convertisse. Compertum autem tibi est, quam magno et gravi periculo mare hoc immensum, leve, inconstans, et procellosum, soleat navigari : quod monstris infinitis, calamitatibus ærumnisque, et damnis abundans cumulatissimis, non abs re formidamus, cui, sub primæ ætatis crepusculo vix nati, cymbam credimus informem, sutilem, et plenam rimarum, hac et illac fluentem, quam

spiritu juvamus tenuissimo, et primis palmulis impellere conamur, nauticum miserabile vagientes. Nec mora pedibus inter natandum ulla, non pausa manibns, non requies brachiolis præstatur. Hic annum vix, aut diem unum navigaturi vere novello auguriis agimur divum, *Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.* Nec cursum auspicantibus desunt lacrymæ: in profundum exules ferimur, chara et cælesti patria, unde origo est, exclusi; quam, non nisi sapienter permenso æquore, hostibus pulchre triumphatis, raptoque vellere, conceditur repetere. Quumque ad id maxime anhelamus, recluso carcere venti sævam hiemem, nubes densas, insolitamque caliginem oculis inducentes, undique consurgunt; et fluctus motos ad deserta referunt litora, quo salutis portum sperato lentius ingrediamur. Et quo graciliores tenuesque magis sunt tabulæ, eo propius instat periculum. Solatnr tamen id unum navitam, quod, natandi initio, litori patrio vicinus, jacturæ minus facturus est, si quid sinistre contingat. Cum illis nimirum prosperius agitur, qui cursus longioris exsortes immatura morte undis merguntur, quosque inter Palemonas deos Poetæ enumerant. Et illud est cursus præludium. At cum temporis progressu sole jamjam altius conscendente illustratur, sudoris longe intensioris navigationem fortior prosequitur, sed gravius sentit, et providet periculum, declinatque, ratione mentem aurigante, quæ quamdiu manu constanti dirigit aplustre ratis, aura felici juvatur. In cujus sentinam si appetitus successoris haudquaquam digni adventu detruditur, tum navita nihil habens cum portu præpete negotii, valentissimo æstus arbitrio plerumque raptatur. In syrtes et saxa latentia late impingitur. In litus trahitur Sarpedonium, ubi turbulenta reperiat omnia, aut Corinthum, ubi funes tensissimos, et apprime fortes nervos fœde emolliat. Sed quid si ventis omnibus impulsus eo veniat, ubi mellita Circes pocula offerantur? Nonne cœpti præstabilis, ut lethe lotoque inescatis oblivio incessit? Quid si Sirenum vox audiatur? Solisque

boves, aut alia superis sacra manibus obvia fuerint furacibus? Subitus Cyzicus terreat? ab antro prodeant Cyclopes? raptumve pecus Cicones armis postulent? Quam avide cautum repetitur navigium? Quid si septies in navem cetus effertur? Quam invisi sunt fluctus! Ea sunt, quæ nautarum mentes percellunt, turbant, disperdunt. Et si Lemnon peti contingit, tam asperi laboris præmium voluptatis mollitie tollitur, frangiturque. Captiosis namque Hypsipyles laqueis irretitus, genialiter victitat, et quas juvenis ætate nova vires exercere deberet, penitus enervat; quodque despicatiorem facit, quos alti ætheris futuros participes accivit, profundæ libidinis abysso immergit. Tantæ autem energiæ est hujus pestis blandæ suavitas, tanta est mali mulcedo, ut sensim titillati aureum vellus Argonautæ negligant. Solus adest Jove genitus Hercules integer, torpentes animos honesto verborum classicó tempestive excitans; quo veluti sopore expergefacti, pestiferum reginæ contubernium desuescunt, ceduntque, momentariam lætitiam exuentes, gaudium induturi perpetuum. Sed quotusquisque nautarum mala ejusmodi quam suavissima sine gemitu et dolore deserit? Vix minaci Herculis monitu educitur Jason; vix Æneam lepidus Mercurii sermo liberat; vix summa Palladis sapientia Ulyssem evellit: quos tres peritissimum quemque navitam minis, facundia, et prudentia, illecebrarum circulo præreptum, exprimere dixerim. Sed nec teneræ virtutis adminiculo bene stabilitus, post imbellem pueritiam, flagrantesque effrenæ juventutis æstus, novis laboribus mancipatur; quin omnigenis sese exponens vitiis, proborum cædibus per imprudentiam interdum manus duriores contaminat, violat hospitia, arctissima amicitiæ vincula gladio confringit. Cæterum facinus admissum recognoscens, exhorrensque summam parricidii labem, mentis tranquillitatem meretur, sacraque unda, et precibus non paucis lustratus, navem repetit. Tum *oritur gratus remorum sonitus, et lætæ concordia vocis, atque viro redeunt animi.* Itaque juventutis fretum egressus profundius

mare cantabundus cum sociis penetrat, estque primum jucunda navigatio. *Quum superos tetigit Phœbus candentior axes*, tum nihil est, quod mortem ingerat. Sed, proh dolor! incuriam gignit maris tranquillitas, ubi timendum, ne repentina vis, et subita ingruat.

Vides ipse post bene cœpti dimidium in tertio cursu deficere plerosque, quos nulla unquam commotio intercepit, nulla inquietudo. Inde Hercules, cui virtus e pelago viam ad cælum tandem fecisse dicitur, cujus exemplo permotos sentias, quos majorum errores non ægre protrahunt, tanti momenti est, quem usque magnum putavimus perniciosa auctoritas, quem comitata est vitæ nauticæ constantia, asservavitque integritas. Sed quid utres Æoli mala solventibus alite proficiunt? quid non credita deorum juvant consilia? cum hinc superum mare sæviat, illinc ferociter æstuet inferum, *Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis Obsidet*, interque Symplegadas errantes, et Planctas transeundum sit, ubi multis perire, perpaucis datur elabi, qui jam veterani et occiduum solem casibundi sequentes, quod e via superest quum sulcare decernunt, in portu ipso (ut nosti) frequens naufragium faciunt, quidam emeriti, alii, quibus est senectus vivida, et quas aliunde pretiosas merces et optimas avexerunt (bonas dicas operationes, virtutesque ab ineunte ætate partas), superbiæ spiritu agitati, dum rostris ferratis, trabibusque connexis, et impotentiæ corporis fidunt, inter undas misere explicant. Qui vero peritiores sunt et cordatiores, Argo vecti, litus deligunt, ubi *æquora tuta silent*. Quumque laboris exitus læte concipitur, nova succrescunt pericula, novus terror mentes percellit, quoque propior est sudoris pensatio, eo est hostium crudelior insultus. Tum spes potiundi velleris per ignaviam aliis evolat, inconcussusque ante animus supplantatur. Sic aurea merces substrahitur. Adest namque (ut apertius agam) dæmon horridus, multo innixus vaframento, tartareoque agitatus œstro insurgit, quem tauri colla tumida juvant, armant superbiæ

cornua, jactus ignium, jugi contemptus, humilitatis horror, pertinaxque pedum immobilitas, cujus acrimoniam etiam pro virili velitans nequeat sufferre; cujus flamma, cornuaque qui senserit, victus jaceat necessum est. At vero quum illius succedit potentia, quam Solis filiam, immo et matrem, dicimus, sub jugum licet obnitens mittitur. Nec sic ope divina perdomitus quiescit; sed ad solitas artes conversus, quum tumore, et cornuum elatione obesse nequiverit, humilitatis prætextu admitti quæritat; qui perinde ac de novo terræ sulco paulatim eductus, primum negligitur; cujus technæ, nisi in tempore occurratur, jam fratres Acheronteos e terrea gleba, aut intimis terræ visceribus auxilio senties advocatos: tum totis insurgit campis, signa horrentia concitat, insilit, minatur, pugnæ imparitatem proponit, vibrat commissa, nova molitur scelera, minutissima adauget, ac gravissima fortiter eballistat, et vortice malorum frequenti involutum sæpius in desperationis gurgitem protrahit, et sæve harpagatum non sinit extricari. In hoc agone novissimo videas quam plurimos nautas sui oblivisci, quibus (si tandem succumbunt) nihil antiqua virtus athletice conservata, nihil multa rei nauticæ, qua longum occalluit manus, experientia prodest, et dexteritas. Multus ibi tremor, stupor immensus, *pharetras respectat inanes* et inutilem clavam Hercules. Frustra generis et familiæ Ulysses reminiscitur. Beatissimos putat Æneas, quibus *ante ora patrum* sub primo vitæ curriculo datum est *oppetere.* Quam vellet nauta, si daretur, cursum retexere, quem prudentius perficeret! Ut voti tamen compotes portum ingressi cum Jasone præmio donemur, utendum est Solis filiæ consilio. Cristatam enim galeam si in hostium conjicimus medium, salutis galea ad expugnandam dæmonum potestatem induti, cedit conatus omnis, reteguntur insidiæ, et unde prodiit infera legio, exinanita defertur. Nec bis pessum missus vires remittit; sed resumpta dolose antiqui serpentis cuticula surgit vigilantior, *Acheloia fundens sibila*, Martios dentes evibrans,

virus atrum lingua diffundens. Et qui primo parenti malum ex arbore legendum persuasit, modo vetat colligi, excerpique ex arbore purissimi agnelli vellus aureum. Adest tamen fortibus, serpentem calcaneo proterens virgo regis omnituentis filia, regis, qui malonomos est, mater generosa, ad arborem, unde agnus pependit, gradum nautis faciens, quæ sperantes portu receptos nequaquam deserit. Est ea communis et trita hominum via sub honesto poeseos figmento velata, quam sub militia terrestri reges effigiant. Sunt namque, qui pedibus proficiscentes, cum Dionysio et Apolline terras collustrant; Pythonas et monstra cædunt domitantque, tyrannidem exstirpant, relevant oppressos, terreaque experti, requie cælesti et pabulo dignantur. Sunt, qui cum Hercule novum navigandi genus sub anachoritarum forma aggressi, solitudinem deligunt; pro lembo publico, tenui scypho seu lebete utentes, malique prælatissimi loco, humilem, sed durissimam, erigunt clavam; pro rudentibus cannabaceis et fractilibus, nervos fortiaque pharetræ lora protendunt; salis hujus amarissimi fæces, evanidasque spumas, non remis ingentibus, sed arcu et sagittis excitatas, prætereunt, et velum ventis tumidum demittentes, non leonis, sed suam pellem expandunt. Horum auxilio Erythræa petitur. Tricorpor Geriones tricepsque bobus spoliatur. Invenies et qui cum Perseo sublimius alas quatiant, quos Phorcynidum talaria, Cibisis, Orcique galea muniunt adversum tres Gorgonas (vel Furias potius dixeris) Palladis auspicio certaturos. Quidam, aera temerarie scindentes cum Icaro, medios relinquunt tractus, et cum maximo terræ desiderio Solis ardorem sero devovent. Alii nimia flatuum indulgentia freti, ubi ad scopum ventum est, plus amaritudinis, quam aurei liquoris hauriunt. Ejusmodi est navigationis species, vir prudentissime, cui nostram phaselum onerariam Valerianis defunctam undis offero. Inter alios enim mihi dignior visus es, cui dicaretur nostra elucubratio: quum Petro, primæ navis Christianæ moderatori, Sarcellis succe-

das, de Palladiisque navibus, quæ in Academia Parisiensi plurimæ sunt, primitus constructam probe dirigas; in eaque natus sis urbe, cujus insignia ferantur, navis pulchre instructa. Proinde vellus referenti sinum aperi, longoque fluxu impulsam amplectere: ad tuum enim gremium confugit, in quo contractis velis, maris secura quiescat, integra servetur, ubi litus sperat placidissimum, piratarum armatis myoparonibus inaccessum. Tu mihi, quod Argonautis *hospitibus reserans secreta Thyotes:* tu Lycus es, *nullus toto mihi litore ponti Mitior:* tu mihi, quod Æneæ Anius, *hominum Phœbique sacerdos;* quod Ulyssi Alcinous; et ut arma navis omnia semel concumulem, tu mihi aura parentum dulcissima destituto, sinuque sororis, a partu modo sublatæ, præter spem excluso, firmissima es anchora, ad cujus coronidem, si placet, funem ligari jubebis. Nihil ipse nocebo, tuta contentus litorum particula. Nec Parni molestia tuas aures offendat, si quæ mea sunt, rapientur. Tantum postulo, ne vorticoso fluctu, vique externa carinam in tuo portu læte fluctuantem obrui patiaris. Vale.

DE ÆGIDII MASERII IN VAL. FLACCUM COMMENTARIIS SALMONII MACRINI AD CANDIDUM LECTOREM

HENDECASYLLABI.

Si cuiquam faciles fuere Musæ,
Et quæ Cecropias tuetur arces,
Rerum ad notitiam reconditarum,
Si quemquam dator Enthei furoris
Toto numine Phœbus excitavit,
Vatum ad plausibilem explicationem,
Hunc, jurem Ægidium meum, sed unum.
Illius lepidoque floridoque
Pitho sessitat efficax in ore.
Illius Veneres Cupidinesque
Dulci nectare condiere linguam.
Et ne forte quid improbum loquutus,
Blandiri videar meo sodali,

Emuncta precor obsecroque nare,
Et nullo invidiæ oblitus veneno,
Doctam interpretis eruditionem, et
Commentaria nuper absoluta
Rimare, in Valeri poema Flacci.
Quanto hic schemate, di boni, enitescit!
Quantum frugis habet peritiæque!
Addo et munditiæ, salis, leporis!
Non credo Latium magis Latinum,
Non ipsas magis Atticas Athenas.
Primus, candide lector, ire primus
Est ausus per iter tenebricosum,
Perque aspreta, per inviss salebras,
Hanc et præripere Italis coronam.
Heroum ut nova prora Thessalorum
Currentes duce transiit columba
Per Symplegadas inviamque Tethyn:
Sic hoc, remige, vector et maligna
Setini vada, et asperas procellas,
Nullo naufragii legens periclo,
Portum perfacile tuum tenebis.
Non deerunt gemini tibi Lacones,
Non densa Pharos emicans favilla.
Visne ut tandem aliquando finiamus?
Vis paucis ut apertius loquamur,
Atque ænigmata cæca deseramus?
Hic est Ægidius, Latina Siren,
Hic est Ægidius, canorus Aon,
Qui solus legit ac facit poetas.

JACOBI MASERII P. AD PHILIPPUM PULCHRUM

OCTOSTICHON.

Fraternæ te crede rati cum fratre: patescunt
  Rupes, Setino quæ latuere freto.
Totum impune potes Valeri cursare per æquor:
  Ventus hebet; ripa est hospita; vellus adest.
Quidquid Apollineus graio de gurgite vates
  Haurit, et Orphea nave refertur, habes.
Nocte interque diu volita: tibi certa salutis
  Lumina protendet Parrhisiana Pharos.

PHILIPPI PULCHRI CREDULIENSIS

HEXASTICHON.

Non metns Euripi, rabidæque pericula Scyllæ
Me terrent, tutus quum rate fratris agor.
Quem vere Axenum nobis liquere vetusti,
Hunc tuus Euxinum reddidit Ægidius.
Infregit glaciem, Mæandros sustulit omnes,
Flamina conclusit: prodeat unde metus?

PRÆFATIO

JOANNIS BAPTISTÆ PII.

AD

FULGENTISSIMUM PRINCIPEM,

ET R. JULIUM MEDICEM FLORENTINUM,

TT. SANCTI LAURENTII IN DAMASO CARDINALEM,

MARC. MARCELLUS PICUS GENUENS.

Lux tandem orta mihi; et superas redivivus in auras
Ex tenebris revocor numine sidereo,
Numen adest Medices præsul rutilantior astris,
Julius Ausonio primus in orbe micans.
Huic Pius eloquii decus; Aonidumque sacerdos
Me dicat, ut melior luce perenne fruar.
Spargitur antistes tua, sparsaque in orbe refulget
Gloria; et antiqui vivida fama laris.

JO. BAPTISTA PIUS,

BONONIENSIS CLIENS,

AD

R. JULIUM MEDICEM

FLORENTINUM,

TT. SANCTI LAURENTII IN DAMASO CARDINALEM,

PATRONUM COLENDUM.

Cogitavi mecum, diuque volutavi, optime ac maxime princeps, Juli Medices, quisnam in hoc dialium flaminum augustissimo Senatu, majoribus ingenii nobilioribusque animi dotibus coruscaret, quo auspice prodiret olim semilacer, nunc labore nostro redivivus Flaccus, expeditionis Argonauticæ suavissimus modulator. Novimus enim auctori et auctoris interpreti multum dignitatis accrescere, si uterque secunda principis usus aura honori suo velificaverit. Siquidem sacra sunt, quæ sacris adhærent, impietasque mancipii statua principis expiatur. In hoc animi salo posito tu statimque occurristi: animumque labantem fulsit majorum tuorum in te repullulans unica veræ gloriæ propages, qui in Etruria, cujus habenas felicissime moderabantur, prope soli Musas obviis ulnis exceperunt, desertas, vagas, omnium egenas, sine spe, sine sede, sine capite. Cosmus Medices, quem honoris et amoris gratia non sine venerabili suspirio

nominavimus, primus Musis sinus benignos aperuit, neminemque in quacumque disciplina celebrem, inhonoratum, indonatum, ingloriumque dimisit. Nec erubuit cælestis animus eum, a quo sæpe lacessitus fuerat, et ore improbo præstrictus, oratorem non omnino malum, Cæsarea clementia delenire, sublevare, in sensus animi penitissimos admittere, sciens verum deorum cultorem, etiam sacerdotem venerari. Laurentius quoque Medices, patruus tuus, felicissimæ vir memoriæ, cui Musæ concordes lauream Parnasiam contexuerunt, quid non tentavit, quid non fecit, quid non perfecit, ut vates, curam priorem, deliciasque suas, beatissimos videret? In cujus Apollinea lauro nidulatus est phœnix unicus ævi nostri Picus Mirandula, longe septem priscis sapientibus eloquentior, clarior, sanctior, et in omni vitæ doctrinæque genere tersior. Omitto Ficinum, divini Platonis animam; Politianum græce latineque politissimum, et alios innumeros, quos referre impræsentiarum operæ non est pretium. Hic heros ingenio, prudentia, mentis acumine, animi præsentia, liberalitate, literatura, qualis in occupatissimo principe esse potuit, cæterisque animi bonis, excellentiam omnium memoriarum excessit, patronus poetarum peculiaris, et præsidium unicum, pater pacis et Ausoniæ quietis, cujus fama his terminis, quibus hic terrestris globus, terminabatur. Felix dum vivit, ab obitu felicior, Leone Decimo, Pontifice Maximo, gloriæ, virtutis, modestiæ, liberalitatis, continentiæ, sapientiæ, successore ac hærede relicto: qui sanctitate tantum vitæ thronum Petri, rarum et inauditum sæculis nostris, ascendit. Ad cujus dignitatis et fortunæ, ut cum vulgo loquar, famam, Musæ, fere sub ætate ferrea intermortuæ, laureum et aureum sæculum sibi præsagiere. Sed quo piaculo genitoris tui manes obticeo? Quo ingrato silentio ad siderei juvenis famam fulgentem conniveo? in quo præcox, præcanaque virtus emicuit, species, robur, gratia, dexteritas, comitas, et serenæ frontis æthereum jubar, singulares in mortalibus dotes. *Heu pietas! heu prisca fides!*

Ostenderunt terris hunc fata, nec ultra superesse siverunt, magna familiæ Mediceæ et insigni clade. Cujus laudes et fœcundi animi decus Angelus, literarum latinarum parens, copiosissime verissimeque collegit. Quumque avitis opibus innutritus esset, tantum abfuit, ut illarum Sireniis blanditiis a recto calle detorqueretur, ut illas semper ad benignitatem, liberalitatemque conferret, hisque honestissime et in publicum commodum usus sit. Adeoque his artibus in cælum sibi stravit iter, ut, adhuc serpente, et malas vestiente lanugine, a pluribus maturus et prudens, ab universis vero genius urbis nuncuparetur. Quæ causa fuit (iterandum eadem ista mihi) ut ejus casus improvisus et acerbus, ut si sol ex cælo decidisset, totam, ubi regnabat, funestaret Etruriam. Sed quid ago? quid molior? Quid experior jejuni et angusti oris orator? Singulares ac eximiæ corporis et animi tui dotes illuc me vocant, ubi difficilius est exitum quam principium invenire. Si bona corporis, quæ Paris Homericus gloriosa vocat, emetior, staturam quadratam, et totius corporis filum liberale, decorum, gravitatem, majestatem, canas in ætate viridi cogitationes; continuo genus obstrepit, ac Mediceæ familiæ nobilitas; qua nulla unquam in terris vixit augustior, fortunatior, fortior, illustrior, liberalior, ad virtutum omnium præsidium promptior atque benignior. *Carmen amat quisquis carmine digna gerit.* Videbant Heroes inclyti, seque ipsos advertebant solos esse, et præterea neminem; qui vera gloria coruscarent, virtute rutilarent, sapientia aurescerent: præcones virtutis esse poetas et oratores, quorum turba tranat flumina, juga Musarum pennato gradu transvolat, terræ ac cæli pomœria pertonat, sedem ac locum stabilem non habet. Herculis, Augusti, Alexandri, Themistoclis exemplo, æternitatis et famæ præconibus unice favebant. His enim angustis metis, quas nobis natura ad vivendum dedit, non potuere esse contenti. O divina vis ingenii, quomodo priscorum decora virorum superares excogitasti. Accedit ad felicitatis tuæ cu-

mulum, maxime Princeps, quod Florentiam patriam, magno cæli, indulgentissimoque favore, sortitus es, unam in omnibus terris florentissimam virtutis, opulentiæ, dignitatis, Etruscique imperii domum; quæ plures in omni virtutum genere sapientes, quam tota protulit Italia, quam Aretinus, in hac quidem parte vanus haruspex, a Sullanis positam dicit. Impar error Franciscum Petrarcham involvit, qui, epistolarum senilium libro nono, ad Urbanum Pontificem ita scribit: *Patria quoque mea urbs, quoque verbum sonat, florentissima, nondum tamen rep. Rom. florente, fundata.* Laurentius Vallensis, alter Romanæ linguæ Camillus, assertor videlicet eloquentiæ, in epistola quadam prodit cui Danthes Alengerius adstipulatur, homines aquarum penuria, et loci mitioris desiderio, ex Fesulanis montibus et vicinis, juxta Arnum consedisse, et a loci situ Fluentinos, ut præterfluenti Arno appositos, initio dictos, sicut in uno eo Plinio constare video; mox florente beatius, et arridente fortuna, Florentinos appellatos, quomodo Corn. Tacitus, Ptolemæus, Procopiusque nominitant. Eam deinde Romani Triumviri coloniam deduxerunt, quod auctor antiquus, in cœnobio Bobiensi, cura ac industria Merulæ Alexandrini, repertus, aperte notificat his verbis: « C. Cæsaris auspiciis et M. Antoni, et M. Lepidi Florentia deducta III viris adsignata lege Julia. Centuriæ Cæsarinæ in jugera per Cardines et Decumanos. Termini rotundi pedales, et distant a se pedes II. CCDC ». Laudanti et admiranti fortunam tuam ac extera bona, princeps omnium principum maxime, interpellant animi veræ semper laudes, ac ingenii dotes innumeræ, quantæ in nullo unquam principe rutilarunt. Siquidem vita tua mera censura est. Aditus ad te tantæ felicitatis, ut Augustum, Artaxerxem, Philippum, post aniculæ monitus saluberrimos, longe superes. Apud benignissimas aures tuas nemo non quantum voluit, dixit. Unum superest miraculo proximum, quod, quæ dissipata reges, ac heroicos viros affatim ornant, et redimunt, tu divite copula conjugasti, et

animum virtutum varietate, velut astrorum fulgoribus, illustrasti. Cyrum memoria famæ vindicat æternæ: in te memoria præsentissima; cujus virtute felici, subditorum curas, et aliena negotia præcurris. Anaxarchum patientia æternat: hac tu fortunam delassasti, et quem jamjam manus daturum speraverat, exarmasti, stravisti, triumphasti. Fortitudo principum principem facit Achillem, iracundum tamen et in Danaidum poculo bibentem. Tu post oppressas vulpecularum insidias, quod singularis fortitudinis est specimen, te ipsum superasti, quum omnia possis, ut Christiani imperii moderator et arbiter, honestum tantum velis. Justitia Lucifero clarior Aristidem eximit humanis, et superis inserit: in te, certe testimonio universi generis humani, virtus hæc irroboravit, ut, pace præteritorum præsentiumque principum dictum sit, nullus in hac virtute sit excellentior. Qua tu non modo cunctos antecellere gloriari potes, verum quum Bononiæ legatum agas, patriam nostram hac una virtute felicissimam reddisti, præsertim quo hæc scribebam tempore, quum divino consilio tertium Catonem, Lycurgum, Solonem, Zaleucum, Pittaeum nobis R. Bernard. Roscium dictatorem, summumque magistratum, et prolegatum esse voluisti: qui affabilitate comissima, æquitate libratissima, justitia, sanctitate, seditiones, odia, latrocinia, parricidia, monstraque urbana inurbanissima, ut Hercules Augiæ stabula, converrere, lustrareque non dubitavit. Doctus, eloquens, severus, clemens, princeps ad unguem factus, fortis, et imperterritus inprimis, pastor gregis egregius, et qui maxime vitiis irasci potest, quoniam his maxime caret. In quo populus Bononiæ tibi concorditer applaudit, et servatam, jamjam ruentem patriam, adscribit. Sed jam unde digressa est, revertatur oratio. Fabricium temperantia collustrat, qua in virtute tu regnas, Catonem Camillumque, nedum Fabricium, relinquens. Sed jam nimis longum loquor, dum singula connumero, quæ fatum benignius, et cæli assensus indulgentior in te unum congesserunt, quo fit, ut appella-

tione Archiflaminis Roma sagax et nasuta, Julium Medicem intelligat, eumque adeo suscipiat, ut sidera inter mortales ambulantia, non majorem motura sint admirabilitatem.

Accipe igitur hilari, qua clientum tuorum omnia soles, fronte, munusculum pii clientis, quem jampridem tanti benignitas tua fecit, ut a secretis esse voluerit, et titulo familiari decoraverit. Accipe, inquam, serenus ac exsultans Flaccum Valerium, Argonauticæ Latinæ vocalissimum præconem, nomini tuo peculiari nuncupatione dicatum, ut Virbium Hippolytum, ab orci faucibus diligentia nostra revocatum. In quo tot mendæ, lituræ, calvitia, defectus verum sensum inverterant, ut Flaccus in Flacco, sicuti de Samnio proverbialiter circumfertur, quæreretur nec inveniretur. Orpheus poeta Græcus, Rhodius lucubratissimus auctor, Rhodiique interpretes me plurimum juverunt, nonnihil et codex castigatior, quem liberalitas R. Farnesii utraque literatura perinsignis, quem principem ingenii ac virtutis appellare soleo, mihi perliberaliter obtulit, lima Pomponii Læti industrii ac perfacundi professoris, elimatum, alium quoque multis in locis manu Fabricii Varrani, Episcopi Camertis, emaculatum. Adminiculum quoque non parvum attulit Jacobus Orodryinus, scriptor Apostolicus, quem transmarina, Latinaque venus, laureola Parnaside decorarunt, oblato codice Dacico, uspiciendæ antiquitatis; quibus, ut Zeuxis ex diversis corporibus, unam, et ni fallor, integram formam, et redivivam imaginem recidivo Flacco præstitimus.

Tu, felix ac sapientissime princeps, munus quantulumcumque a pio clientulo oblatum, æqui bonique facias, qui, quum majora, iniquitate sortis et ætatis suæ, quæ donet non possideat, se ipsum, ingenium suum, industriam, studium obtulit, qui virtutum tuarum memoriam, præconiumque pollicetur. Nec in pusillo magna exspectes, et tuo fulgore condigna, sed animi tibi deditissimi fidem, propensamque voluntatem. Hac ego contentos auguror esse deos, quorum in numerum adscitus, utinam serus, cælum astro rutilan-

tissimo collustrabis. Vale et vive ter felix, et supra Nestorem senesce: memor in horas orbis fere totius oculos in te, non secus ac Pontificem maximum, esse conversos; Platonisque subinde sententiam illam auream habeas in ore, quam in quadam ad Dionysium epistola reperies his verbis: «Non est negligendum a nobis, sed curam habendum temporis subsequentis. Fit enim natura quadam ut ignavissimi homines nihil curent, quæ sit de ipsis futura opinio. Probatissimi autem viri cuncta faciunt, quo in futuris sæculis bene de se loquentes homines audiant». Quam ego conjecturam facio, esse aliquem sensum, his qui mortui sunt, rerum nostrarum. Quoniam optimi animi sic forte divinant, deterrimi autem nequaquam. Quare, Princeps optime, multo magis verere, quid de te hinc ad annos sexcentos loquentur historiæ, quam eorum hominum, qui hodie vivunt, rumusculos ineptos. Iterum vale terbeatus.

PRÆFATIO

EDITIONIS ALDINÆ.

LECTORI.

Quantum sit Valerio Flacco tribuendum, facile ex Quintiliano patet: qui tantum illi laudis impertit, ut ejus immatura morte multum latinam linguam amisisse affirmet; nec profecto immerito: præstitit enim Valerius longe suorum temporum hominibus doctrina, elegantia, et ingenio; atque ea varietate opus aspersit suum, ut cum summa lætitiæ voluptate legentibus prosit. Illustrat quidem Jasonem, cæteros Argonautas: sed id ea mente facit, ut inter electissimos, præstantissimosque viros principem virum describat præstantissimum; et peregrinantis hominis, gloriæque immortalitate flagrantis varios ancipitesque casus monstret. Quod utinam susceptum munus conficere potuisset! quid enim est illius scriptis jucundius, et ad voluptatem legentis accommodatius? sed nec octavum quidem librum morte præventus perficere potuit. Itaque nos quum quæ nobis reliquisset, ita emendaverimus, ut pauca, aut nulla fere, desiderari possint; ut integra historia cognosci, percipique possit, ea adjunximus, quæ Joannes Baptista Pius Bononiensis ex Apollonio Rhodio, quem unum sibi Flaccus proposuit imitandum, transtulit: nec non et Orpheum per Mediolanensium Cribellorum quemdam (nomen habere non potuimus) Latinum factum: quæ omnia ita a nobis lector accipias; et majora in dies, et meliora exspectes. Vale.

LAURENTIUS BALBUS LILIENSIS,

D. DOMINO

PETRO A LERMA BURGENSI,

CELEBERRIMÆ COMPLUTENSIS ACADEMIÆ CANCELLARIO DIGNISSIMO, ATQUE ECCLESIÆ DIVORUM JUSTI ET PASTORIS ABBATI NOBILISSIMO, OMNIUMQUE BONARUM ARTIUM PRIMIPILO, S. D.

QUUM paulo ante Julias Calendas in commune Grammaticorum gymnasium convenissemus, qui Latinas literas in hoc celeberrimo bonarum artium emporio publice profitemur, ut de communi omnium sententia, legendos hoc anno libros constitueremus, placuit cunctis, pater sapientissime, ut *Joannes Ximenius*, *Joannesque Angulus*, viri undequaque consummati, matutina lectione Virgilium, pomeridiana vero collectanea quædam opuscula, ex variis auctoribus excerpta prælegerent; ego vero et *Petrus Mota*, lectione matutina, Valerium Flaccum, et Silium Italicum, pomeridiana aut Marci Ciceronis Philippicas Orationes, aut Quintum Curtium, Alexandri historiæ lucnlentissimum scriptorem, interpretaremur. Sed quia horum omnium librorum præterquam Virgilii operum, quorum ubique vis magna est, adeo ingentem penuriam esse intelligebamus, ut ne decimæ quidem scholasticorum parti, eorum esse posset copia, excussoribus imprimendos dare decrevimus: et *Motæ* quidem Silii recognoscendi injuncta est provincia, mihi autem Valerii castigandi munus mandatum est. At ipse gravissimo tertianæ morbo implicitus, quod volebat, quodque nos

optabamus, exsequi non potuit: ego vero, etsi videbam onus mihi difficile, arduum, ac a multis frustra tentatum imponi, quodque plurimum studii, laboris, atque eruditionis, quæ in me perexigua est, desideraret, tamen quum semper votis omnibus expetiverim studiosis adolescentibus, qui ad humanioris literaturæ fastigia ascendere concupiscunt, mea opera prodesse, non potui laborem honestissimum subterfugere. Accepi itaque statim in manus Valerium Flaccum, quem alias cursim et lectione festinabunda, secure nimis evolveram; quumque eum cura intentiore, testudineo tum demum, aut aiunt, passu legerem, offendi eum mendosum, maculatum, squalidum, lacerum, ac luxatum adeo, ut non parum me obsequii mei, atque promissi pœnituerit: ante enim potuissem meam operam si non honeste, certe citra meæ famæ periculum negare, tunc vero me anfractus labyrintheos, Dædaleasque tenebras, et ambages sine Ariadnæ filo sentiebam ingressum, nec quo pacto inde possem egredi percipiebam: timuique aliquid pariturum, quod et mihi dedecori esset, et obtrectatoribus, qui semper sunt parati, ridendi præberet causam; nam ut Sophocles in Antigone præclare, ὅστις ἀνωφέλητα φυτεύει τεκνά, τί τὸν δ' ἂν εἴποις ἄλλο, πλὴν αὑτῷ πόνους φῦσαι, πολὺν δὲ τοῖσιν ἐχθροῖσιν γέλων. Cæterum quum cognoscerem res arduas agresso, etiam si optatis minime fortuna respondeat, tamen vel solum desiderium, abunde pulchrum existimari debere, pedem nequaquam referre constitui. Quæsivi itaque continuo plus decem exemplaria diversis locis impressa, sperans multo mihi adjumento futura; sed nihilo plus emolumenti inde reportavi, quam si lac e gallo gallinaceo exprimere laborasssem: tunc intellexi, quantam quamque dolendam jacturam Flaccus noster, omnesque sermonis Romani studiosi fecerint, in cunctatione dicam, an potius crudelitate *Phredenandi Pinciani*, præceptoris mei, nunquam satis laudati, qui aliquot abhinc annos commentarios in Valerium Flaccum eruditissimos concinnavit, atque eos hactenus in beato operum suorum

scrinio continet, maximam sibi gloriam, studiosis vero omnibus utilitatem invidens, non minorem. At quales ii erant commentarii? ego nempe ex illis nihil unquam vidi, nam quum ipse illos me puero componebat, quanquam non parum domum ejus frequentabam, præ pudore tamen atque veneratione, qua illum admirabar, nunquam efflagitare sum ausus, eorum videndi mihi copiam faceret; quod ipse, qua est cum omnibus comitate, facilitate atque animi candore, lubentissime annuisset. Sed quales, nisi multa eruditione refertissimos, credendum est, prodituros fuisse ab homine, omnium nostræ tempestatis doctissimo? qui proximæ memoriæ literatorum nemini concedit, qui antiquos illos gloriæ immortalis scriptores, aut superat aut certe æquat; qui et latini et græci sermonis peritia, omniumque disciplinarum cognitione adeo præstat, ut omnes ipsi, ipse nulli, posset invidere, faciliusque sit Isthmum defodere, quam centesimam ejus doctrinæ portionem adipisci: hunc iniqua fata, felicissimis hujus sacri Lycæi incunabulis invidentia, nobis abstulerunt, ac illustri Salmanticæ gymnasio condonarunt; quare ejus consulendi ne per literas quidem mihi fuit copia, angustia temporis intercepto. Sine ullius igitur ope auxilioque, in multis Valerium locis emaculavi, et non pauca, quæ prius emendari posse diffidebam, suæ (ni fallor) sinceritati restitui: in qua re non mediocres mihi suppetias tulerunt Græci aliquot scriptores, sed omnium maxime Apollonius Rhodius, atque Orpheus Crotoniates, qui eodem titulo scripserunt. Nonnullos tamen locos, ut ingenue fatear, offendi, qui me quum diu cogitabundum impense torsissent, tamen quo modo reponendi essent, excogitare non potui; in pagellarum albo, asterisco videbis obsignatos. At quum me quidam ex familiaribus anxium nimis atque sollicitum super ea re vidisset, asseruit mihi, editos esse nuper in Valerium Flaccum commentarios, atque eos quidem a quodam hujus inclytæ universitatis librario vendi: quos ego protinus incredibili gestiens lætitia comparari jussi, diesque ac noctes abs-

que interspiratione perlegi; quos ex illa, tumultuaria lectione, compositos judicavi ab homine, gravi quidem et erudito, sed quem operis difficultas, in quibusdam errare, in nonnullis vero hallucinari fecerit: nec mirandum, quando multa hujus Poetæ loca, adeo sunt inversa librariorum seu inscitia, seu negligentia, ut Delio sit opus notatore. Non paucis tamen Valerium maculis repurgavit, ut qui suis se ostendat scriptis, magna præcellere ingenii acrimonia, gravi præditum judicio, longoque exercitum studio, literas et latinas et græcas abunde percalluisse: quare mihi necesse fuit locos, quibus ab eo discessi, vel celerrimo adnotare stylo, meæque sententiæ rationem lecturis explicare. Confestim ergo sermone subitario, horis succedaneis, annotamenta in Valerium exarare cœpi; sed vixdum vestibulum fueram ingressus, quum me gravissimus repente morbus perculit, inexplicabili continuæ febris æstu viscera mea torrens. Sentiebam salutem meam medicorum judicio deploratam, sentiebam me viribus, animo, memoriaque destitui, reliquias tamen jam pæne conclamati spiritus in studia impendere certus, qnoties dira vis morbi cruciatus sævos vel paululum remittebat, non sine maximo salutis meæ dispendio, notario diligentissimo aliquid dictabam; unde factum est, ut majorem hujus opusculi partem, infestissimo languore conflictatus, in lectulo jacens, composuerim, utinam tanta ingenii felicitate, tamque eventu fausto, quanto studiosis literaturæ candidatis pariendi aliquod emolumentum desiderio! in nonnullis locis vitia quædam, scriptorum aut excusorum culpa, jam olim poetam elegantissimum fœdantia, castigavi; in quibusdam vero, ubi interpres mihi non recte sentire visus est, causam meam contra eum egi: ipse reus pro se minime nunc potest respondere, ejus tamen commentarii patroni interim vice fungentur, a quibus si jure non accusatus defendetur, eruditi videbunt secundum utrum pronuntiari debeat. Nec stomachari par est Ægidii amatores, quando nemo ad nostram usque ætatem fuit, qui

reprehensionis aculeos non senserit: nam ut antiquiores omittam, Platonem multosque alios ab Aristotele, ipsum Aristotelem ab aliis reprehensum, nec poetarum deum, Homerum invidia caruisse, ut taceam ex nostris Hieronymum, Augustinum, Lactantium, Cyprianum, ab ipsis inter se atque ab aliis notatos, nonne Laurentius Vallensis, homo suæ tempestatis latinissimus, et multos summa eruditione præstantes viros taxavit, et ipse intra præcordia non obtusa posteriorum tela persentiscit? An Politianus, Picus, Hermolausque sermonis latini non vexillarii, sed duces ætate sua, importunissimos blateratorum morsus evaserunt? Erasmus, credo, ut est omnibus disciplinis admirandus, nullius unquam telis est lacessitus, cui velut Hydræ capita, detractores subinde pullulant. Sed quid multis opus? nemo unquam fuit adeo doctus, qui nunquam laberetur, et offenderet; nemo, qui in hos casses laqueosque non incideret, quinimo, si verum fateri volumus, nemo nisi doctus reprehenditur; inde enim omnes gloriam volunt aucupari. Hoc dixisse placuit, ne credant lectores candidi, me ex ingenio meo, Maserium, in quibusdam, quæ pauca sunt, admodum sugillasse. Cæterum ut ad id, unde sumus egressi, redeamus, Theologe sapientissime, ego in hujus poetæ carminibus excudendis id feci, quod nemo fortasse antehac fieri debere animadvertit, qui nisi, ubi vel capti oculis ab impressoribus erratum possent indicare, nihil immutavi, ex his, quæ erant in exemplari omnium, quæ inveni, castigatissimo: sed ubi vel ego, vel alius quispiam eorum, qui in Valerium Flaccum observationes ediderunt, quidquam reponendum censet, e regione dictionis adnotatæ emendationem cum auctoris nomine ponendam curavi, ut liberum judicium lectoribus relinquatur.

Cæteri enim omnes, qui hoc genus aliquid dederunt, aut quia doctiores, aut quia plus sibi arrogabant, ita ut ipsis aliquid placebat, dispuncta priori lectione, excudi volebant, credentes, ut reor, fieri minus posse, ut fallerentur, ac ex ope-

ribus suis nimium sibi, ac supra quam æquum esset, placentes: natura enim ita comparatum est, ut qualiacumque sint, quæ nostra prodeunt fœtura, longe optima esse dicamus, quia, ut inquit Libanius, Sophistarum atticissimus: τὰ τῶν ἐρωμένων, ὁποῖα ποτ' ἂν ᾖ, καλὰ φαίνεται τοῖς ἐρῶσι, καὶ τὸ δοκιμάζειν ἀφέντες, ὡς ἐπὶ θαυμαστοῖς βοῶσι. Ego vero longe secus: tam superstitiosa enim religione Musas veneror, et colo, ut existimem non sine summo timore et formidine earum sacra tractanda, nullique rei minus, quam meo confidam ac tribuam judicio; statim post præclarum ipsius poetæ opus, nostras adjunximus annotatiunculas: deinde Argonauticæ expeditionis historiam ex variis auctoribus et græcis et latinis exceptam, brevibusque capitibus distinctam contexuimus: ultimo quasi appendicem, et totius nostri laboris coronidem, Apollonii versus, quos felicissime Valerius noster est interpretatus, aut æmulatus, Macrobii Aurelii exemplo adjunximus, non omnes quidem, id enim plus otii, temporis, studii atque laboris expetebat, sed quos ex transcursu homo minime otiosus, nec parvis districtus occupationibus, adnotare potui: quæ omnia nec injucunda, nec inutilia fore puto studiosis adolescentibus. Has autem meas lucubrationes, quum mecum identidem revolverem cuinam potissimum nuncuparem, tu unus occurristi semper, cujus nomini consecratas in lucem emittere placeret; non quia eas dignas judicarem, quæ in vulgi manus splendore tui nominis illustratæ exirent, aut quia te opibus, dignitate, auctoritate præstare longe intelligerem, sed quia et studia, et bonarum literarum amatores, citra æmulum, amas, foves, atque omni benignitate complecteris, utque ab ineunte ætate literis mancipatus, omnibus te bonis artibus, studiisque altissimis dedideris: nam quum a teneris, ut Græci dicunt, unguiculis, admiranda præditus indole, in magnam nec falsam spem parentes erexisses, summo studio curaque ac diligentia teneris pueritiæ annis ingenue, liberaliterque educatus dum primis literis informaris, brevi quantus esses

futurus ostendisti; exiguo enim temporis curriculo, non modo liminaribus illis Grammaticæ rudimentis instructus es, quibus duntaxat cognitis nostræ tempestatis homines, satis, si diis placet, se doctos esse arbitrantur, sed eo evasisti, ut pure et ornate loquereris, concinne et eleganter scriberes, latinosque omnes auctores sine interprete intelligeres: non tamen hoc contentus, quippe ad altiora studia natus, quum intra geniales patriæ domus amœnitates, sine dedecore lætam vitam agere licuisset, omnibus tamen voluptatibus renuntians, te in nobilissimum Parisiorum gymnasium contulisti; ubi liberalibus omnibus disciplinis commodam adeo navasti operam, ut te unum omnes admirarentur, in te unum oculos conjicerent, te unum digito monstrarent: utque Parisiensi scholæ solveres, quod acceperas, liberales artes continuo publice profiteri, non sine magna tua gloria, et nominis celebritate, nec minore scholasticorum emolumento, cœpisti; quo labore locupletiorem multo, amplioremque usuram sorte reddidisti: jam vero in sacra omnium scientia parente Theologia eos fecisti profectus, ut æquales cunctos candidis, ut dicitur, equis præcurreres, neminique posthac lampada currenti tradideris. Sed quum te natura in sublime omnimodæ doctrinæ fastigium, ad literas scilicet natum, perduceret, videresque nullas in literis cogitationes, quamlibet argutas, sublimes et utiles, esse quæ, nisi polito elegantique sermone illustrentur, non maximum lectoribus fastidium pariant, oratorum, historicorumque atque poetarum lectioni ardore ingenti, ita vacare cœpisti, ut non minus enitueris eloquentia, quam prius sacrarum literarum cognitione præstabas: cudendis vero carminibus, quæ demorsos sapiant ungues, et spiritum redoleant altissimum, dulcissimumque referant gustum antiquitatis, quantus, quanquam extra communem aleam positus, evaseris, quis est paulo humanior, qui possit ignorare? O ingenium excelsum, subtile, acre, dulce, facile, promptum, flexibile! O magnam mentis fœcundita-

tem, quæ omnia, ut libuerit, tam expedite, tam exacte, tam examussi effingat, atque perficiat! hinc tibi tantum nomen per omnes, qua christiana religio protenditur, fines, quantum nemini ad nostram usque memoriam fuisse legimus: tu adhuc in Gallia agebas, et jam Hispanorum omnium ore versabaris; omnes te laudibus absentem immortalibus extollebant; omnes multiplicis in te doctrinæ copiosam et uberem fœcunditatem ita amplectebantur, ut diligerent, ita diligebant, ut admirarentur, admirabantur ita, ut commendare non desinerent: nec immerito, quando Burgenses duo, tu scilicet cum Gonsalo Ægidio, duo bonarum artium luminaria, facitis, ut nihil habeant nostra sæcula, cur antiquitati debeant invidere. At vero mores tui a literis dissident. Ecquis est, qui si te admiratur ex doctrina, non ex moribus amet, colat, observet, veneretur, et prospiciat? At, credo, minus es morum probitate, vitæque sanctimonia, quam ingenii elegantia, doctrinarumque varietate monstrabilis: aut sanctitatis tuæ, integritatisque laudem, eruditionis, ingenii, studii, atque memoriæ gloria excedit. Et quidem in utroque mirabilis, et exemplum nostri sæculi memorandum, sed tamen præponderant virtutes, teque ipse vincis et exsuperas. Quid enim te melius? quid sanctius? quid frugalius? quid incorruptius? quid ad exemplar venerandæ antiquitatis expressius? quantus in te, bone Deus, continentiæ amor! quanta felicitas! quanta comitas! quanta gravitas! et ea quidem non temporaria, sed constans ac perpetua.

Quanta in doctos benignitas, et munificentia? quam nullus in te loliginis succus! quam nullum livoris vestigium! quam candida et sine labe simplicitas! quia, si qualis semper fueris, ignoraremus, sufficeret nobis divini illius præsulis Francisci Ximenii, Hispaniarum Cardinalis, hujus sacri, et Augusti Musarum domicilii auctoris, omniumque virtutum exactissimi exemplaris, testimonium, qui te non magis ob multijugam doctrinam, plurimarum atque optimarum ar-

tium cognitionem, quam ob incorruptos integerrimosque mores, summamque usquequaque honesti et virtutis, quam semper amplexus es, curam, quamdiu secum habuit (habuit autem, quoad e vivis sublatus est), tantum dilexit, tantumque tribuit, ut nihil te inconsulto faceret, tecum arcana sanctissimi pectoris consilia partiretur, te cum Petro Ciruelo, viro optimo, et doctissimo hujus nobilissimi collegii scitis et institutionibus, in quibus non exiguum stat momentum, componendis præficeret, tuamque in omnibus muniis exsequendis industriam maximis laudibus approbaret: apud quem tu dum ageres amplissimos honores obtinere potuisses, qua apud eum gratia et auctoritate, nisi ab iis aucupandis abstinuisses, nolens ad altiora dignitatis fastigia conscendere, quo liberius sapientiæ studio vacans, operam tuam, non præsentibus modo, sed posteris quoque præstare posses. Sed video epistolam modum excedere, dum tuarum virtutum dulcedine inviscatus, in altum progredior Oceanum, ac ultra, quam unde reditum desperare non debeam: quare necesse habebo tanto oneri succumbere, cui tu quidem solus ferendo par es: eæ enim sunt virtutes tuæ, quas, nisi tui similem habeant prædicatorem, satius sit intactas quam male tactas relinqui. Laudabor ergo meas vigilias, si modo lectione sunt dignæ, ei viro nuncupasse, quo melior ne voto quidem fingi potuit, quo neminem ætas nostra graviorem, doctiorem, sanctiorem, subtilioremque tulit, cujus calculus pro Lydio lapide haberi debeat.

Accipies igitur libellum hunc, Abbas optime, atque doctissime, si non ob meos labores, at certe ob ipsius poetæ ingenium, elegantiam, eruditionem, heroicamque sublimitatem; qui in nostris finibus hactenus in tenebris delitescens, cum tineis et blattis rixabatur: perpaucorum enim piscis erat; cujus ne nomen quidem in hac nostra Academia, quæ est ævi nostri seu negligentia, seu ignavia, seu inscitia, esset auditum, nisi eruditissimi præceptoris mei

opera effectum esset, ut dum omnes ejus enarrationes summo studio exoptant, Valerium cupiant intelligere: et est nimirum jugi lectione dignissimus; est enim heroicum sublime, tersum, emunctum, figurarum varietate distinctum, sententiis ornatum, grave, et, prout res poscit, vehemens, acre, concitatum, suave, jucundum, miraque eruditione refertum, in digressionibus concinnum, in descriptionibus locuples et abundans, in affectibus exprimendis acutissimum, in decoro servando admirandum. Sed de hoc satis multa: nolo enim facundissimi poetæ laudes culpa deterere ingenii, quando vendibili vino suspensa hedera nihil opus. Superest ergo, Cancellarie dignissime, ut nostris ipse lucubratiunculis, cujus nomini sacrantur, qua soles humanitate patrocineris, si dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboravimus: nam si tu sudores nostros calculo tuo adjuveris, adstrues huic operi tantum, ut ex judicio tuo pretium maximum, atque auctoritatem libro, quamvis exiguo, accessuram non dubitem. Vale, sæculi nostri, literarumque omnium decus.

LAURENTIUS BALBUS LILIENSIS

DOMINO D.

PETRO A LERMA BURGENSI,

CELEBERRIMÆ COMPLUTENSIS ACADEMIÆ CANCELLARIO DIGNISSIMO, ATQUE DIVORUM JUSTI ET PASTORIS ECCLESIÆ ABBATI MERITISSIMO, OMNIUM BONARUM DISCIPLINARUM VEXILLARIO, S. P.

ECCE tibi annotationes nostræ obstrepentes accedunt, rudes quidem et impolitæ, ut quæ nobis, velut informis ursæ fœtus, exciderint; quibus lambendo effigiandis, ne unius quidem horæ interspiratio mihi fuerit, at scio non continuo defuturos vitilitigatores, sed complures in me, ὡς ἐπὶ γλαῦκα τὰ ὄρνια, impetum facturos; quoniam sunt multi, tam inhumano pravoque ingenio, ut, ante quam has nostras viderint lucubrationes, damnaverint, carpserint, et adunco naso suspenderint, cælibes videlicet, sine talionis metu alienas uxores corrumpentes. Qui quum nihil ex se gignere queant, magnam sibi gloriam credunt aucupari, si clanculum inter ipsorum similes studiosorum labores suggillent. Verum hos, tamquam Melitæos catellos vestimentorum infimas lacinias, ut quæ superiora contingere nequeant, lancinantes, despicere constitui. Ea enim patientia obcallere destinavi, ut ne acerrimos quidem, nedum leviusculos oblatrantium morsus admittam: nihil enim unquam egregium pariet, qui blateratorum aculeos formidaverit; quoniam fortes egregiosque conatus nunquam non momus insequitur.

At qui candido integroque judicio pronuntiare volent, censebunt profecto nos indignos, qui vel levissime, si nostrum munus implere nequiverimus, reprehendamur, scientes ad hoc opus non tam sponte et scribendi libidine, quam necessario, et coactos accessisse, fuisseque hæc nostra temporis potius furta, quam studia: atque hoc totum fere opusculum in lectulo jacentes, nec mediocri febre complicitos elaborasse, et sic plura fortasse præstitisse, quam Bartholomæum Fontium, quam Benedictum Philologum, qui quum summam, ut ipsi credebant, curam diligentiamque huic operi castigando adhibuissent, non ipsum modo poema corruptissimum reliquere, verum et Argonautarum catalogon, quod pudendum est, ex Apollonio, atque Orpheo non intelligentes, nomina appellativa pro propriis interdum posuere, quod auctores græcos legenti facile constabit. Taxabunt nos aliqui pressius et adstrictius, nulloque sermonis lepore, hæc condidisse, quo lectoribus delicatis materia alioqui ingrata lenocinaretur. At mihi, quamvis fuisset consilium hæc hilarius, exsultantius, et luxuriosius componere, tamen nec otium, nec tempus suppetisse asseverabo, satisque fuisse δίκην qualicumque Minerva in tam iniquo temporis curriculo exarasse contendam, quum præsertim res ipsa levior sit, et quæ *contenta doceri*, ut cum Manilio loquar, ornatum aspernetur, nullamque admittat facundiam. Alii hinc maledicendi sument occasionem, quod citaverim multos, quorum opera non exstent, scriptores, sed quos ab interpretibus Apollonii, Pindari, multorumque aliorum citatos viderim. His ego Janum Parrhasium, virum sane eruditissimum, aliosque permultos opponam, qui id priores fecerunt, meque fastidiosi et perdelicati lectorum stomachi rationem habuisse dicam, qui non mediocriter offenderentur, si quoties cujuspiam id genus auctorum testimonium advocarem, interpretem etiam, a quo citatur, appellarem. Admodum pauca nonnulli dicent esse, quibus inter omnia, quæ adnotavi, sine formidine ausint lectores

accedere : at ego satis mihi fuisse dicam, si ex septuaginta circiter locis, quatuor aut quinque, vel si hoc nimium est et immodicum, unum et alterum, ita docti comprobarint, ut nullus contentioni locus relinquatur; nec etiam parum est, in tantis tenebris, vel duobus locis candorem suum reddere, nam si vel tantulo auxilio, multi ex studiosis Valerio opitularentur, fieret fortasse, ut propediem non vulneris modo nullius, sed ne cicatricis quidem ullum reliquum esset vestigium : crebro enim jactu, ut dicitur, jacitur aliquando Venus. Quare malevolorum nugas, ineptiasque vere dixerim ineptissimas, qui aut odio, aut invidia et livore obcæcati, nulli non detrahunt, facile contemnens, tui modo judicii calculum exspectabo, qui si mihi adjectus fuerit, quidquid alii garriant, velut e portu securus aspectans, despicabor. Vale, omnium bonarum literarum decus, nostrique sæculi ornamentum clarissimum.

ELOGIUM

DE LAUR. BALBO LILIENSI ALFONSI MATAMORI LIB. DE DOCTIS HISPANIÆ VIRIS, TOMO II HISPANIÆ ILLUSTRATÆ.

LAURENTIUS BALBUS Liliensis, ut ingenio præstans, ita ingenio fuit uberiore: Commentarios perquam eruditos in VALERIUM FLACCUM conscripsit, testes certe eruditionis singularis et memoriæ stabilis ac firmæ, quæ plurimum in eo viro eminuisse dicitur; sed linguæ græcæ cognitione (cujus fuit sine controversia doctissimus) auctoritatem sibi majorem et ingenii commendationem est consequutus.

EX BIBL. HISPANIÆ AND. SCHOTTI ANTWERP.

LAURENTIUS BALBUS cognomine Liliensis, in ipsa nascentis Academiæ Complutensis infantia, Demetrii Cretensis (cujus exstat de raptu Helenæ poemation græcis versibus heroicis) et Ferdinandi Pintiani assiduus auditor fuit. Hoc Salmanticam evocato, una cum Petro Motta poeticam docuit, carmen ipse pangere non infeliciter solitus, græcarumque literarum in paucis peritus. Q. itaque Curtium Rufum de reb. Alexandri M. ad Aldinum exemplar componere anno ejus sæc. XXIV, supra millesimum et quingentesimum ingressus, post etiam Valerii Flacci Balbi Argonautica cum Apollonio Rhodio committere eo ipso tempore ausus post Sabellicum ac Maserium, a quibus sæpenumero discedit, adnotationes dedit, testes eruditionis, et qua valuit plurimum, memoriæ singularis. Edidit et sua in Val. Flaccum in Belgio, illis non visis, Ludovicus Carrio, Burgensis, His-

pano et ipso patre natus. Juvenis ille admodum in ætatis exstinctus est flore, an amoris telo, an nimis lucubrando, incertum; certe morte præreptum immatura luxit Academia, qui et insolenti opponi Italiæ potuisset:

................et ni mors sæva fuisset,
Rumpereque immanes properassent fila sorores,
Æterna foret hic fama super æthera notus.

ΛΑΥΡΕΝΤΙΟΥ ΒΑΛΒΟΥ ΤΟΥ ΑΙΔΙΕΩΣ

εἰς τὸ παρὸν τοῦ Βαλερίου ποίημα.

Μηδὲ σοφὸς θνατοῖς Φλάκκος φρεσὶ ταῦτα ποίησε,
Μηδὲ βροταῖς παλάμαις βιβλία γράψε τάδε.
Ἀλλ' αἱ Μναμοσύνας κῶραι, καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων
Γνώησαν, καὐτὰ δ' ἁδὺς ἔγραψε Χάρις.

ARGONAUTICÆ EXPEDITIONIS

HISTORIA

A LAURENTIO BALBO LILJENSI E VARIIS SCRIPTORIBUS EXCERPTA.

Jasonis et Phryxi genealogia.

Quatuor fuerunt Deucaliones: unus Minois filius, de quo Pherecydes; alter, de quo Hellanicus; tertius Abantis filius, de quo Aristippus in Arcadicis mentionem facit; quartus vero omnium antiquissimus ex Prometheo Iapeti filio, et Pandora natus, ut scribit Hesiodus: qui primus, Apollonio teste, urbes condidit, et ædes deorum construxit, primusque omnium mortalium regnavit. Is Pyrrham, Epimethei filiam, uxorem duxit, ut testatur Hesiodus in primo catalogon, de cujus nomine tota Thessalia Pyrrha fuit dicta, si Rhiano poetæ Græco fides habenda est dicenti:

> Πύῤῥαν δήποτε τήν γε παλαιότεροι καλέεσκον,
> Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο.
> Accipimus priscis hanc Pyrrham nomine dictam
> Antiqua antiqui de conjuge Deucalionis.

Unde etiam qui ex Deucalionis genere fuerunt, Thessaliæ regnum tenuere, ut scribunt Hesiodus, et Hecateus. Ex Deucalione natus est Hellen, ex hoc Æolus, qui ventorum rationem invenisse dicitur, ut tradit Plinius, VII Naturalis historiæ libro. Ab aliis tamen alius existimatur, quibus magis accedo: tres enim fuerunt Æoli, unus qui in insulis a se denominatis regnavit, atque ex earum fumo ventorum rationes deprehendit; alter qui in Etruria regnavit, cujus

filii fuerunt Macareus et Canace; tertius vero hic Hellenis filius, cui tres fuerunt liberi, Cretheus, Athamas, et Salmoneus: et Crethei quidem filius fuit Æson Jasonis pater. Salmonei autem filia fuit Tyro, quæ prius Cretheo patruo nupta, Æsonem eum, quem Jasonis patrem diximus, Pheretemque Admeti patrem, et Amythaonem peperit, ex quo et Dorippe natus est Melampus vates, ut describit Derichidas. Postea a Neptuno verso in Enipei fluvii, quem ille amabat, formam comprehensa, Neleum Nestoris patrem, Peliamque Thessaliæ regem edidit. Athamas vero ex priori uxore, quæ Nephele dicta est, duos sustulit filios, Phryxum et Hellen: secundum Herodorum plures, qui ait, eum ex Themisto genuisse Scheneum, Erythrion, Leuconem, Pœum, ultimosque omnium Phryxum et Hellen: ex posteriore vero Melicertam et Learchum filios, filiamque Eurycliam habuit.

De Athamante.

Athamas, priori uxore ex vivis sublata, Ino Cadmi et Harmoniæ filiam duxit uxorem, cujus insidiis parum abfuit, quin privigni occiderentur. Illa enim novercali odio mariti liberos insectata, persuasit indigenarum uxoribus, ut semina coquerent; quumque sequenti anno semen coctum fructus speratos non suppeditaret, Athamas ad Delphicum Pythici Apollinis oraculum sacerdotes misit, qui de ejus mali remedio deum consulerent, verum ab eadem corrupti Athamantis filios ad placandos deos sacrificari, Apollinem postulare nuntiaverunt. Quumque ii, omnibus jam ad sacrificium necessariis rebus paratis, ad aras mactandi admoverentur, Nephele mater superinducta nube eos eripuit, arietemque aureo vellere conspicuum dedit, cui insidentes a novercæ insidiis evaderent; sed quum fugientes pontum transfretarent, Helle muliebri pavore perculsa in mare decidit, atque undis submersa ponto nomen indidit. Phryxus vero in Colchos se contulit, atque ibi arietem, Mercurii consilio, ut Apollonius scribit, Jovi Phryxio sacrificavit; Æe-

d.

tæque regis filiam duxit uxorem, quam ex Græcis Herodorus, et Apollonius, ex Latinis Ovidius et Valerius Chalciopen vocant. Acusilaus vero et Hesiodus ἐν ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις (operis nomen est) Iophossam appellant. Pherecydes in lib. sexto Eueniam scribit vocatam, fuisse autem ei cognomentum Chalciopæ et Ophiusæ: ex ea Phryxus quatuor sustulit liberos, Argum, Phrontim, Melana, et Cithisoron, quem Ephorus Cythorum appellat, addit et quintum Epimenides Presbonem nomine.

De Phryxi noverca.

Causam novercæ in mariti filios odii, alii aliter referunt: dicunt enim, eo quod Phryxus illicitum infandumque novercæ amorem spreverit, ab ea apud patrem incesti tentati insimulatum. De nomine tam matris quam novercæ eorum mira est, et prope ridicula apud scriptores Græcos differentia: plures dicunt Nephelen matrem fuisse, Ino autem novercam: Sophocles in Athamante Nephelen autumat vocatam novercam; Hippias, Gorgopin; Pherecydes, Themisto; Pindarus in hymnis, Demoticen.

De ariete aureo.

Arietem hunc, de quo tam multa Græci fabulantur, multi aureum vellus habuisse narrant, quos sequutus est Orpheus et Apollonius, qui Mercurii contactu aureum dicit effectum, lib. secundo. Simonides vero album interdum, interdum purpureum fuisse dicit. Acusilaus ex mari purpureo infectum colore asserit. Apollonius vocem humanam habuisse scribit,

> ἀλλὰ καὶ αὐδὴν
> Ἀνδρομένην προέηκε καλὸν τέρας.
> vocemque virilem
> Formosum emisit monstrum.

Quod et Hecatæus affirmat. Sunt qui dicant, hoc ideo fictum, quia Phryxus navicula, arietis figuram in prora habenti, na-

vigavit; Dionysius vero Mitylenæus, Crion (quod nomen apud Græcos arietem significat) Phryxi pædagogum fuisse, atque cum ipso ad Colchos navigasse, unde ea omnia ficta esse narrat.

De Jasonis parentibus.

Jasonem omnes ex Æsone genitum affirmant. De ejus matre non usque adeo inter scriptores convenit: Apollonius, et Valerius Alcimeden, Clymenes filiam, fuisse scribunt; Stesichorus, Eteoclymenen; Pherecydes, Alcimeden Phylaci filiam, Herodorus Polyphemen Autolyci. Andron in abbreviatione τῶν συγγενειῶν Thogniten Laodici filiam, Jasonis matrem fuisse autumat. Natus est autem ex his duobus solus Jason, ut sentit Apollonius. Ibycus filiam etiam eis dicit fuisse Hippolyten nomine; Diodorus, etiam filium alterum Promachum appellatum. Fuit autem Jason a Chirone centauro educatus, a quo etiam medicinæ artem didicit, vnde Jason est appellatus. Pindarus, φὴρ δέ με θεῖος Ἰάσονα κικλήσκων προσηύδα, ubi interpres, παρὰ τὴν ἴασιν vocatum dicit, quod etiam Apollonii commentarius confirmat.

De Pelia rege.

Pelias, ut vidimus, Neptuni ex Tyro Salmonei filius, magnam Thessaliæ partem ditione tenuit. Filium habuit Acastum, qui Argonautas comitatus est, secundum Apollonium et Valerium. Orpheus nullam de Acasto mentionem facit. Diodorus quoque in l. V. masculis filiis Peliam caruisse scribit. Filias habuit Alcestim, Amphinomen, et Evadnen, de quibus idem eodem libro. Habuit et Pelopeam de qua Apollonius, l. I. Is quum sortem accepisset, se illius manibus moriturum, quem altero pede nudo ad se venientem vidisset, omnibusque diis, Junone excepta, solemnia forte sacra faceret, Jason ad sacra festinans, Junonem deam sub vetulæ speciem in Anauri ripa invenit, quæ se quidem trans-

ire in ulteriorem torrentis ripam velle, timere tamen simulabat. Eam Jason humeris acceptam transvexit, altero calceo sub torrentis cæno relicto, sicque ad Peliam se contulit. Quem quum rex vidisset, oraculi memor, animo cogitare cœpit, quo pacto mortem illi moliretur. Quumque intelligeret nullam ea tempestate rem esse majoris periculi, quam vellus aureum, quod in templo Martis apud Colchos erat, nepoti persuasit, ut ad id rapiendum eo proficisceretur, auxilium opesque suas pollicitus. Cui quum Jason assensisset, navem jussit fabricari gracilibus clavis, ut scribit Timagetus, quo citissime dissolveretur, omnesque in mari perderet. Cæterum architectus contrarium fecit, cujus rei fide accepta Acastus cum Argonautis navigavit. Alii tamen dicunt Minervæ industria ab Argo Arestoris filio compaginatam, eique navis resarciendæ provinciam injunctam, atque de ipsius nomine Argo fuisse dictam. Phcrecydes tamen ab Argo Phryxi filio vocatam fuisse dicit, alii a velocitate. Fuit autem vocalis et fatidica: nam Minerva lignum in ea ex quercu Dodonea fixit, ut Apollonius, libro I, fabulatur. Postea hæc navis ob memoriam inter sidera collata dicitur.

De Argonautarum profectione.

Jason principum Græciæ juventute collecta ipse omnium dux, ut Apollonius, Orpheus, et Valerius testantur (quamvis Diodorus aliter), navigare cœpit, solvens ex Pagasis, quod Magnesiæ est promontorium, dictum ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ· Demetrio vero Scepsio, ab eo quod multis fontibus irrigatur. Atque ad Lemnon primum applicuit, ubi paulo ante Lemniæ mulieres viros omnes (præter Thoantem regem, a quo Hypsipyle filia manus abstinuerat) internecione sustulerant, eo quod illi uxores aversati, ut ab eis discederent, bellum Thracibus intulerant, quia pessimum earum odorem, a Venere injectum, ferre non possent. Myrtilus tamen secundo Lesbiacorum aliter: scribit enim

Medeam, quum juxta Lemnon Argonautæ a Colchide redeuntes navigarent, præ zelotypia venenum in Lemnon jecisse, quo Lemniis feminis gravissimus atque intolerandus est injectus odor. Argonautæ igitur ad insulam appulsi, passim cum feminis coierunt, benigne ab illis accepti, ut Herodorus, Apollonius, Orpheus atque Valerius scribunt. Æschylus tamen in Hypsipyle, eas in armis egressas Argonautas accessu prohibuisse scribit, quoad illi jurejurando fidem fecerunt, se cum eis coituros. Sophocles etiam in Lemniis, prælium grave inter utrosque commissum scribit; quos sequutus videtur Papinius in Thebaide. Ibi quum Argonautæ deliciis et voluptati vacantes, moræ aliquantum traxissent, ab Hercule increpiti ad Samothraciam navigarunt, ubi Cabiris, ut diximus, sunt initiati. Inde profecti, quum ad Trojam appulissent, Hercules Laomedontis filiam Hesionen, monstro objectam, liberavit, ut et Valerius, et Diodorus affirmant. Apollonius, et Orpheus, nullam ejus rei mentionem faciunt. Inde navigantes ad Cyzicum pervenerunt.

De Cyzico et ejus morte.

Erat autem Cyzicus a Thessalis oriundus. Fuit enim ex Æneo, Apollinis et Stilbes filio, natus, qui, relicta Thessalia ubi fuerat ortus, in Hellespontum se contulit, atque ibi regnavit, et Ænetem Eufori Thraciæ regis filiam uxorem duxit, ex qua Cyzicum genuit, qui Dolionum tenuit imperium in Isthmo et Chersoneso, quæ est in Propontide, juxta quam mons est Arctos nomine, quem semiferi et horrendi gigantes ex terra geniti incolebant, quos etiam Thessalos dicit fuisse Deilochus. Apollonius vero in Herculis perniciem a Junone fabulose scribit creatos: fabulæ a leone Nemeæo genitos volunt. Sed Polygnostus prædones eos fuisse scribit. Hi assidue cum Cyzicenis bellum gerebant. Cyzicus igitur, quum Argonautas sibi cognatione conjunctos didicisset, eos benignissime suscepit hospitio; quum-

que a Cyzico digressi essent Argonautæ, proxima nocte tempestate acti, eodem reversi sunt, quos Cyziceni hostes quum crederent, adversus eos egressi, pæne internecione sublati sunt, inter quos ipse Cyzicus ab Jasone est interemptus, ut et Apollonius et Valerius scribunt; Orpheus, ab Hercule, alii, a Dioscuris. Erat Cyzici uxor, Clite nomine, Meropis Percosii Pityeæ regis filia, sicut narrant Deilochus et Ephorus, quæ quum virum exstinctum videret, doloris impatiens suspendio vitam finivit, ut et Apollonius, libro I, et Orpheus in Argonauticis, et Evanthes, et Deilochus scribunt.

De Hercule ab Argonautis relicto.

Hinc Argonautæ, justis Cyzico solutis, ad Myziam navigarunt, ubi Hylas aquatum egressus, ut diximus, in fontem decidit; quem quum Hercules inquirendo totum montem perlustrasset, diuqne exspectatus non rediisset, Argonautæ moræ diutinæ impatientes, relicto eo, vela fecerunt, ut et Apollonius et Valerius scribunt. Dionysius tamen Mitylenæus ad Colchos usque cum Argonautis navigasse affirmat; idem etiam Demaratus; quod et Diodorus affirmare videtur. Hesiodus vero, in Ceicis nuptiis, in Magnesia relictum scribit. Antimachus in Lyde, eo quod ipsius onere navem gravatam submergendam timebant, relictum ait; quod et Posidippus et Pherecydes dicunt. Ephorus ipsum sua sponte apud Omphalen Lydiæ reginam mansisse testatur.

De Phineo.

Argonautæ vero ad Bithyniam appulerunt, ubi Pollux Amycum regem cæstibus victum obtruncavit. Hinc navigantes ad Phineum regem pervenerunt, Agenoris, secundum Hellanicum, filium, at Hesiodo, Asclepiade, Antimacho, et Pherecyde testantibus, Phœnicis et Cassiopeæ. Hunc quidam in Paphlagonia, alii in Salmydesso Thraciæ regnasse

tradunt: quem Boreæ filii Zetes et Calais ab Harpyiis, ut vidimus, liberarunt, de quo, quia multa apud Latinos invenies, non plura verba faciam.

De morte Idmonis et Tiphyos.

Ab eo digressi, Cyaneas petras, quas et Symplegadas vocant, non sine periculo transierunt, columba duce, ut scribit Asclepiades, et Ovidius in Ibi tangit. Inde ad Mariandyniam venerunt, ubi Lycus Dascyli filius regnabat, qui Argonautas libentissime suscepit hospitio, et quod a Græcis patrem suum Pelopem honoratum sciebat, et quod Pollux Amycum Priolæ fratris occisorem interfecerat. Hic Idmon vates Phœbi filius, aut verius Abantis, diem obiit ab apro vulneratus, ut Nymphis in Heraclea, et Promadites, atque Herodorus testantur, qui eum in Heracleæ foro sepultum scribit. Hic etiam obiit Tiphys, navis gubernator, ut Apollonius, Nymphis, et Orpheus, atque Valerius scribunt. Herodorus vero non euntibus, sed redeuntibus Argonautis, mortuum ait. Hic navis gubernandæ munus mandatum est Ancæo, Neptuni et Astypalææ filio, ut inquit Simonides, attestantibus Apollonio, atque Orpheo: Theotimus Euphemum Neptuni et Mecioniccs filium; Herodorus vero Erginum post Tiphyos obitum navem gubernasse scribit, quem sequutus videtur Valerius: quod fuit in causa, ut et Apollonius, et Valerius, in gubernationis petitione horum omnium meminerint. Defunctis heroibus solutis exsequiis, secundo vento per varia loca ad Colchos appulerunt; et quia multa hic de Æeta, atque ejus filiis dicuntur, non erit abs re, dummodo non sit lectoribus fastidio, nonnullà de iis, quæ varie ab auctoribus traduntur, strictim breviterque narrare. Non enim ad hujus poetæ modo carmina intelligenda, verum ad alios etiam maximum parient emolumentum.

De Æeta Colchorum rege.

Diodorus in quinto, Dionysius Milesius in primo τῶν Ἀργοναυτικῶν, scribunt Solem duos habuisse filios, Æetam et Perseum, quem alii Persen vocant, ac Æetam quidem in Colchide et Mæotide, Perseum vero in Taurica regnasse, atque ex indigenis feminam quamdam duxisse uxorem, ex qua Hecaten susceperit; quæ quum venationis, plus quam muliebrem sexum decebat, esset studiosa, dum in lustris ac montibus diu versatur, herbas invenit complures, præsentanei multas atque efficacissimi veneni, multas etiam saluberrimas. Sed quum natura immitis esset atque crudelis, primum veneno patrem Perseum sustulit, et ad Æetam patruum confugit; cui nupta Circem et Medeam genuit. Epimenides Corinthium genere fuisse tradit Æetam, Sole patre atque Ephyre matre natum; Diophanes vero, libro Ponticarum historiarum primo, ex Sole et Antiope genitum affirmat, cui etiam subscribit Eumelus quidam poeta historicus, ut ex ejus carminibus, quæ subjiciam, intelligi potest:

Ἀλλ' ὅτε δὴ δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο
Ἠελίου καὶ Ἀντιόπης, τότε δ' ἄνδιχα χώρην
Δάσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός·
Ἣν μὲν ἔχ' Ἀσωπὸς, ταύτην πόρε δίῳ Ἀλωεῖ·
Τὴν δ' Ἐφύρην κτεάτισσ' Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν.
Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
Εἰσόκεν αὐτὸς ἵκοιτ', ἢ ἐξ αὐτοῖό τις ἄλλος,
Ἢ παῖς, ἢ δ' υἱωνὸς, ὃδ' ἵκετο Κολχίδα γαῖαν.

Natus ubi Æetas et Alœus sanguine Phœbi
Pulchræque Antiopes; regionem rite suis tunc
Divisit natis Phœbus: donavit Alœi
Quam pater Asopus nitidis circumfluit undis;
Ast Ephyren dedit Æetæ, quam sponte reliquit
Buno Mercurii servandam, dum ipse rediret,
Aut aliquis, natusve nepos ve, aut sanguine tandem
Junctus, at ipse quidem concessit Colchida terram.

Is quum sortem accepisset, se tunc periturum, quum ex-

terni homines navigio ad Colchos vecti vellus aureum sustulissent, effera crudelitate se hospites sacrificare ostentavit, ut divulgata tantæ immanitatis fama, externi omnes ab accessu averterentur. Lucum etiam, in quo vellus aureum erat suspensum, muro circumdedit; quæ et multa alia, quia vulgatissima sunt, consulto prætermitto: postea demum, quum Medeam filiam cum Jasone rapto vellere comperisset aufugere, illos cum magnis copiis frustra est insequutus, nihil enim perfecit, ut vult Apollonius. Dionysius Milesius scribit eum Argonautas consequutum, atque Iphim Eurysthei fratrem interfecisse. Diodorus a Meleagro testatur occisum; Valerius aliud innuit.

De Æetæ filiis.

De filiis, quos Æetas genuit, non adeo inter scriptores convenit, ideoque breviter de unoquoque sigillatim, ut poscet ordo, dicemus. Diodorus, ut superius narravimus, uxorem scribit habuisse Hecaten Persæ filiam, quam alii Jovis dicunt esse; Hesiodus Persæ et Asteriæ, Orpheus Cereris:

> Καὶ τότε δὴ δ' Ἑκάτην Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν.
> Æthereasque Ceres Hecaten emisit in auras.

Bacchylides Nocte genitam fabulatur: Ἑκάτα, δᾳδοφόρου νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ· Pherecydes, ex Aristæo natam. Musæus Jovem ait Asteriam compressisse, et ex se gravidam Perseo tradidisse; quæ postea Hecaten peperit, unde credita est Persei filia, ex hac Circen et Medeam natas Æetæ scribit Dionysius Milesius; Diodorus filium etiam, quem alii Absyrtum, ipse, atque ex nostris Paucuvius, Ægialeum vocat. Alii etiam multi Chalciopen addunt, de qua dictum est. Hesiodus Solis filiam Æetæque sororem, non filiam fuisse Circen scribit in Theogonia. Ejusdem est Apollonius opinionis, qui eam in lib. III ab Apolline patre raptam, et in Italiam curru paterno vectam canit; et in quo Perses et Solis filiam vocat. Orpheus etiam Apollinis et Asteropes filiam dicit: de

ejus nomine Κιρκαῖον πέδιον vocatam scribit Timæus : cujus etiam facit mentionem Apollonius. Quin et de Æetæ regis uxore non parva est dissensio : nam quum multi Hecaten dicant, Apollonius eum Asterodiam Caucasiam nympham duxisse, deinde Idyiam Oceani et Tethyos filiam; Sophocles, Neæram Nereidum unam; Hesiodus in Theogonia, Idyiam; qui Naupactica composuit Eurylyten ait.

De Medea.

Medea Æetæ ex quacumque matre filia fuit, quæ et veneficiis et herbarum cognitione adeo præstitit, ut ne Circæ quidem cedere haberet, natura tamen misericors et ab immani patris crudelitate abhorrens, si Diodoro credidimus. Hæc eo pacto, quo dicemus, cum Jasone, rapto aureo vellere, confugit, atque in Thessaliam Iolchon venit, Peliamque regem, filiabus ejus per speciem pietatis deceptis, interemit; decemque annos cum Jasone concorditer vixit, atque ex eo Dydimum, Alcymenum, Thessandrumque, et Thessalum genuit. Repudiata Medea, Jason Glaucam, seu Creusam, filiam Creontis Corinthiorum regis, uxorem duxit; quam nuptiarum die Medea cum tota simul Creontis regia, missa corona venenis illita, vel naphthæ bitumine, ut Plinius ait, cremavit; filiosque in mariti ultionem trucidavit omnes, præter Thessalum, qui fuga sibi salutem peperit. Jason, quum doloris vim non ferre posset, propria sibi manu mortem conscivit. Medea ad Ægeum Athenarum regem confugit; cui nupta Medum filium peperit, qui postea Mediæ imperavit. Inde expulsa, ad partes Asiæ transiens (ait Diodorus), cuidam clarissimo nupsit regi, ex quo dicunt filium Medum peperisse: multa alii, quæ recensere magis fastidio, quam voluptati lectoribus futurum puto. Hæc non omittenda Latinis forsan adolescentibus non valde nota, eam post mortem in Elysio Achilli nupsisse, quod primus dixit Ibys, post hunc Simonides; et Apollonius: ad

quod allusit Angelus Politianus, vir de literis Latinis optime meritus. Is in Umbra hæc ait:

> Elysium tenet: hic magna venerabilis umbra
> Mutatis pulchram auspiciis sibi Colchida junget,
> Solis et Oceani volventi progener ævo.

De Absyrto.

Absyrtus ex Æeta et Asterodia natus est, ut inquit Apollonius; Sophocles in Scythis, non ex eadem matre natos Absyrtum et Medeam scribit, sed Medeam ex Idyia, Absyrtum vero ex Neæra. Fuit hic ob pulchritudinem Phaeton cognominatus, ut Apollonius, libro III Argonauticorum, et Timonax, Scythicorum II, affirmat. Sunt qui eum Medea natu majorem dicant. Pherecydes in VII a Medea ex lectulo sublatum, et ad Jasonem perductum, ac ut Æetam regem Argonautas insequentem morarentur, dilaceratum. Sophocles in tragœdia, quæ Colchides inscribitur, in patris ædibus laniatum scribit; Apollonius vero, ad Istrum fluvium occisum; Plinius, in insulis, quæ ex ejus nomine Absyrtides nuncupantur.

De amoribus Jasonis et Medeæ.

Quum igitur Jason cum cæteris Argonautis ad Colchos appulissent, Medeam forte ad Phasidis ripam obviam habuerunt. Cui quum Jason adventus sui causam exposuisset, atque ab ea de crudelitate patris esset edoctus, ad preces conversus, fidem de conjugio dedit, si in discrimine ab ea præmonstrato sibi ferret opem. Acceperat ante Jason a Venere Iyngem aviculam, quam Magæ mulieres tantam ad amatoria carmina vim habere credunt, ut omnia venena et unguenta ad amorem excitandum idonea *Iynges* appellentur, teste Theocriti antiquo expositore; et ipse amor *Iynx* a Pindaro dicatur, qui scribit in Pythiis hanc ex Olympo a Venere primum ad mortales allatam, et datam Jasoni, ut ea

simul, et quibusdam amatoriis carminibus, quæ ipsa Venus docuit, Medeam amore ad insaniam usque accenderet. Quod quum fecisset, illa amore correpta, suum ei promisit auxilium, ac statim herbas medicatas et pharmaca quædam dedit, quibus a taurorum igne tutus esset; et eum quid agendum esset docuit. Ille Æetam convenit, ac vellus aureum poposcit; quod Æetas se daturum est pollicitus, si tauros ingentes flammas ore et naribus evomentes junxisset, atque dentes, quos ipse daret, seminasset, hominesque armatos, qui inde pullularent, vicisset. Quæ omnia Jason, Medea opitulante, cum summa sua laude et gloria perfecit. Æetas tamen vellus aureum negavit, ac de Argonautarum cæde tractare cœpit.

De serpentis dentibus.

Erant autem dentes, quos Jason seminavit, non ex eo serpente, qui vellus in arbore suspensum custodiebat, sed ex eo, quem Cadmus in Bœotia interemerat. Nam ut Pherecydes in VII, et Apollonius in III scribunt, Minerva dentes serpentis illius, quem Cadmus in Martis fonte occidit, Cadmo et Æetæ æquis portionibus divisit; et Cadmus quidem continuo, quos ipse acceperat, Martis jussu seminavit, ex quibus plures homines armati sunt nati, qui omnes mutuis vulneribus se confoderunt, quinque duntaxat relictis, Udæo, Chthonio, Peloro, Hyperenore, Echione, quos Cadmus ad condendam urbem socios sibi assumpsit. Ex his gentem quamdam vocatam Spartos, scribit Hippias Delius, et similiter Atrometus. Eorum etiam mentionem apud nostros facit Lactantius Firmianus. Æetas autem suam partem, usque ad tempus illud, quo Jason vellus aureum petebat, servavit, tuncque ei dentes tradidit seminandos.

De vellere rapto.

Nocte proxima, quum Æetas de Jasonis sociorumque cæde

cogitans, Colchorum proceres consulendos congregasset, Medea clam ad Jasonem confugit, eumque ad lucum Martis, ubi vellus aureum in arbore suspensum a dracone servabatur, deduxit; serpentemque semper vigilem magicis cantibus sopivit, et ita Jason vellus aureum rapuit, atque cum Medea in navem se recepit. Hoc et Apollonius, et Antimachus, et Valerius: Pherecydes vero et Herodotus occisum ab Jasone serpentem, sicque vellus sublatum scribunt. Qui Naupactica composuit, Medeam fingit, quum ex patris domo fugeret, secum aureum vellus, quod in Æetæ domo servabatur, attulisse.

De Jasonis reditu.

De reditu Argonautarum, non satis inter Græcos scriptores convenit. Timagetus primo de portubus libro, Istrum scribit ex Germaniæ montibus derivari, et inde in Germaniæ influere paludem, postea in duo scindi brachia, et unum quidem in Germanicum pelagus, alterum vero in Euxinum Pontum deferri, ac per hoc navigantes Argonautas in Etruriam venisse. Hunc sequutus videtur Apollonius, Apollonium Valerius. Hecatæus Milesius per Phasidem in Oceanum evasisse, inde Nilum penetrasse, atque ex hoc in nostrum mare pervenisse asseverat. Id Artemidorus Ephesius falsum esse convincit, siquidem Phasis fluvius Oceano minime infunditur: idem et Eratosthenes in tertio Geographicorum confirmat. Scymnus autumat, per Tanaim navigantes in magnum mare, inde in nostrum venisse. Hesiodus autem, et Pindarus in Pythiis, et Antimachus in Lyde, per Oceanum dicunt eos ad Libyam appulsos, navem humeris vehentes in mare nostrum exiisse. Sophocles in Scythis, et Callimachus, atque Herodorus in Argonautis, eadem, qua Colchos petierant, reversos aiunt: unde hi, qui ex Colchis in Adriam venerunt Argonautas vestigantes, eos non invenerunt; qui vero per Cyaneas petras navigarunt, eos in Corcyra insula invenerunt.

De Jasone et Medeæ nuptiis.

Valerius Jasonis et Medeæ nuptias in Peuce insula fieri incœptas esse scribit, inopino autem Absyrti adventu turbatas et interruptas; Timæus, et Apollonius libro quarto, atque Orpheus, Corcyræ scribunt. Dionysius Milesius, in secundo Argonauticon, Byzantii, Antimachus in Lyde, prope fluvium dicit Jasonem cum Medea coiisse. Philetas, in Telepho, in Alcinoi domo celebratas ait. Timonax, vero Siculorum primo, in Colchide scribit Medeam ab Jasone ductam uxorem, non sine patris Æetæ voluntate. Refert autem idem monstrari juxta Pontum hortos quosdam Jasonios vocatos, ex quibus ipse discessum fecit, et in Æea gymnasia quædam, et thalamum, in quo Medea Jasoni nupsit, et prope urbem sacellum Jasonis, et multa alia. Hæc ex Apollonii interprete. Cætera vero, quæ de Argonautarum in Thessaliam reditu a Græcis scriptoribus traduntur, consulto prætermisimus, tum quia ad Valerii nostri opus intelligendum, non multæ frugis sunt, tum ne ἐγχειρίδιον hoc, in quo breves esse laboravimus, volumen justum excederet.

PHILIPPI SBARROIÆ

CORDUBENSIS,

AD

LAURENTIUM BALBUM LILIENSEM,

IN NOVAM HUJUSCE OPERIS RECOGNITIONEM,

CARMEN.

Dum docet insanùm navis quæ prima profundum
  Abscidit, et lignis cedere fecit aquas,
Et canit ereptum divino pectore Flaccus
  Vellus, et Æsonio monstra subacta duci,
Immensum Oceanum, pelagusque innabile condit,
  Monstraque sub cæcis mille recondit aquis.
At tu, Laurenti, famam cui sæcula servant,
  Nesciet et nomen tollere tempus edax,
Per mare inexpertum, per monstra incognita puppim
  Ducis, et incertis das nova vela Notis :
Humanæ non mentis opus! præfecit, opinor,
  Sed te tanto operi conscia cura dei.
Ambiguum est igitur superisne auctoribus, anne
  Jure tibi tantus sit referendus honor :
Sed tibi, qui acceptam sublimi ex æthere mentem,
  Non tibi, sed nobis vis habuisse magis.

IN LAUDEM

LAURENTII BALBI LILIENSIS

POETÆ AC ORATORIS CLARISSIMI

CONSTANTINI FONTII

SILVA.

Corytias umbras, ludis si forte sub illis,
Pieridumque choros fugiens, et Phocidis undas,
Huc propera, Pæan: plectro cantuque sonoro
Versibus indulge; non quo dux horridus olim
Mulcebas tauros, Admeti captus amore,
Sed quo, cantatæ fierent dum mœnia Trojæ,
Cogebas muris Phrygiis accedere saxa.
Tu quoque sopitis aspira cantibus, Evan,
Et conjuratæ veniant in carmina vires.
Nam non parva cano, parvo nec numine digna,
Sed quo veloces properent a fonte sorores.
Notus in Hesperio canitur Laurentius orbe,
Qui vix egressus primos feliciter annos,
Non satis esse putat nostris contermina terris
Litora paulatim Latia lustrare carina;
Ad freta quin etiam cunctis impervia nantis
Dirigit ille ratem, Scythicasque ad Phasidos oras,
Garrula ubi puppis, nullo ducente magistro,
Mergitur, et periit ventis agitata malignis.
Exclamant nautæ, tolluntque ad sidera voces,
Plorantes Tiphym jam Tartara nigra videntem.
Tiphys adest alter, nulla est jactura prioris,
Qui regat, et ducat nullo discrimine puppim,
Per Scythica soras, per concurrentia saxa,

Per rabidam Scyllam, perque invia saxa Capharei,
Per freta nunc primum viridi snlcata carina.
Vos ergo, heroes, læti jam vellere capto,
Plandite (nil snperest), et tendite carbasa ventis.
Tu quoque nnnc gaude, qui regna nigrantia cernis,
Flacce, Antenoreæ non ultima gloria terræ:
Qui laceratus eras, atraque in nocte sepultus,
Integer et comptus clara jam lnce frueris.
Balbus adest alter, Balbnm qui vivere fecit.
Adde, quod et nautas, atque horrida bella canendo
Te sequitur, similis ne sit tibi nomine tantum.
Sen libeat blandis elegis cantare pnellam,
Callimachus cedet, cedes quoque, Musa Philetæ:
Ludere seu salso placeat epigrammata versu,
Lncilli taceant, et carmina vatis Iberi.
Hunc, hunc, Thespiades, vestro qui doctus in antro,
Æternnm faciet vestrnm per sæcula nomen,
Hunc servate din: nam ni mors sæva propinquat,
Rumpereque ingratæ properant ni fila Sorores,
Hic erit æterna fama super æthera notus,
Hesperiæque dabit non infima nomina terræ.

PRÆFATIO

PHILIPPI ENGENTINI.

CANDIDISSIMO JUVENI

PAULO RICHART HAGENOENSI,

PHILIPPUS ENGENTINUS

S. D.

Institutum tuum, mi Paule, civilis illa procella nonnihil remoratur, quod tamen cum multis commune habes. Conspirasse videtur orbis ad exstinguendas literas, divino sane beneficio nuper restitutas: sed ita fit in rebus humanis, ut nulla præclara diu consistant. Quum igitur in hoc turbulentissimo salo navigandum sit in barbariem, volui tibi proponere invictissimos Argonautas, qui abunde docebunt te, quam sint fortiter ferendi rerum casus. Accipe igitur Flaccum, quantum licuit, a me emendatum, et in singulos libros argumentis illustratum, eumque tibi familiarem facito, ut periculosa hæc tempora aliquando vel legendo fallas. Nolui esse longior quod alioqui tenet insanabile multos scribendi cacoethes et ægro in corde senescit. Vale. Friburgi, in mediis militum gladiis; mense maio, anno MDXXV.

LUDOVICI CARRIONIS

DEDICATIO.

LUDOVICUS CARRION BRUGENSIS,

NOBILI, GENEROSO, ET ERUDITO VIRO,

D. JACOBO PAMELIO,

SACRARUM LITERARUM LICENTIATO,

ET ECCLESIÆ BRUGENSIS CANONICO,

S. D.

Si eorum institutum, vir ornatissime, qui suam operam, studium, et diligentiam, ad reipubl. virtutes illustrandas, atque augendam utilitatem, publice privatimque conferunt, merito admirari, et passim prædicare consuevimus; tu profecto mihi præcipua prædicatione dignus videris, qui omnem cogitationem perpetuo in optima discendi docendique ratione posuisti. Quum enim (si Platoni credimus) et amicis, et patriæ, et parentibus nati simus; quo, quæso, patriam, quæ omnes omnium, teste Cicerone, caritates complectitur; quo amicos, quorum beneficio hanc ipsam ducimus; quo denique officio parentes, quibus hoc quod sumus acceptum ferre oportet, potius nobis devinciemus, quam si aliquid relinquamus, quo nos aliquando non omnino otiosos vixisse testemur, ne ulla oblivione vitæ beneficium, quod ab ipsis accepimus, unquam opprimi patiamur, sed potius memoriam ejus quam latissime proferre studeamus? Tanto autem magis sapientibus viris id probari intelligo, quanto majorem

fructum ea res adfert communi vitæ; optimum enim quemque summa ope niti decet, ut reipubl. cui natus est, quam maxime prosit. Proinde tu mihi præclare sensisse videris, qui nullis sumptibus, nullis laboribus parcendum duxisti, dum aliquando grati civis officio defungaris, et tot veterum theologorum monumentis conquisitis (quæ partim a te edita sunt, partim edentur postea), Brugas tuas amplissimis et nunquam intermorituris meritis ornes. Nam eorum consilium nunquam laudare potui, qui novos in dies, alius post alium, nobis libellos certatim afferunt, e quibus nec in rempubl. utilitas ulla, nec in auctorem ipsum dignitas aut gratia perveniat. Mea sic est ratio: dum nova quotidie excuduntur, et iis, quæ ne umbram quidem habent antiquorum auctorum, tanquam ad Sireneos scopulos consenescentes immoramur, non parum antiquitati, quæ multo amplius vidit, derogari existimo. Quibus enim propter solam novitatem aurium opera dari consuevit, ea primo quidem gustu utcumque tolerantur: cæterum repetita haud jam ferendum fastidium afferunt. Atque hinc fieri credo, ut tot proletarios et capite censos, liceat iis verbis uti, scriptores hodie habeamus; classicum vero et posteritate dignum vix unum atque alterum. Ego, mehercle, qui tam bene humanioribus studiis cupio, quam qui optime, nolim quidquid unicuique vel per somnium in mentem venit, protinus posteritati commendari, sacrosanctumque haberi: quæ tamen consuetudo adeo invaluisse videtur, ut periculum existat, ne Veteribus pessundatis, solis neotericis adhærendum sit: id si fiat, quid superest, nisi ut politiori literaturæ epitaphium scribamus, postea nunquam revicturæ? Mea quidem sententia omnibus optandum esset, nisi plerique mortales, insano quodam sui amore sursum ac deorsum rapti, a pietatis ac officii religione declinarent, ut qui ita scripturiunt, homines cæteroqui frequenter et eruditi et diligentes ad Veteres eruendos ac emendandos totos sese conferrent. Detraheretur quidem non nihil librorum multitudini, quæ jam, sicut ille inquit, magnitudine

laborat sua, sed non ideo non maxima optimorum remaneret copia; et tot scriptores omni invidia superiores paullatim expergiscerentur, tanquam a gravi et diutino somno excitati: quod facile fieret, puto, si principum pollicitatione ac favore præclara ingenia huc incitarentur. Quod ita in Galliis factum videmus, ut suos eæ habeant Muretos et Lambinos, quos multis in hoc scribendi genere opponere jure possint. Tametsi non negaverim Italos huic negotio conficiundo reliquis omnibus magis semper fuisse idoneos, tum quod Italia studiorum mater sit, quæ literatos singulari quodam animo prosequi solet, tum quod antiquitas omnis ibidem residere videatur. Quotum enim quemque invenias, quem cum Paulo Manutio, si aut excellentem eruditionem, aut eximiam diligentiam spectemus, conferre audeas? Non necesse habeo Victorios et Sigonios nominare, quorum fama et gloria totum orbem terrarum pervagata est: unum illud addam, plus eos ex Veteribus restitutis laudis retulisse, quam alioqui ex multis librorum millibus prodigioso titulo conscriptis referre potuissent. In qua sententia nisi T. D. jam dudum esse cognoscerem, plusculum hac in re et temporis et laboris ponerem. Sed quum animadvertam, ea te studiosos omnes, qui vel mediocrem spem de se concitaverunt, humanitate complecti, ut non solum iis familiariter utaris, verum etiam consilium, facultates, ipsam denique vitam cum illis communem esse velis, quorsum attinet tecum pluribus agere? id enim si facerem, plerisque adulari magis, quam ex animo loqui censerer, qua suspicione, moriar, si quidquam mihi molestius aut gravius contingere potest, præsertim quum me adeo tibi obæratum esse sciam, ut vel capitis hujus auctione facta solvendo esse nequeam. Quod quum non possem, nisi ingratissimus esse vellem, dissimulare, variis hinc inde deliberationibus mature habitis, in eam tandem veni cogitationem, satius esse alieni æris dissolvendi dilationem, quam toties debiti condonationem impetrare. Plerumque enim usu eve-

nire solet, si quando creditorum debitores conspectum fugiant, nec ipsi ultro eos accedant, ut infitias meditari judicentur. Hoc ne mihi contingeret, opere maximo semper cavendum duxi. Huc accedit, quod te, quum Lovanium venisses (quemadmodum Parthorum regem vir amœnissimi ingenii, Annæus Seneca, non sine munere salutari potuisse memoriæ prodidit), volebam, non nisi cum munere, salutaturus accedere. Quare quum scirem vivacibus ingenii laboribus, qui mortales ab oblivione vindicant, et immortalitati asserunt, magis, quam divitiis brevi momento perituris te delectari, cœpi tandem excutere schedas meas, et papyraceum aliquod munusculum quærere: quumque varia sese offerrent et poetarum et oratorum scripta, quibus refici mirifice soleo; nihil commodius, nihil T. H. dignius occurrit (si quidquam tamen ea dignum esse potest) Commentario, quem in Valerium Flaccum subsecivis horis tum claborabam. Nam si quo tempore a juris studio feriandum est, libenter totum id in hisce amœnioribus poetarum monumentis consumere soleo. Si quis vero sit, qui omnem in hoc castigando operam lusisse me, et bonas horas male occupasse dicat, sciat is tanti hunc ab omnibus habitum fuisse, ut non defuerit homo acerrimæ censuræ, cujus nomen in Politiani ore perpetuo habitare solet, Gervasius Amœnus, qui hunc secundum a Virgilio poetam fecit, Apollonium vero et Orpheum, si tamen ejus Argonautica sunt, longo intervallo post se relinquere asserat. Taceo Baptistam Pium; is ita pusillum, ejus verbis utar, Flacci aurum magno præstare Apollonii orichalco affirmat, veluti unio parvo quidem, sed pretioso corpore, magnis præstat arenosisque lapillis. Quid autem hic non efficere poterat, si justam ætatem attigisset? qui illa, qua vix doctiores etiam balbutire latine incipiunt, ea reliquit, quæ superbæ Græciæ in suas laudes effusissimæ Romam merito objicere posse doctissimi quique graviter censuerunt. Nemo enim est aut recentiorum aut vetustiorum, cujus scripta alicujus momenti

leguntur, qui ante hanc ætatem decessit. Nam Lucanum, et si juvenis periit, XXVII annum excessisse manifestum est; an vero ille huic anteponendus sit, eam deliberationem hic omitto. Martialis certe, qui huic nostro amicissimus fuit, et cujus ad eum varia exstant Epigrammata, materia, carminis heroici gravitate, et venustate (prætereo linguæ puritatem, quæ tum paulatim inficiebatur) cedere cogitur, quum tamen Valerius et in reipubl. negotiis occupatus, et quemadmodum ex multis colligimus, consul fuerit: quæ omnia non parum studiorum rationi officiunt. Cæterum non est quod quemquam moveat Plinii Secundi illud dictum, *Quidquid non est peractum, si posteritatis rationem habeamus, pro non inchoato est;* nam si canonis vigorem habere patiamur, cedo aliquem oratorem aut poetam, quem legere et suffragio nostro adjuvare debeamus: de Græcis nihil dicam: inter Latinos sane Lucanum, et, cujus jactura major est, ipsam Æneida, quæ omnem Græciæ fastum retundit, ne quid de reliquis addam, amittemus; sed de his nimis multa. Ut igitur aliquando manum a tabula, ut ille dicebat, dimoveam, quibusvis iniquis harum rerum æstimatoribus, solum Quintilianum oppono, dolentem linguam latinam *multum hujus immatura morte perdidisse;* cujus judicium apud me pluris est, quam multarum centuriarum comitia: adeo poeta noster doctrina, elegantia, et ingenio suorum temporum omnes superavit. Hinc ad te, vir amplissime, quem potissimum hujus operis patronum delegi, me convertam, non quod laudes tuas hic recensere decrevi: absurdum enim videatur majorum tuorum, quorum frequens in nostris annalibus mentio est, præclare facta tam angusto loco pertractare, et tu omnibus notior es, quam ut quidquam dicere debeam, nisi velim soli lucernam, quod aiunt; sed quod illud unum hac in epistolæ parte rogandum esse te arbitror, ut quo animo studiosos omnes amplecti soles, eodem munusculum istud ab homine tui studiosissimo profectum suscipias, et me, ut facis, ames. Lovanii, nono kal. octob. anno CIƆIƆLXIV.

LUDOVICI CARRIONIS

PRÆFATIO.

CANDIDO LECTORI S.

DECREVERAM, candide lector, Valerio sexcentis et amplius locis castigato nihil scholiorum addere; non quod eorum consilium, qui in simili argumento elaborarunt, contemnendum existimarem, quum nihil unquam magis laudare soleam; sed quod plerosque ita hodie fastidiosi stomachi esse intelligerem, ut ea, quæ subjungi consueverunt, fessi de poetarum lectione, rejiciant, ac velut nauseabundi respuant. Huc accedit, quod in scriptorum interpretatione, molestiæ plurimum, minimum vero laudis situm esse non ignorarem; atque adeo vix fieri possit, quin alicubi aut in audaciæ, aut in temeritatis, aut in aliam denique calumniæ notam incurras, præsertim si eorum opiniones, qui in his enarrandis somniarunt, refutare constitueris: quas ego primas hujus negotii partes esse statuo. Hæc atque alia, quæ ad hanc rem valde incommoda fore videbantur, etsi amicis meis, summa contentione id a me petentibus, objiciebam; importunæ tamen eorum flagitationes effecerunt, ut verissimum illud Comici esse crederem, *nunquam ita quemquam bene subducta ratione ad vitam fuisse, quin res, ætas, usus, aliquid semper apportet novi;* quod nunc mihi sic evenisse sentio, ut consilium, quod obfirmato animo mecum inieram, in experiundo repudiare, abjectum vero suscipere cogar. Dedi itaque aliquid familiaribus amicorum precibus, dedi et rationi, quæ optimum esse dictabat, erranti (ut est apud Ennium) comiter viam monstrare. Exstarent

B. Egnatii commentarii, aliorumque annotationes, non esset fortassis jam necesse cum tot diversis diversorum opinionibus conflictari, et ea quæ B. Pius, Sabellicus, Pomponius Lætus, Politianus, Janus Parrhasius, Volscus, Scoppa, atque adeo Maserius (ut ne grammaticos afferam) commenti sunt, jamdudum tacita omnium consensione, ut approbata, aut rejecta fuissent: nunc quum nihil illorum præter jactantiam quamdam (quod ad hunc poetam attinet) ad nos pervenerit, non abs re futurum arbitror, si paucis, quid de iis censendum sit, aliquando aperiam, quæ mihi hic sane prima erit cura: secunda vero, ut variantes lectiones, quo lectori suum maneat judicium, indicem, quæ colligi potuerunt tam ex vulgatis libris, quos in progressu nominabo, quam ex veteri manuscripto codice, quem ante sexcentos annos conscriptum fuisse gravissima multorum judicia confirmarunt, quibus quantum hac in re tribuendum sit, tum demum, lector, agnosces, quum suam de antiquitate censuram, quod brevi futurum spero, in lucem prodire patientur. Postremo interpretum opiniones inter se opponam, et quid dicendum videatur, ostendam; ubi et meam et aliorum doctorum virorum sequar sententiam: sed jam expositionem aggredior.

LUDOVICI CARRIONIS

PRÆFATIO ALTERA,

EDITIONIS ANNI 1566

AD NOBILEM, GENEROSUM ET ERUDITUM VIRUM,

JACOBUM PAMELIUM, ETC.

IN C. VAL. FLACCUM.

Si eorum institutum, qui vel factis, vel consiliis suis operam reipubl. gnavant, non præsenti tantum gloria, sed etiam posteritatis memoria celebratur; est profecto, mi Pameli, cur te præter cæteros admiremur, qui in utraque hac ratione sic in republ. nostra Brugensi es versatus, ut neque privata tua opera civibus, non officium amicis, non consilium patriæ defuerit: quæ quidem a te merita jam ita habet multa, ut, quum sapientissimi viri judicaverint, patriæ et parentibus, quibus nati sumus, nullo nos modo satisfacere posse, tamen hoc vere mihi videar dicturus, rempubl. tuam habere a te, si non plus quam debitum sit (vereor enim ut hoc satis pie, etsi vere possim dicere), plus certe quam postulatum sit. Nam, ut omittam de reliquis privatis publicisque meritis tuis recordari, quid in hac afflictæ reip. Christianæ ruina, aut re utilius, aut ad memoriam gratius, patriæ tuæ præstare potuisti, studio illo tuo, quod in veterum theologorum monumentis conquirendis, et conquisitis edendis, multos jam abhinc annos constanter ponis; atque ita ponis, ut neque sumptuum, quos in hanc rem facis immensos, neque laboris, quem suscipis prope infinitum, rationem ullam habeas aut modum. In quo tuo tam præ-

claro studio venit mihi nonnunquam in mentem admirari præstantiam non ingenii solum, verum etiam judicii. Vidisti scilicet inter tuos prope solus, quanto præstantius esset, et ad veram laudem constantius, in Veteribus illis, auctoritate et doctrina excellentibus theologis, versari, quam, quod quidam faciunt, nova quædam et plerumque auctori suo præmorientia volumina, nescio quæ, meditari. Atque utinam, quod tu, Pameli, in tuo illo graviori studiorum genere cum immortali tua laude facis, idem præstetur in humanioribus literis a cæteris! nihil esset, quod quereremur juventutem novis istis, et plerumque ne umbram quidem antiquitatis habentibus libris, a Veterum lectione non sine suo et studiorum incommodo demoveri: de quibus alii judicabunt ut, volent et sentient; ego, mehercle, qui tam cupio politioribus literis, et earum studiosis omnibus, quam qui maxime, tantum abest ut hanc scribendi rationem probare possim, ut nihil mihi sit hoc hominum genere exosum magis.

Atqui, mea sententia, optandum esset, ut qui ita scripturiunt, homines cæteroqui frequenter et eruditi et diligentes, ad Veteres eruendos ac emendandos, ingenium industriamque suam conferrent: consulerent illi quidem melius et rei literariæ, et si quid etiam id ad rem pertinet, gloriæ suæ; et certe detraheretur nonnihil librorum multitudini, quæ jam magnitudine laborat sua. Equidem ante annos ita multos, princeps hanc castigandi laudem amplexa suo jure Italia est; ut, ex qua humanitas ipsa in has derivata regiones esset, ex ea hæc studia nostra, quæ ab humanitate nomen habent, non initium modo sumerent, sed etiam incrementnm. Sed ut ea reliquis omnibus religionibus hac laude præcelluit, sic admirabile est, quantum in ea ipsa, una Manutiorum familia omnibus omnino in hoc genere ingenio, diligentia, judicio et tempore præstiterit: de qua sic aliquando statuere soleo, ut Deciorum nomen reipubl. conservandæ, sic Manutiorum fatale esse rei literariæ resti-

tuendæ. Horum deinde exemplo excitati Galli, tanta industria, diligentia, studio in eamdem laudem incubuerunt, ut temporum quidem intervallo superentur ab illis, doctrina certe vel æquent vel superent : unum Manutium excipio, quo equidem homine nihil statuo fieri posse elegantius. Nam cum reliquis in hoc genere omnibus non vereor, ne Mureti, Turnebi et Lambini non facile contenderint. Germani, et serius hanc scribendi rationem attigerunt, et minime multos, qui eam excolerent invenire potuerunt : siquidem quum numerosæ illi poeticæ magis dediti viderentur, ita in ea cæteris sese præstare studuerunt, ut omnem aliam disciplinam tantum non negligerent, si Sambucos, Camerarios et Fabricios excipias. Belgæ vero nostri, ut postremi, hoc studii genus amplexi sunt, ita mirum dictu, quantum quam brevi tempore in eo excelluerint! Quid enim de Laurinis et Golthiis, quos honoris caussa nomino, dicam? de quibus si quando quid sentiam interrogor, ita respondere soleo, prope solos facere, ne Brugæ nostræ, quidquam aut Gallis aut Italis invidere debeant.

Omitto Junios et Langios, quorum fama et gloria totum orbem terrarum pervagata est : unum illud addam, plus eos ex Veteribus restitutis laudis retulisse, quam alioqui ex multis librorum millibus prodigioso titulo conscriptis referre potuissent. Quam sententiam, mi Pameli, nisi et te viderem amplexum, esset causa, cur in prædicandis horum virorum laudibus essem facundus : quis enim id non posset? sed quum et ipse in dissimili studio similem tamen viam sis ingressus, atque eos omnes, quorum eminet vel ingenium vel doctrina, ad eamdem rationem exemplo et cohortatione tua provoces, quid attinet me in hanc sententiam longam orationem comparare? præsertim quum et ego, cujus tu ab adolescentulo nascentibus studiis præfuisti, hanc eamdem castigandi rationem, te duce atque adeo auctore, annis jam abhinc aliquot, sim sequutus : in qua, quam feliciter verser, nescio; quam vero diligenter, hunc Valerium meum apud

te volo esse testem. Quem non idcirco tantum in tuo nomine apparere volui, ut esset pro multis tuis in me meritis qualiscumque remuneratio; sed multo magis, quod æquum esset, ut ejus potissimum auctoritati laborem hunc meum inscriberem, cujus auctoritate ad eum suscipiendum essem impulsus. Atque ad hoc grati animi mei indicium, Valerium elegi potissimum, non tamquam munus maxime te dignum, sed quod tum forte in poetam illum subsecivis horis, ut fere soleo, siquando a gravioribus studiis otior, nescio quid scholiorum meditabar: sic ut non delectum a me munus, sed sumptum sit id, quod erat promptissimum. Si quis porro ita iniquus est scriptorum æstimator, ut in hoc auctore castigando, operam me lusisse existimet; huic quid aliud quam doctorum judicium opponam? quod quidem de hoc nostro ita est honorificum, ut non defuerint acerrimo judicio homines, qui hunc etiam Græcis illis, Apollonio et Orpheo, ingenii felicitate et heroico spiritu longe putarint præponendum: vere an secus, nihil disputo; sed hoc certe ipso, hujus nostri præstantia apparet, quod quum tam egregiis artificibus mereatur vel comparari.

Atque hoc quidem eo admirandum est magis, quod hæc omnia ea ætate felicissime præstitit, qua alii tantam rem vix animo potuissent atque cogitatione complecti: quem nisi jam destinatum summæ gloriæ mors immatura sustulisset, quantum tandem latinæ linguæ maturo judicio et doctrina erat allaturus, qui tantum attulerit in impetu illo juvenilis et vixdum confirmatæ ætatis? Sed hæc de auctore, plura et quam vellem, et quam necesse sit: quem nisi librorum, quos reliquit, elegantia, et Quintiliani judicium ab iniquorum calumniis vindicent, nos frustra vindicare conamur. Ad te, vir ornatissime ac doctissime, convertor, nihil quidem de laudibus vel tuis, vel majorum tuorum, quorum frequens in annalibus nostris mentio est, dicturus; sed hoc unum in hac epistolæ parte a te petiturus, ut, quo animo et humanitate studiosos omnes complecti soles, eadem munus

hoc, ab homine tui studiosissimo profectum, suscipias: in quo, si industria tibi mea probata fuerit, optandum quiddam consequutus sum; sin minus, tamen hoc me consolabor, quod mihi ad benefaciendum sciam non voluntatem, sed vires defuisse.

LUDOVICI CARRIONIS

PRÆFATIO TERTIA.

LUDOVICUS CARRION JACOBO PAMELIO SUO

S. D.

Superiori anno, mi Pameli, quum subitam quamdam nactus opportunitatem, in Italiam, ut scis, proficisci cogitarem; et tamen Valerium Flaccum, quem infinitis locis castigatum, scholiisque a me illustratum, sub prelo habebam, ante meum hinc discessum in lucem sub tuo nomine exire vellem; factum est et nimia librariorum festinatione, et ejus, cui describenda dederam, negligentia, ut pro veteribus erroribus sublatis, novi succrescerent, et veteres non omnino omnes tollerentur: quod quum gnaviter et inique ferrem, tamen illud mihi accidit longe gravius, quod nonnulli ex hac librariorum sive festinatione, sive incuria, occasionem calumniæ nacti, in me et meum nomen temere sunt invecti; ut de quorumdam impudentia omittam conqueri, qui non veriti sunt ex his meis commentariis multa meo indagata labore suis scriptis inserere, atque ea tamquam propria edere. Itaque quum destinatum in Italiam iter, ne-

gotia quædam mea familiaria, ut multa concurrunt, retardassent; et quævis mihi satis justa causa ulciscendi doloris mei videretur, cœpi iterum de nova editione non cogitare tantum, sed etiam ita diligenter, indignatione, ut fit, stimulante, in ea adornanda laborare, ut paucis diebus quidquid ad eam rem pertinebat, absolverem: quam tamen hactenus apud me abjectam jacere passus sum; non quod de librarii diligentia et industria mihi diffidendum putarem (sciunt enim omnes, quanta is cum fide in aliorum scriptis versetur), sed quod ita a prioris illius editionis memoria abhorrerem, ut molestum mihi esset quidquid ad eam cogitationem faceret. Cæterum quum accepissem Christophorum Plantinum, virum mehercule natum ad hæc studia juvanda, et quum studiosis omnibus, tum mihi amicissimum, poetas omnes nova libri forma excudere velle; sumpsi iterum hanc molestiam, ut eumdem auctorem perlegerem, et cum veteri illo codice meo, quem ante annos sexcentos conscriptum multa sunt quæ declarent, diligenter conferrem: quod dum sedulo facio, etsi non ita multo meliori judicio, meliori certe otio, vix credas quam multa nunc sustulerim, nunc addiderim; et dum non pauca, quod in recognoscendo fieri solet, muto, quam omnia pæne nova fecerim: ut illud certe, vereor ne nimis de me ipso arroganter, vere tamen dicere possim, hunc poetam mille amplius locis tum mutilatum, tum deformatum, mea unius nunc opera sic esse purgatum, ut ex errorum illorum multitudine vix decem invenias reliquos; atque omnes tantum hujusmodi, ut sine librorum manuscriptorum ope corrigendi ne spes quidem sit: quos certe in toto hoc nostro Belgio, præter illum meum, reperire adhuc potui nullos. Redit itaque ad te tuus Valerius Flaccus: cur enim tuum non appellem, qui mancipio et de manu in manum traditione ita tuis accessit facultatibus, ut nulla lege sine tuo facto abs te abalienari possit? In scholiorum autem locum, quæ propterea omisimus, quod ne formam libri excederent, vereremur, subjunximus has ca-

stigationes nostras: quibus tantisper contentus eris, dum justum commentarium, quem in hunc poetam scripsi, recognovero. Vale. Lovanii, anno Domini CIƆ IƆ LXVI, III kal. julii.

PRÆFATIO

EDITIONIS RHOTOMAGENSIS 1612.

V. CC. SPIRITIN ALLEMANDI U. J. D. CASTELLI NOVI DOMINO, IN SUPREMA ARAUSICANA CURIA PRÆSIDI, FELICIA OMNIA PRECATUR.

Silet, ut nosti, vir celeberrime, frequenter forum, et concertatorium nostrum certamen amœniora justitia suscipiunt, nec raro, quibus se magistratus, judices, patroni, ad studia temporibus remissa, et animo retenta, defensionum operis liberati, revocant; ut non præsidium, in quo locati sunt, deseruisse videantur, sed levandi laboris causa, forensibus periculis defessi, volucrum more, opere soluti, libere volitare gestiunt; et aliquando nihil agendo, uti in Scævolam Cicero, libertatem retinent. Hos ego dies suaviores more meo, lectioni Valerii Flacci impendi, sed raptim; nec enim liberum esse penitus patiuntur curæ graviores: feci rogatus; nam Lutetia redeunti bibliopola meus et familiaris et affinis ostendit Valerii Flacci exemplar, quod se dixit typis designasse: accepi, perpendi; et ab eo rogatus, subcisivis operis cursim percurri. Hic, quum ex Latinis poetis pauci graviora vel incuriæ vel vetustatis vulnera patiantur, squalore oppressus, semianimis diu latuit. Tandem Ludovici Carrionis, viri diligentis, opera est factus anima-

tior. Sed quum mollitudo carminis, quæ multos trahit, in hoc poeta, licet ingenioso, plerumque desideretur, ii, quos aurium capiebat superbum illud et teres judicium, aspernabantur: difficultas ex innumeris vulneribus, et mendis nata, æquiores animos deterrebat. Hinc plures asperitatem dictionis divinando potius, quam æquo ullo judicio, mollire et temperare, et defectus supplere nixi sunt. Quorum conjecturas Ludovicus Carrion in notas congessit; quibus ipse prudente industria addidit meliores. Horum nos omnium varias lectiones (quod in omnibus jam fere poetis factum) oræ libri seu margini adjecimus: nostras, non raro, addidimus; quæ erant in annotationibus (qualia multa) inania, penitus expunximus; eatenus et chartæ et sumptui, jam in emendis libris immenso, parcentes. Procliviorem fecit ad hoc studium, par quasi cum poeta voluntas. Hunc forensi strepitu, cui se locaverat, humaniora hæc studia, et strictæ orationis amor, tenui licet fortunarum subsidio, sæpe avocavit. Hic me idem genius, in pari fortuna ab eisdem laboribus ad amœniorem musam traducit. Hanc opellam sic susceptam tibi, v. cl., in dispari et feliciori fortuna consimili tamen studio addicto, dico et sacro: nam ex media divitiarum, quibus ad vitæ usus, immo ad perfruendas etiam (si ad eas natus esses) voluptates, abundas copia, et cura, seria frequenter hæc studia suscipiunt; et a magistratus functione, quam laudatissime sustines, non raro te lenior hæc Musa revocat. Accedunt plura tua merita: nam quæ civibus carum officia reddant, in civitate tua per te gesta loquuntur; patriæ, quæ in alma urbe suscepta et effecta, et quæ quotidie apud vicinas provincias fiunt, et quæ, procellosis maxime temporibus, facta sunt, nota jam satis. In me tua privata benevolentia, tacenda potius est, quam paucis narranda. Accipe ergo meridiationem hanc sub canicula datam, tibi, scio, jucundam; liberis tuis, quos in scholis liberaliter adhuc alis, aliquatenus forte utilem: et uti auctorem facis, eamdem protege. Vale.

J.

JUSTI ZINZERLINGI

DEDICATIO

GENEROSO ET NOBILISSIMO JUVENI, DN. MATTHIÆ STEINPACH A STEINPACH, DYNASTÆ IN FELIXBURG ET EBERBERG, EQUITI BOHEMO.

ARGONAUTARUM expeditionem, generose et nobilissime juvenis, typum peregrinantium exhibere non inepte mihi dicere posse videor. Heroes illi, magnamque partem dis nati, adeoque lectissima juventus exisse scribuntur. Non aliter magnis viris cælestia ingenia visa, qui cælum imitantur, et motu hoc sub non uno cælo gaudent: uti contra humiles et terrenæ animæ, quæ vi sua stantes, et veluti innato pondere pressæ, terræ genitrici hærent. Nostri heroes dis auspicibus profecti non ibant ut irent, sed ut vellus aureum in patriam referrent. Qui peregrinatur parili modo, æterni numinis auspicio itineribus institis, id non facit, ut peregrinetur, sed ut cognitis hominum moribus et urbibus, rerum usum veramque prudentiam adeptus, linguas etiam exoticas edoctus (et quos alios fines particulares, alii sibi propositos habere possunt), eo veluti aureo vellere patriam reversus ditet. Iidem Semones per varios casus, rerumque discrimina infinita ferebantur: Cyaneas Scyllæa rabie saxisque Cyclopeis infestiores superandas habebant: cum crudo Amyco, cum Harpyiis depugnandum erat: remoram luxus et deliciæ Lemni in medio cursu injiciebant: Idmon et Tiphys aliquis in itu perdendus fuit: quin, ut multa præteream, juxta vellus aureum venefica Medea, domus suæ

exitium, *majus mari malum*, ut Senecæ dicitur, revehenda. In quis si committam Argonautis nostris hominem peregrinantem, ovum ovo comparatum quivis, etsi non valde lynceus, videat. Ego nunc ei rei hæc tetigi, ut ostendam, me adeo contra decorum non facere, quod Heroas hos maria primum ingressos, a Valerio Flacco cantatos, quis mea etiam opella (quod præfiscine dictum volo) cultus aliquis accessit, homini peregrinanti dedico. Quod tibi vero, juvenis nobilissime, ex tot aliis uni illi se sistunt, ne mireris. Debeo hoc nationi tuæ, ex qua tot amicos, ex quo Academias incolui, obtigisse mihi olim testatus fui, eosque plerosque omnes a tuis dynastiis vix unum alterumque ad lapidem remotos. Debeo hoc, ut propius loquar, benevolentiæ et amicitiæ tuorum, quos profectus hic reliquisti : quis tantum non assiduus et accubuus, dum abes, latero hæsi. Debeo hoc fortunæ, quæ cum Achate tuo, fido pectore, olim in Andibus et Biturigibus mihi cognito, adeoque tecum et cum tuis me necopinantem in hoc gallicanæ insulæ angulo conflixit. Nec igitur ausum hoc meum pluribus excuso. Quin potius deum veneror, ut te, confecto cursu tuo, sospitem et incolumem nobis quam felicissime reducat, ut cui absenti epistolam hanc destino, præsenti reddere possim. B. V. Lugduni postrid. kal. Novembr. MDCXVI.

NICOLAI HEINSII

PRÆFATIO.

NICOLAUS HEINSIUS, DAN. FILIUS.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

INTER scriptores romanos, qui poesin epicam lucubrationibus suis insignitam jam olim reddiderunt (de his loquor, quos majori ex parte salvos ad posteritatem pervenisse, antiquitatis tanto in naufragio, literariæ rei gratulamur), haud quisquam nobis occurrit, quem C. Valerio Flacco jure præferamus, post vere divinum et majorem comparatione omni Virgilium Maronem. Tam concinna omnia ac castigata enitent; tantum artis, ingenii, doctrinæ, tantum orationis citra tumorem clementer exsurgentis, candidæque ac argumento suo paris, illic renidet passim, ut ipso carminis successu summa consequutus videatur, et reliquis omnibus præripuisse palmam facile sit arbitrandus. De cujus tamen meritissimis laudibus non est quod plura nunc a me congerantur, quum scriptor plane eximius majorem aliquanto requirat curam, si pro dignitate sit laudandus. Hunc ego perquam familiarem, lectione identidem repetita, quum jam olim adolescens mihi reddidissem, nec multo post, dum peregrinor per Italiam, atque in Urbe bibliothecam perlustro Vaticanam, quum in membranas Argonautici hujus operis incidissem pervetustas, eas mihi haud negligenter excutiendas proposui, minime gnarus, præter unicum

volumen notæ præstantissimæ, Ludovico Carrioni apud Agrippinates, ut reor, pridem oblatum, alios poetæ nostri codices ab ætate commendandos vix usquam esse hactenus repertos. Quo defunctus labore, quanquam id ipsum exemplar jam ante Joannis Baptistæ Pii usibus patuisse cognoscebam, cujus haud inscitæ in Flaccum Valerium commentationes publice circumferuntur (consentit nempe in omnibus cum hoc ipso libro, quem ille ex ultimis allatum Germaniis, et exolescentibus jam ferme literis scriptum, vetustissimumque, ac ipsa antiquitate consecratum præsto sibi fuisse affirmat: inveni tamen ibidem nonnulla, nec ipsi Pio satis explorata, quorum opera meliorem hic illic castigatioremque posse confieri scriptorem præclarum quod comperissem, dum e depravata scriptura haud magno equidem negotio, et sæpe literæ unius alteriusque levi immutatione sententiam auctori genuinam suamque mentem locis compluribus eo restitutum), de meis hisce in illum qualibuscumque adnotatis luci publicæ permittendis cœpi cogitare; cujus tamen consilii rationem a mala manu nequiter interpellatam non multo post indigne tuli, ablatis furto per Lavernam rapacem, nescio quam, iis omnibus, quæ instituto huic utcumque factura in unum collegeram. At vero peropportune post annorum complurium decursum evenit, ut vir ornatissimus usuque plurimo arctæ necessitudinis mihi conjunctus, Lucas Langermannus, ut est animo ad incrementum rei literariæ promovendum mirifice facto, non modo offerret mihi perquam officiosum in modum enotatam ab sc ex eodem Vaticano codice omnem scripturæ veteris discrepantiam, sed e trinis præterea bibliothecæ ejusdem exemplaribus, etsi manum multo recentiorem præferentibus, quidquid a vulgatis libris abire in diversum comperisset, traderet perpendendum.

Effecit ea res, ut intermissam de Flacco recognoscendo cogitationem animo rursus agitarim, oblato præsertim Holmiæ Suecorum e Regia Bibliotheca poetæ hujus codice, ut parum antiquo illo, sic erudita, et quidem Pomponii Læti

manu, nisi conjectura me fallit, descripto, cui fragmenta Festi Pompeii, sic uti cura Antonii Augustini Fulviique Ursini, clarissimorum in re literaria virorum, post prodiere, eadem Pomponii manu exarata accedebant: nam volumine altero, itidem chartaceo, et tres priores Argonauticon libros cum parte quarti complexo, quod Oxoniæ in Collegio Reginensi asservatur, jam olim inter ipsa studiorum tirocinia apud Britannos fueram usus. Advocavi præter hæc adminicula in partem nonnullas typis chalchographicis descriptas editiones, Aldinam præsertim, sed cui in plerisque tuto parum credatur: quod hunc, quicumque tandem ejus edendi codicis curam habuit, longe plus ingenio suo ac conjectandi præposteræ libidini, quam libris manu exaratis, detulisse non paucis argumentis sim edoctus. In plerisque tamen huic exemplari assensum præbet liber calamo exaratus, qui pridem in Erfurtana bibliotheca exstabat, et quem non uno loco testem advocat in Criticis Periculis Piccartus; unde planum fit ac manifestum, fuisse notæ illum haudquaquam vetustæ. Atque utinam Janus ille Parrhasius, vir inter ætatis suæ literatissimos jure meritoque numerandus, commentarios, quos Flacco nostro Valerio illustrando adornabat, quique Neapoli etiamnum ad D. Joannis Carbonarii feruntur exstare, in bonum commune luci permisisset. Poteramus certe post hanc operam tam exquisitam, lucubrationibus Ægidii Maserii tralatitiis, et illius, quem dicebam modo, Joannis Baptistæ Pii caruisse, multa sine studiorum jactura. Joannes Baptista quoque Egnatius perhibetur jam olim, et nostro sæculo Michael Piccartus pares in Flaccum hunc nostrum commentarios meditati, sed qui una cum ipsis auctoribus pridem interciderunt. Ex hisce vero, quorum opera Flacco laudabilem in modum navata circumfertur publice, commendandus præsertim venit Ludovicus Carrion, non sine ingenti felicitate nactus codicem veterrimum optimumque, cujus præsidio nævos plurimos, et quidem inveteratos, nostro poetæ detersit. Nam quamquam

plus æquo membranis interdum hisce confisus scripturam vulgata deteriorem est amplexatus (neque enim volumen ex antiquis ullum tam fidum tamque omni emendatum ex parte facile invenias, cui secure concredatur ubicumque), vel ob id, unum tamen res illi literaria haud parum referat acceptum oportet, quod codicem tam eximiæ vetustatis a blattis tineisque liberali manu vindicavit, nec delitere aut omnino interire passus est. Cæterum ut de me quoque nihil superaddam, descripto jam typis Valerii nostri hoc contextu, locis a me perquam multis recensito ac correcto, quum castigationes meas bibliopola jamjam prelo typographico esset commissurus, supervenerunt luctuosa reipublicæ ac mihi privatim tempora, præter typographi ipsius e vivis excessum, quæ libellum editioni paratum ut differrem nonnihil ac supprimerem pervicerunt, dum profligata solidum tandem in modum nube bellica, animo nobis defæcatiore, et valetudine, quam satis infestam ex illo sum expertus, magis confirmata, ad hæc studia commodum daretur reverti. Porro mirari subiit quandoque, quo demum consilio Flaccus hic Valerius Argonautica sibi scribenda proposuerit post Atacinum Varronem, quem dexterrime, me hercules, pari in argumento fuisse jam ante versatum, conspirante antiquitatis universæ suffragio, habemus exploratum. At vero quidquid est hujus Gordii nodi, id Probus jam Valerius dissolutum omne voluit suis in Maronis Georgicon libros, si tamen illa Probi ipsius sunt, commentariis; e quibus docemur, Varronem id opus omne libris quaternis absolvisse, ad exemplum Apollonii, quem Rhodium vocant, videlicet. Locus exstat ad librum II, vs. 125: *Pars Parthorum Media appellata est a Medo filio Medeæ et Ægei, ut existimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit.* Breviter is ergo libris quatuor idem argumentum erat persequutus, quod Noster, quantum ex iis, quæ adhuc supersuut, colligi datur, duodenis, aut ut minimum decem voluminibus complectendum sibi proposuerat. Neque

enim, nisi multum temerarius, quis asseveravit, morte præventum Flaccum supremam poemati manum haud admovisse, quando id opus longæ ætatis injuria mutilatum, ut nunc est, ad nos potuit pervenire. Nam quod e Quintiliani verbis de eo volunt abunde constare, quum *multum nuper amissum morte Valerii Flacci* testetur Oratoriis in Institutionibus, me non habent, fateor, huic sententiæ suffragatorem. Potuit enim Flaccus aliis elucubrandis post confectum hoc opus incubuisse, quæ Quintilianus respexerit, nobis ignota. Etsi potius est, ut tædium laboris subrepsisse librario credam, ne reliqua describeret, aut codicem sive Gothica direptione, sive alio quo casu ad posteros mutilatum esse transmissum. Quæ clades Papinianam quoque Achilleida et Raptum Proserpinæ Claudianum graviter videtur afflixisse. Certe in septimi atque octavi libri Valeriani ultimis plus multo mendarum occurrit, quam in reliquis; unde de oscitantia librarii ac supinitate, paulatim magis ac magis labori succrescente, suspicari nobis dabatur; quippe quum nec Absyrti mortem, nec illa, quæ Argonauticis exinde complura in reditu obtigerunt, enarret, minimum abest, quin operis totius tertiam, quartam certe partem desiderari opiner. Vale, mi lector, tantisper dum adnotata nostra juris fiant publici.

PETRI BURMANNI

DEDICATIO.

VIRO

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

PETRO HAECK DE JONG,

URBIS ULTRAJECTINÆ SENATORI, ET QUUM MAXIME CONSULI,

S. D.

PETRUS BURMANNUS.

Valerium Flaccum, eximium et omnibus numeris absolutum poetam, tibi, vir amplissime, ut meæ erga te observantiæ et gratæ voluntatis esset monumentum, sacrare visum fuit. Parabit ipse sibi facilem ad te aditum, quum nullis libentius ædes et aures tuas, quam eruditis scriptis et sermonibus, patere velis. Et quamvis tua te industria et virtus arduis reipublicæ nostræ negotiis admoverit, et immensa illa negotiorum moles, quæ difficillimo hoc tempore rectores civitatium nostrarum premit et pæne obruit, vix patiatur, ut vel paululum a salutis et dignitatis publicæ custodia oculos demoveas, nullus tamen dubito, quin, ubi vel unam ab ingentibus illis curis horam vacuam nanciscaris, eam in perlustrandis antiqui ævi monumentis libentissime ponas, et in maximis occupationibus numquam doctrinæ studia intermittas. Ejus enim sententiæ a primis jam annis

fuisti, nihil ad hominem ornandum, et ad summum etiam dignitatis fastigium evehendum magis esse accommodatum, quam præstantissimarum artium studia; quibus nobilia et generosa juventutis pectora si imbuantur, bene omnibus civibus de patriæ administratione sperare et augurari licet. Nam, si numquam videmus clavum navis committi homini omnis nauticæ disciplinæ ignarissimo, sed imperium carinæ esse penes eos, qui a prima ætate per varios fluctus jactati, ventorum rabiem declinare, æstuum fervorem frangere, vadorum infesta brevia et scopulos evitare didicerunt; quid magis absurdum, et generi humano damnosius excogitari posset, quam totius reipublicæ gubernacula credere hominibus, qui nullam rerum civilium notitiam, ex priorum civitatium fatis hauserunt. Alia, et diversa a communi consuetudine, tua, vir amplissime, ratio est: primum ætatis florem in iis artibus excolendis consumpsisti, quæ animum tuum ad majora conformare possent; immo tanto humaniorum literarum studio ducebaris, ut nisi aliam tibi reipublicæ nostræ ratio personam imposuisset, nihil suavius et jucundius existimasses, quam in literato otio et amœnis Musarum viretis consenescere. Sed ne nunc quidem (etsi non tam libero et vacuo, quam optares animo, te referre ad ea studia celebranda, quæ olim sedulo coluisti, licet), desistis insignem amorem iis præstare, et nihil antiquius habes, quam ingenia, quæ ad rem literariam ornandam se accingunt, fovere et amare. In me certe non semel singularem illam erga literas benevolentiam expertus fui, qui omni officiorum et meritorum genere me a te cumulatum agnosco. Jam vetus mihi cum domo et familia, ex qua sanctissimam tibi matronam jugali fœdere sociasti, intercessit usus, et a primis annis illius membra summa veneratione sum prosequutus. Neque possum non, quamvis ipsa commemoratio mihi lacrymas excutiat, hic meminisse amplissimi viri, Joannis *de Weede*, affinis tui carissimi, quo candidiorem et rectiorem hominem me nunquam vidisse

affirmare liquido possum. Hunc, proh dolor! cum quo a tenerrimis unguiculis contracta amicitia, illibata mihi usque ad feralem tumulum permansit, nuper in consulari purpura feretro impositum doluimus, et amicorum principe, et suavissimo præsidio me orbatum et destitutum, non sine ingenti luctu vidi. Sed quamvis irreparabilis jactura illa videretur, tu, vir amplissime, ut levior nobis esset, effecisti, quum universam fraternarum necessitudinum et amicitiarum te hæreditatem adire velle declarares; et me, quem jam antea amicitiæ tuæ usu dignatus eras, prolixiori benevolentia posthac amplexurum te promitteres. Neque intra verba officiosa tua humanitas stetit. Nihil ab eo tempore omisisti, quod ad me ornandum et augendum facere posse arbitrabaris. Tua commendatione et suffragatione efficis, ut amplissimo ordini labor et industria, quam in juventute academica erudienda colloco, probetur, et dignis præmiis et commodis ornetur. Quum autem sortis meæ humilitas non patiatur, ut pro infinitis, quibus me devinxisti, meritis aliud, quam gratæ mentis significationem, dependam, ne sperne, quæso, hoc literarium munusculum, quod, licet ex alieno thesauro depromptum, tibi mittere non dubitavi. Nam, ut nihil nunc de curta mea supellectile, et paupere eruditionis apparatu dicam, ea est Heinsiani nominis celebritas et gloria, ut quidquid eo insignitum prodeat, ab omnibus, qui non plane musicæ artis sunt expertes, vehementer probetur et appetatur. Heinsius ergo tuam pro me gratiam et favorem deprecabitur, et quum sibi omnem ingenii et eruditionis gloriam jure suo vindicaverit, solum mihi diligentiæ et laboris laudem relinquet: et quicumque vero rem pretio æstimare velit, aliquid me de re literaria meruisse fatebitur, qui hæc scripta eruditissima ab interitu vindicaverim. Vale, vir amplissime, et fortiter, ut facis, rempublicam gerere perge. Dabam Trajecti Batavorum, ipsis kalendis octobris, CIↃIↃCCI.

PETRI BURMANNI

PRÆFATIO PRIMA,

SIVE AD PRIMAM EDITIONEM SUAM ARGONAUTICON,

A. cIↄIↄCCII.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

QUEM ab aliquo jam tempore publico debemus, emittimus nunc poetam, inter Latinos solo Marone inferiorem, Valerium Flaccum, animadversionibus viri nobilissimi Nicolai Heinsii illustratum. Neque dubito, quin non exiguam a veræ doctrinæ cultoribus gratiam initurus sim, qui hunc vatem jam ab omni ævo inter epicæ poeseos principes annumeratum, iterum producam. Plurimi apud Græcos et Romanos exstitere, qui ingenium, in versibus expeditionem Argonautarum consignando, periclitati sunt, quorum maximam partem a Gyraldo, Dialog. IV de Poetis, ubi de nostro Valerio Flacco agit, enumeratam videre licet. *Tritam* eam *vatibus orbitam* vocat Statius, et fastidium Romanis creasse nimiam Argonauticon scriptorum turbam, credibile videtur. Sed, quod Flacci præ cæteris excellentiam declarat, omnes illi illacrymabiles longa nocte premuntur; unus vero Valerius, ex immenso illo numero, ad nos superstes pervenit. Quo luculentius et certius aliud argumentum dari non posse, contendo. Neque eos tantum, qui in eodem genere laborarunt, excellens Flacci judicium et diligentia superavit, sed, si a

solo Virgilio discesseris, nullus deprehendetur, qui cum eo comparari mereatur. Abfuit quidem longius a felicibus Augusti temporibus, quam Lucanus; sed tanto intervallo declamatorem illum post se reliquit, ut operam ludere videri posset, qui eos inter se componere velit. Nihil enim Lucanus præstitit, quod ipsi poetæ nomen conciliare posset; neque argumentum epico carmine dignum elegit, neque fingere ea, quæ heroicum spiritum decerent, valuit. Perpetuus declamator, et sine ullo judicio, inanes quasdam sententias, ut scholasticus, infarciens, tumore et fastu solo conspicuus est; denique in toto poemate, nihil poetici argumenti aut spiritus apparet. Nam non moramur perversum illorum hominum judicium, qui omnis disciplinæ poeticæ ignarissimi, statim scriptorem venerantur et laudibus in cælum vehunt, ubi graves quasdam de moribus sententias, et longas de vitiis aut virtutibus disputationes, versibus comprehensas offendunt. Nihil enim stultius et ineptius fingi, aut dici potest, quam poetam historiam quamdam conscribere, et illam acutis scholasticorum sententiis illustrare: epici enim poetæ partes sunt præclarum aliquod herois factum ob oculos ponere, quod ita fabulis et ministeriis deorum implicari debet, ut omnia potius a poeta ficta, quam religiose narrata esse videantur. Omne autem poetæ munus sola heroicæ istius actionis narratione absolvitur, quæ per omnes epici carminis leges et partes producta, vicem inanium disputationum implet, et non tam ex sententiarum pondere et dictorum gravitate, quam ex ipsa actione lector ea addiscere debet, quæ poeta docere animo suo proposuit. Ipsa illustria veterum heroum gesta, sive quæ gessisse finguntur, animos legentium afficere, et attrahere oportet; procul esse omnis vana et umbratilis subtilitas, et simplex et nuda narratio totam ἐποποιΐαν absolvere debet. Inspice omnium consensu habitum poetarum principem Virgilium, qui una serie, ab initio divini operis ad finem usque, verum poetam agit, unicus in delineandis iis, quæ ab heroe suo,

et aliis, quos inducit, prisci ævi viris, bene aut male administrata fuerunt. Si ejus vestigiis insistere posterioris ætatis poetæ voluissent, non tam turpiter cælestem doctrinam commaculassent, neque ubi paucis admodum verbis de actibus quorumdam hominum egissent, statim, tanquam in Porticum aut Academiam essent translati, philosophos agere cœpissent. Non movendi sunt aut turbandi disciplinarum termini. Poetæ se barbatorum gregi admiscere dedignantur, et ex vanis istis argutiis et sententiarum strepitu se expedientes, et ipsas humanæ vitæ et conditionis actiones ex alto quasi contemplantes, populis, et habenti nubila terræ se eripiunt, et quasi inter deos recepti essent, spiritum divino igne adflatum per varias ambages et fabulosum sententiarum tormentum (velut telum per balistam torqueri solet) præcipitant. Hoc sanctissime plerique Græcorum poetæ, qui epicæ fictionis auctores fuere, et inter Latinos par modo illud nobile, Virgilius et Flaccus, religiose custodierunt; qui etiam, ut omnes suæ gentis poetas vicerunt, ita ipsos illos, quos sibi effingendos proposuerant, Homerum et Apollonium Rhodium, palmam sibi cedere coegerunt. Instituerunt jam olim, et his etiam temporibus, viri doctissimi, inter Homerum et Virgilium comparationem, et per species demonstrarunt multum Latino vate minorem esse Græcum: in Valerio et Apollonio id nemo accurate, et ut decebat, adhuc tentavit, quum facillime quis id præstare posset; tantum enim inter utrumque discrimen intercedit, ut ne congredi quidem cum Flacco auderet Apollonius. Sed quum id justi commentarii negotium sit, neque præfationis angustiis illud circumscribi possit, in opportunum tempus rejiciendum esse putamus. Ne tamen hæc gratis me dixisse quis existimet, speciminis loco celeberrimum illum Hylæ raptum, a tot poetis etiam aliis decantatum, ex utroque breviter describemus, ut per se lector dijudicare possit, quanto melius poetæ personam impleverit Flaccus. Apollonius narrat, quum in Mysorum terras appulissent Argonautæ, Herculem, cu-

jus remus fractus fuerat, abiisse solum in silvam, ut evulsam arborem sibi in remum aptaret; Hylan autem seorsim ad aquam quærendam, ut omnia Herculi reverso ad cœnam parata essent, contendisse. Dum autem e fonte haurit aquam, a Nympha rapitur; clamantem exaudit Polyphemus, qui ad eum locum, unde vox audita, accurrens, nullum Hylan offendit, regressus vero obviam fit Herculi, narratque Hylan a navibus abiisse, neque rediisse. Commotus Hercules illuc tendit, et errabundus quærit Hylan, totamque noctem in silvis agit. Sub diem Tiphys hortatur socios, ut vento ferenti utantur, qui cupide conscensa nave auferuntur; neque sentiunt Herculem abesse, nisi quum jam illuxerat. Oritur murmur, Jason tristis sedet, nec ullum emittit verbum, solus Telamon erumpit in verba, et impatienter fert absentiam Herculis, cujus impetum sedant Aquilonis filii, et tandem, quasi ex machina, e mari emergit Glaucus, qui jubet facessere desiderium Herculis; fato enim datum esse, ut Hercules aberrans reliquos ex duodecim laboribus absolvat, et Hylas Nymphæ jungeretur. Quid in his omnibus admodum suspiciendum sit, aut poetici spiritus non video, præsertim si quis conferat Valerianam narrationem. Inducit ille Herculem comite Hyla in silvas abeuntem; sed non erat is Hercules, cui casu quodam, vel a nympha quadam, minorum gentium dea, malum creari posset. Regina dearum Juno, quæ semper caput ejus odiis urgebat, rata tempus nocendi, Pallada, quam ei favere sciebat, aggreditur, et sub titulo quodam honesto procul ablegat. Vide quam egregie per ministeria dearum hic spiritum præcipitet poeta; quam præclare de Hercule fingat, quem nemo, nisi dea, vexare audebat; quam nullam omittat Juno Herculem lædendi occasionem. Ablegata Pallade, Juno, dum quærit rationem consilii exsequendi (non enim aperta vi Herculem aggredi sustinet), videt chorum nympharum venantium, ex quibus Dryopen; quæ, Herculeo fragore percussa, fontem suum repetebat, in amorem formosissimi pueri Hylæ sollicitat;

cui, ut in laqueos cadat, offert et suscitat cervum, qui, velut mansuetus, lento gradu ingrediens, Hylan invitat ad insequendum, paulatimque eum ex oculis Herculis abducit, donec ad amnem Nymphæ perveniens, uno saltu eum transiliens, spem pueri eludit. Puer, fessus cursu, procumbit ad amnem, ut sitim sedet; inclinatum autem Nympha detrahit. Hercules interim arboribus evellendis occupatus, credit Hylan alio calle reversum, et ipse, confecto sibi remo, ad socios regreditur. Quum autem Hylan non reperiret, iterum in silvam revertitur, et omnem ululatu et clamoribus implet, quum interim ventis secundis flantibus socii vellent vela dare; sed absentem omnes Herculem lacrymis et votis reposcunt. Juno iterum, Herculi infensa, ventos ferentes excitat, et ne amplius moram ferrent Argonautæ, efficit: neque Tiphys, qui magister erat carinæ, desistit increpare desidiæ et ignaviæ socios. Tot machinis expugnatus Jason demum ad socios refert, an abeundum esse censeant, an Herculis causa diutius morandum? Scinditur juventus variis studiis, et plurimi, qui se Hercule non inferiores jactant, inire vias volunt. Alterius factionis dux Telamon summa ope obnititur; sed a Meleagro et reliqua multitudine victus Jason, tandem cogitur Hercule relicto abire. Vide, mi lector, quanto ingenio, et quam felici judicio Flaccus superet Apollonium, qui contra omnem veri speciem Argonautas cupide Herculem deseruisse fingit, Jasonem non multum Herculis caussa sollicitum, et reliqua frigide admodum et jejune exsequitur. Valerii fictio omnibus numeris absoluta, et poetica gravitate plena est. Jam si ipsos versus Flacci singulis Apollonii opponere liberet, magis latini vatis excellentia eluceret. Huic etiam adjungere possemus certamen Amyci et Pollucis, et ostendere, quam misere et inepte Apollonius in eo argumento versetur, quam egregie autem et liberaliter Flaccus hos athletas commiserit, et verissimum Barthii judicium, quod ille ad Stat. VI, Theb. 746, tulerit, esse, demonstrare possemus; sed hæc

sufficiant, quum majoris hæc emolumenti sint, quam ut hoc loco plenius tractari possint. Neque etiam, quamvis in proclivi res esset, cum latinis poetis Lucano, Statio, Silio Italico, Claudiano, nunc Flaccum committere libet, a quibus omnibus victor abiret. Tam naturalis ubique ejus orationis pulchritudo, tam castigatus sermo, tanta gravitas et sublimitas, ut, quod maximum est, omnia sui sæculi vitia ignoraverit et superaverit. Nam non curamus paucorum iniquiora de nostro Flacco judicia, quum nullus unquam repertus sit scriptor, qui non obtrectatores suos offenderit; et multo major turba sit eorum, qui meritis vatem hunc laudibus extulerunt, et a Scaligeri censura vindicarunt; quorum judicia lector post præfationes collecta, perspicere poterit. Dignus ergo erat hic vates, qui familiarior esset studiosæ juventuti, et in quo evolvendo plus laboris poneretur. Sed deterruit plurimos ab ejus lectione difficultas, quam in eo rite intelligendo plurimi deprehendisse se putabant. Multi obscurius ejus poema esse clamant, quam ut cum voluptate et fructu perlegatur. Sed hi fere sunt, qui nullam operam in veteris ævi monumentis accurate perscrutandis posuerunt, sed levi et perfunctoria festinatione, cruda sua studia propellere amaverunt. Accedit alterum incommodum, quod infelicius noster Flaccus, quam reliqui poetæ, fatum sit expertus: non enim quemquam inter Latinos scriptores exstare puto, qui magis corruptus et a librariis excarnificatus ad manus nostras pervenerit. Rarissimi etiam ejus codices manu scripti, in bibliothecis, post instauratas literas fuere reperti, ex quibus pessime affecto medicina afferri posset. Inter primos, qui vatem nostrum illustrare et emendare aggressus est, fuit Joannes Baptista Pius, qui ante duo fere sæcula clarum sibi in literis nostris nomen paravit; sed cujus editio rarissime in nostris oris conspecta, a paucis, nec sine summa difficultate, parari potuit. Circa idem tempus, sed impari successu, Ægidius Maserius, suas in Valerium adnotationes edidit. Sed plurimis adhuc locis tenebræ erant

offusæ, quas posterioris sæculi viri docti demere tentarunt, sed quo successu, ex Nicolai Heinsii præfatione, cupidus lector cognoscet. Quæ autem hodie absolutissima hujus poetæ editio vulgo habetur, est ea, quam Lampertus Alardus anno præteriti sæculi tricesimo cum Carrionis, Bulæi, Weitzii et suis notis curavit. Sed quam parum illi viri, Carrione excepto, ad auctorem hunc illustrandum, contulere, facile unicuique patebit, qui diligenti labore eos excusserit. Nihil enim in illorum commentariis fere deprehenditur, quam tralatitium et vulgare, et quod in lexicis, et antiquitatum compilationibus, ad nauseam usque repetitum, exstat. Ea sæpe magna cum ambitione coacervant, quæ nemo paulo modo humanioribus literis imbutus, ignorat; et in locos communes dilapsi, ea verba, in quibus eruditiores hærent, sicco pede transeunt. Denique pauperem suam supellectilem furtis et plagiis auxerunt. Sed ne meum hoc judicium esse putes, ecce tibi doctissimi Barthii verba ad Stat. Theb. X, 787, ubi agens de loco Valerii Flacci, lib. III, 442, hæc scribit: *Quæ ad Valerium notat nuperus editor* (Alardum innuit) *sunt ex Meursii commentario ad Lycophronem, p.* 269; *Wouwerii ad Petronium, p.* 478; *nostris ad Claudianum, p.* 379, *jure quidem jam plano talium corrasorum, qui observationes doctorum constipare, dissimulatis, ubi videretur res facere, nominibus, id putant philologicum esse, et interpretari auctores posse. In isto autem homine quanti faciendum putas, quod ait alibi*, se vocum emendationes aliis relinquere? *Sed quid talis aliquis audaculus magistellus ad tantum poetam? quem qui commode enarrare voluerit, omnem græcam romanamque eloquentiam in numerato habeat oportebit. Constat enim græcismis, et græcorum poetarum expressionibus magna ejus pars. Et pro summorum latinorum auctorum uno, merito suo habebitur sapienti.* Vides lector, quam vere de hoc hominum genere vir sagacissimus judicaverit. Non enim iis præsidiis instructi erant, quæ ad doctissimum, et simul tot locis male affectum, auctorem

enarrandum requirebantur. Recondita etiam vatis nostri doctrina, et non vulgaris et abstrusa sæpe loquendi ratio alios interpretes desiderabat. Hinc quoque puto Flaccum scholasticorum nostratium, qui tot auctores conspurcarunt, manus obscænas evasisse, quum viderent non tam levi opera hunc posse extrudi. Et tamen unus omnium merebatur Flaccus, qui a viro, in literis exercitatissimo, perpetuo et uberrimo commentario illustraretur, qui omnes salebras, in quibus hodie hæremus, demonstraret, et ejus lectionem planissimam redderet. Promisit hanc nostro Flacco operam sæpe in commentariis suis ad Statium Barthius; sed cum infinitis aliis eruditissimi viri laboribus, vel intercidit illud scriptum, vel a viro occupatissimo elaborari nequiit. Sed ad hoc opus aggrediendum, nemo a renatis literis magis accommodatus reperiri potuisset, quam vir in poetis utriusque linguæ versatissimus, Nicolaus Heinsius, qui tam feliciter, omnes fere, quos Latium nobis transmisit, explanavit. Jam adolescens hunc sibi, lectione identidem repetita, perquam familiarem reddiderat, nec eorum morem sequutus erat, qui tum demum ad scriptorem quemdam animum appellunt, quum vident typographis in mentem venire, typis eum describere. Sunt enim hodie venales quædam semiliteratorum animæ, quæ operam suam typographis pro foliorum numero addicentes, omnibus scriptoribus, qui recuduntur, manus suas admovent. Quos inutili farragine adnotationum, undique corrasarum, omnis artis criticæ ignari onerant, et sæpe, ut pueros et imperitos fallant, iconum et numismatum lenocinio exornant, et ita orbi obtrudunt. Alia erat ratio viri nobilissimi, qui a pueritia severissimæ disciplinæ innutritus, deinde per varia itinera, ea conquisiverat ex manuscriptis præsidia, quibus munitus hanc provinciam rite administrare posset. Sed infelici furto, per Lavernam rapacem, omnibus, quæ collegerat, ablatis, videbatur omnis ejus viri labor intercidisse, ni extremis vitæ annis, aliunde iterum comparatis subsidiis, intermissam cu-

ram resumpsisset. Sed nihil tamen, dum vixit, præter nuda poetæ verba, nobis exhibuit, annotationes autem magis poliendas et augendas sibi reservavit, ut ex ejus præfatione discere quivis potest. Credibile est, si longior lucis usura viro excellentissimo contigisset, illum labores suos in nostrum poetam fuisse aucturum. Sed brevi sequuta mors, hujus, ut et aliarum commentationum, fructu nos fraudavit. Ipsa quidem editio, quæ anno octuagesimo Amstelodami prodiit, multis partibus emendatior est omnibus, quæ eam præcesserunt, sed tamen fatendum est, eam tam negligenter ab operis typographorum fuisse habitam, ut vix una pagina sine quadam menda exhibeatur. Hanc tamen nos in hac iterata editione, emendatis librariorum lapsibus, expressimus, nisi quod aliquando ab ea recesserimus, sequuti codicem ipsius Heinsii, in cujus margine ea adnotaverat, quæ in altera editione aliter legi voluisset, si ipsi per longiorem vitam licuisset. Hinc etiam lector, diversam a communi orthographiæ rationem in hac editione deprehendet, quam nobilissimus vir sibi, ex multo usu antiquissimorum codicum, persuaserat olim magis obtinuisse; neque nos, quum Valerium ab Heinsio emendatum in lucem emittimus, aliquid mutare voluimus, quamvis non in omnibus viri eruditissimi sententiæ accedamus, et quasdam vocum literas aliter efferendas esse credamus. Adnotationes autem, quas subjecimus, ut et alia, quæ jam olim produxi, debes, amice lector, Heinsianis hæredibus. Inter quos frater, mihi summo amore conjunctissimus, vir ampl. Carolus Crucius est, qui egregia humanitate Heinsiana mihi scrinia reclusit. Notior est Heinsii eruditio, et exactissimum judicium, quo instructus ad emendandos poetas veteres accessit, quam ut vobis commendari a me sit necesse. Incredibilis ejus prædicanda industria, qua per totius Europæ bibliothecas pervagatus, codices manu exaratos ad editos contulerit, et excerptorum tantam sibi copiam comparaverit, ut nullus fere linguæ latinæ auctor exstet, ad quem non symbolam con-

ferre potuerit. Huic thesauro digerendo, et instruendo, ultimis vitæ annis, quos otio et quieti literariæ consecraverat, vacabat; sed omnia absolvendi facultatem immaturum fatum præcidit. Quocirca, licet ultima manus plerisque ejus lucubrationibus non sit imposita, cupide tamen viri, harum rerum non rudes, quin recepturi sint has reliquias minime dubito. Sed immensa tamen jactura, quam ex præcipuo Heinsiano labore deperdito fecit res literaria, omnes commovebit, ubi in his, ut et in aliis, adnotationibus, toties mentionem commentarii Virgiliani factam viderint. Quo abierit illud egregium scriptum ne divinando quidem hæredes, et defuncti Heinsii amici exputare possunt. Certe statim post ejus fatum, a nullo conspectum, neque hodie, etsi diligentissime omnia scrinia excussa fuerint, repertum fuit. Si forte in rapaces manus pervenerit, vel in tenebris occlusus lateat hic thesaurus, publice omnes, per sacra Musarum rogamus, ne patiantur egregium et eruditissimum poetam, diutius sospitatorem suum requirere. Nos, si Deus vires et otium sufficiat, ea, quæ ex Heinsianis scriptis cum publico communicari possunt, non prememus, sed subinde aliquid, quod ad literas ornandas facere possit, ex thesauris illis proferre studebimus. Vale, et paucos, qui irrepserunt, operarum lapsus emenda.

NOBILISSIMO JUVENI

JOANNI BRYDGES,

MARCHIONI ET COMITI

DE CARNARVAN,

FILIO MAJORI

ILLUSTRISSIMI DUCIS

DE CHANDOS,

D. D. D.

P. BURMANNUS.

Temporis obscuri levibus miracula chartis
  Quid juvat, indoctum, prodere, vulgus ait?
Ficta quid ad curas et publica munia natis
  Fabula, quid monstris pagina plena, facit?
Carmina deliræ narrantia somnia mentis
  Discere, quæ merces digna laboris erit?
Quid, nisi garrulitas, studiumque pudenda docendi
  Turpe, poetarum pectus et ora movet?
Quis, nisi vel puer, aut nunquam lassata loquendo,
  Dum siccat calices, his capiatur, anus?
Quis furor, excelsas per ludicra ducere mentes?
  Quid juveni cæcas proderit ire vias?
Quid Thebæ, quid Troja fuit, nisi desidis oti,
  Nequiter et venæ luxuriantis opus?
Crimina, mentis inops, veterum monstrosa deorum
  Credat, et heroum facta nefanda legat;
Credat Iolciaco penetratum remige Pontum,
  Et vaga divarum saxa retenta manu;

Quinquaginta Asiam, temerata tot æquora, nautas,
  Colchiacosque una puppe obiisse sinus;
Terrigenas stultus credat de dentibus ortos,
  Jugeraque armatos progenerasse viros;
Pervigilem magicis sopitum cantibus anguem,
  Et sanie tumidum deposuisse caput;
Naribus æripedes flammas vomuisse juvencos,
  Et tamen afflatu non nocuisse duci;
Credat et hunc validis armatum fulva venenis
  Vellera Mavortis deripuisse tholo;
Et quæ plura fide, frontis gens dura severæ,
  Truxque magistrorum turba, carere jubet.
Cedimus en, vatesque ultro majora fatemur
  Credibili blandis composuisse sonis,
Credimus historica nunquam sua verba ligasse
  Temporis ad certi, relligione, fidem.
Non ignava tamen modo delectare poetas
  Otia quæ possint, concinuisse putem.
Sed formasse rudes blando modulamine mentes,
  Dum miscent lepidis dicta severa jocis.
Nam modo mirandas Naturæ pandere vires,
  Sparsaque per cælum sidera, cura fuit.
Quis deus, humanæ quæ vis et mentis origo,
  Prima feros docuit Musa diserta viros.
Semina qui recti, qui primus jecit honesti,
  Numina qui docuit summa timere pios,
Qui patrias vetuit leges temerare, foroque
  Qui scripsit rigido jura, poeta fuit.
Ridiculus nondum, pannisque hirsutus et ore,
  Miscuerat falsis dogmata vera sophus;
Horridus incertæ nondum dictaverat artis
  Discipulis semper scita novanda senex;
Aura suburbani nondum vitiosa Lycei
  Palladis afflarat peste latente domum;
Porticus insano resonabat murmure nondum,
  Scenica virtutis nec simulacra dabat;
Stulta nec Actæis sapientia sederat hortis,
  Abstulerat summis nec sua jura deis;
Non Canis ausus erat, vili centone superbus,
  Opprobriis justos dilacerare viros;
Socraticus sectis neque grex distraxerat orbem
  Millibus, et vanas seditione scholas;

Quum fera Mæonides componere carmine cœpit
  Ingenia, et placidis flectere dura modis.
Ante Pherecyden animas superesse perennes,
  Et nemora, edocuit, læta tenere pios;
Urere, perpetua redeunte in sidera mente,
  Nil rapidos præter corpus inane rogos.
Pythagoræa nihil docuere silentia mystas,
  Quod non Iliados conditor ante dedit.
Non populis æquas, justo moderamine, leges
  Sanxit Aristotelis callida charta prior;
Nec melius parere bonis rectoribus urbes,
  Aut domini erudiit frena superba pati.
Omnia Smyrnæis hæc olim prodita Musis,
  Serior explicuit quæ magis ampla nepos.
Ut prior est ævo, studiis sic vicit Homerus,
  Quos dedit illustres terra Pelasga, viros.
Hic caput, hic princeps vestri, sapientia, cultus,
  Hoc duce mortales te didicere deam.
Pacis ab hoc artes, justi pia jura duelli,
  Fluxit ab hoc pietas sanctaque fonte fides;
Et lepor, et cultæ, quam jactas, Græcia, linguæ
  Gratia, Mæonii fluxit ab ore senis:
Hinc Xenophontis opes deprompsit mellea Siren,
  Hinc sua divinus sumpserat arma Plato.
Nec tamen hic primus, quem dis æqualia tellus
  Solvere mirata est ora, poeta fuit:
Carmine jam jussit laudes celebrare deorum,
  Saxeaque Amphion frangere corda, lyram.
Quid referam, Manto quæ cæco juncta parenti
  Veridico cecinit dicta verenda deum?
Quid pia Musæi, divinæ oracula mentis
  Qui dabat, aut queruli carmina mœsta Lini?
Nec juvat Eumolpos, divumque Melampoda, nec quos
  Obruit æterna nocte, referre, situs.
Nobile sed vatum, cura majore canendum,
  Par, geminus Chiron, Threiciusque senex.
Phillyrides, hominis bifero qui corpore formam
  Junxit equo, subigi vim ratione docet;
Quadrupedemque viro mixtum, subjectaque menti
  Robora, consilii mollia frena pati.
Doctus Apollineis conjungere carmina nervis,
  Æaciden citharæ perficit arte ferum;

Ore manuque potens, sanare valentibus herbis
  Vulnera, carminibus tollere corda sciens.
Nec minus Œagrii prudentia nobilis Orphei,
  Carmine qui silvas, saxa, ferasque trahit :
Mitigat hic divum, durissima pectora, cultu,
  In juga dum Rhodopes mystica sacra vehit;
Orgia qui suavi celebrans trieterica cantu,
  Martia divino corda timore domat.
Hos habuere duces, hos pubes Graia magistros,
  Quum rate non notas ingrederentur aquas.
Litore Thessalio vix improba constitit Argo,
  Palladis in longas arte parata vias,
Vertice quum summo Chiron decurrit, et acres
  Exstimulat dictis in decus omne viros;
Dis genitosque suo monstrans heroas alumno,
  Hac pueri flammat corda tenella face :
Hunc ego, quem cunctis dare cernis Iasona jura,
  Sollicitus finxi voce manuque ducem.
Peliacum subiit heros Tyrinthius antrum,
  Et melior, doctus monstra domare, redit.
Cætera, quam fervere stupes in prælia, turba
  Virtutis didicit, me monitore, vias.
His ego, quos factis vir vinces fortibus omnes,
  Æmula jam puerum pectora ferre volo.
Nec tantum Æsonidæ decoris Nepheleia pellis,
  Quam tibi, Pelides, diruta Troja dabit.
Succinit Æmonio Rhodopeia musa magistro,
  Clamat et : « Hos mea sit fingere cura viros.
Ipse ego fatidicam certus conscendere pinum,
  Rector in audaces ibo comesque vias.
Laudibus incendam juvenilia pectora patrum,
  Magnanimosque canam, quos imitentur, avos.
Auspice me clavum Tiphys moderabitur Argus,
  Et Lynceus terras et dabit astra rati;
Sublimesque reget Calais cum fratre ceruchos;
  Ipse dabo nautis remigibusque modum.
Magna quidem, Telamon, vastis fiducia cœptis,
  Deque tuo surgit, Canthe, vigore mihi;
Lectaque tot spondent optatam robora pellem,
  Et freta victricem per scopulosa ratem.
Pectora sed recti fera cultus, honorque deorum
  Temperet, et castæ relligionis amor.

Ampycides patrios, plenus jam numine, ritus
  Tradat, et acceptum dis pietatis opus.
In dubios casus fatorum præscius Idmon
  Roboret, et strictas in fera bella manus.
Gloria, quæ celsas mentes æterna perurit,
  In, rapidus Phasis quæ secat, arva vocet.
Illa triumphalem Pagasæo litore puppim,
  Et figat patriis vellera rapta tholis *.
Hæc decora, has laudes, graiis celebrata poetis,
  Serus ut æquaret fortia facta nepos,
Hæc animosa refert Romanis pagina Flacci,
  Æmula qui græcis vatibus ora movet.
Carmina qui primis licet imperfecta sub annis
  Liquerit, Ausoniæ fama secunda viget.
Utque premit felix Smyrnæas Mantua lauros,
  Obscurat Rhodium sic Patavinus olor.
Hoc tibi, lux juvenum, flos illibate Britannæ
  Pubis, epos læta mente manuque dico.
Si stimulis te lecta novis impellere possint
  Æquora, Thessaliis sollicitata viris;
Si quid Iasonia raptum virtute dolisque
  Vellus, et ad patrios præda relata deos;
Si quid ad exemplum valeant monumenta Pelasgæ
  Gentis, et antiqui temporis acta juvent;
Si tibi virtutis placeat, doctorque decoris
  Flaccus, et ingenii grande capacis opus;
Verbaque si vati deus inspirarit ab alto
  Grandia, materiæ conveniantque modi;
Si prodesse tibi, si delectare poetam,
  Utile jucundo si sociare velis;
Accipe Romuleæ cecinit quæ grata juventæ,
  Ortus in Euganeis, carmina, Flaccus agris:
Perlege, quæ juvenes incendant laudis amore,
  Prisca per heroos condita bella pedes.
Hospes ad illustres, me deducente, penates
  A Batavo vates litore lætus eat.
Si tibi Leidani placuerunt otia Rheni,
  Musarum placuit si tibi docta domus;
Si mora, dum nostro pendebas gnavus ab ore,
  Primaque tractabas Palladis arma, subit,
O decus, o nostri nuper celebrata Lycei
  Gloria, mox patrii splendor honorque soli!

O precor, o faciles aditus, me jndice, solo
  Impetret Andino vate poeta minor.
Nec pia devotæ fastidi munera mentis,
  Quæ tibi pro meritis dat studiosa manus.
Forte nec excidimus, memori sed inhæret amati
  Pectore Burmanni grata figura tui.
Si mihi, ceu juveni, promptas in carmina vires,
  Et facilem venam Musa benigna daret,
Grande rudimentum, primæque ætatis honores,
  Et canerem ingenii semina læta boni.
Belgica te postqnam mirata, sinuque quieto
  Fovit, Apollineæ grandis alumne scholæ,
Francia, quæ morum cultique magistra nitoris
  Perficere externos creditur una viros,
Nil habuit, quo te, ingeninm stupefacta politum,
  Inficeret vitiis ambitiosa suis.
Martia mox firmis Germania mœnibus urbes
  Pandit, et hospitio Cæsaris aula fovet.
Hinc comes Augusto sinuosum tendis ad Albim,
  Et cupido peragras rurs Bohema gradu,
Regalique caput cingi dat Praga corona,
  Et gerere augustas sceptra, videre, manus.
Deiu Hanovera capit, regi regnata Britanno,
  Pnblica cui se pax debet et alta quies.
Jam rednci cupidas tendit pater optimus ulnas,
  Maxima spes claræ præsidiumque domus.
Forsitan et thalamos tibi jam Cythereius ales
  Apparet, et nodos nectat amica Venus.
Jam vocat ad summos vis ignea mentis honores,
  Et titulos spondet patria læta novos.
Illa dies veniat, qua sancti magna senatns
  Pars, populi et regis jus tneare tui;
Nec procul illa dies, qua magni regis amicus
  Purpureæ celsus vestis honore mices.

PETRI BURMANNI

PRÆFATIO SECUNDA,

SIVE AD SECUNDAM EDITIONEM SUAM A. cIↄIↄccxxiv.

LECTORI ERUDITO ET ÆQUO.

Solvimus tandem fidem, toties publice datam, et poetam egregium, VALERIUM FLACCUM, omnium fere cum notis, quæ dignæ nobis visæ sunt, ut manibus eruditorum versarentur, illustratum emittimus. De auctoris ingenio, eruditione, et artis poeticæ summa facultate, et nos in præfatione, editioni olim minori præmissa, quædam diximus, et Heinsius, aliique viri docti, quorum præfationes, judicia et elogia hic adjecimus, tam accurate et diligenter disputarunt, ut nobis gratiam longæ dissertationis fecisse videri possint. Quædam tamen ut analecta, hinc et illinc nobis, dum quotidianis studiis vacamus, collecta de ipso Valerio, et deinde de variis ejus editionibus, et, quos sortitus est, commentatoribus, huc congerere visum fuit.

Et primum quidem de patria ejus admodum ambigi et certari inter viros eruditos videmus, et ex Setia urbe oriundum fuisse plurimos opinari, quia inter ejus nomina, Setini occurrit. Quem errorem post alios Heinsium confutasse satis feliciter credimus, neque quemquam postea repertum iri, qui eum Patavinis invidere velit. Memorat Felix Osius in commentario ad Alb. Mussati historiam Henrici VII, pag. 388, tomo VI, parte II, Thesauri Italici, historici cujusdam Patavini, adhuc inediti, Guilelmi Ongharelli, qui

de Valerio nostro etiam disseruisse dicitur; sed quid censuerit, non addit, ideoque de ejus sententia nihil constat: sed nuper Petrus Marcellus Corradinus, J. C. Setinus, in libro de Civitate et Ecclesia Setina, A. 1702 Romæ edito, cap. 1, pag. 7, Setiæ asseruit Valeriam familiam, et poetam nostrum; non alio argumento, nisi quod recentiores scriptores, quos magno numero recenset, eum Setinum fecerint: quod vero *alumnus Agenorei laris* a Martiali dicatur, hoc non ad natales, sed ad lares, vel sedes et habitationem, vel quod ibi nutritus sit (quod a Vossio et aliis, qui temere hæc arripuerunt, hausit), esse referendum. Sed præterquam quod alio loco, ut Heinsius ostendit, Martialis *censeri tellurem Aponam Flacco* dicat, si vim vocis *alumni* consideremus, illa proprie de infantibus recens natis, qui ali debent aliena ope, dicitur, non de illis, qui sedes, et lares in alias urbes transferunt. Et hinc *alumni* et *alumnæ*, ratione nutricum, passim infantes occurrunt. Sic idem Martialis, lib. XII, epigr. 60, natalem suum, qui incidit in Kalendas Martias, vocat *Martis alumnum diem*: *natam* et *alumnam* ut synonyma ponit eodem libro, epigr. 21:

> Nulla nec in media certabit nata Subura,
> Nec Capitolini collis alumna tibi.

Ubi non est alibi nata, quæ in Capitolinum collem domicilium transtulit, sed ibi genita est, et in ipsa urbe Roma: sic metaphorice, lib. IV, epigr. 19, vocat endromida, *alumnam Sequanicæ textricis*, quia in Sequanis erat a muliere ibi nata confecta. Virgil. de Marcello, Romæ nato, Æn. VI, 877:

> Nec Romula quondam
> Ullo se tantum tellus jactabit alumno.

Ovidius de Jove in Creta nato, Am. III, x, 23: *testis laudatur alumno.* Horatius, lib. III, Od. 18, ex veriori sententia scholiastæ et interpretum, *ruris alumnos* vocat vernulas, natos in rure illo: ut et *dulces alumnos*, Od. 23; et

se Ovidius, Amor. III, 15, 3, dicit, *Peligni ruris alumnum.* Ennium Rudiis natum fuisse constat, et eum *alumnum* vocat Rudiarum Silius, lib. XII, 297.

Nunc Rudiæ solo memorabile nomen alumno.

Putidum esset plura congerere (nam sexcenta licet), quibus *alumnos* loci vel urbis vocant, ibi natos, poetæ et alii. Sed mirari præterea Corradini acumen licet, qui *arguere Quintilianum a generoso vino ejus patriæ, id est, Setino, apud antiquos laudatissimo, ad ejus ingenium*, addit. Citat vero Quintil. in lib. ad Marcell. et de Instit. orat., lib. X, cap. 1; unde aliquis conficeret, illum nunquam Quintilianum consuluisse, et duos diversos libros facere, ad Marcellum, et de Institutione oratoria; quum pateat inspicienti Quintilianum, libros illum suos de Institutione oratoria inscripsisse Marcello Victorio. Sed in his ne hæreamus, et condonemus hanc ignorantiam viro in aliis studiis occupato. Ubi vero arguit Fabius a vino Setino ad ingenium Valerii poetæ? omnia, que de Valerio dicit Fabius, sex verbis absolvuntur, *Multum in Valerio Flacco nuper amisimus;* sed bonum virum fefellerunt forte sequentia verba, quæ de alio agunt poeta, Saleio Basso: *Vehemens et poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum.* Hujus vehemens ingenium forte ab acuto aliquo scriptore vino Setino posset comparari, licet nec id fecisse Fabium credam in Basso, multo minus in Flacco nostro: sed verisimile, Corradinum hanc conjecturam hausisse ex Criniti verbis, lib. IV, de Poetis latinis, cap. 68, qui de Valerio agens, licet Patavinum credat, addit tamen, alios Setinum facere ex Setia, *cujus vina in magno pretio fuere habita;* et statim subjungit: *mirum videri debet, quanto spiritu Flaccus insurgat, quantaque ingenii felicitate in scribendo carmine præstet. Hic est ille Val. Flaccus, in cujus obitu multum fuisse amissum queritur Fabius Quintilianus in libris ad Marcellum Victorium.* Hæc non recte ab eo intellecta fuere, qui et inde libros ad

Marcellum diversos a libris de Institutione Oratoria, non inspecto ipso Fabio, opinatus videtur. Idem Corradinus paulo post A. D. 1705, edito de Veteri Latio libro, tomo II, lib. II, cap. 23, latius hoc, adductis fere iisdem testimoniis, non tantum asserere, sed Heinsii argumenta refellere conatur: præcipue vero tentat Heinsio eripere, quo nixus erat maxime, argumentum de insolita Flavianis temporibus nominum quinque cumulatione: quod ut faciat, quædam exempla profert hominum, qui ante hæc tempora quatuor nominibus, prænomine, nomine, cognomine, et agnomine, insigniuntur, nullum vero quinque nominum; quod Heinsius negaverat, concesserat tamen solitum fuisse quatuor nominibus homines insigniri; sed si hoc fieret, quarto sive ultimo dixerat semper indicari illos, quum brevitatis caussa citarentur; et tunc Balbum semper poetam debuisse vocari, non Flaccum, quod penultimum erat, contendit: ut ita Maro, Naso, Lucanus, etc. qui tribus fuere noti, appellari solent. Quare producere debuisset aliquem ex antiquis auctorem, qui Balbum vocaverit Nostrum, non Flaccum. Ita quidem recentiores, sed in antiquitate versatissimi, critici sæpe Balbum Nostrum vocant, qui in opinione ea erant Balbi illud agnomen hæsisse Valerio; ut Parrhasius ad Claudian. III, de Rapt. 274, et Quæsitis per Epistol. cap. IV, passim C. Balbum nominat: et ita alii. Verum si ratio illa Heinsii valeat, possimus contendere, illum etiam deberi Setinum, quod ultimum est, simpliciter vocari, ut Lucanus, Italicus, Gallus, Sabinus, et alii appellari solent. Et si jam Setini cognomen habuisse concederemus Flaccum, non magis inde conficere liceret, illum ex Setia oriundum, quam Lucanum ex Lucania, Italicum ex Italia vel Italica, etc. quia illa cognomina non semper patriam demonstrant, ut hoc pluribus ostendi in præfatione ad tomum VII Thesauri Italici, pag. 17, ubi et post Fabrettum docuimus, si tot nomina cumulentur, illud a patria desumptum, plerumque poni in ablativo, et ita vocandus esset C. Valerius Flaccus

Balbus Setia scilicet oriundus, quamvis id aliquando fallere addiderimus. Lepidum autem est, quod Flaviani temporis adducat in exemplum T. Plautium Silvanum Æmilianum, quum pueris constet, illud ultimum nomen esse indicium adoptionis, qualia aperte Heinsius exceperat. Sed nec meliori fide deinde pro sua sententia adducit Pignorium, quasi ille in libro de Originibus Patavinis, pag. 113, testetur ex antiquis editionibus nostri Valerii liquere, Flaccum fuisse Setinum, non Patavinum, quum ille nihil affirmet, sed hæc tantum dicat: *Caius Valerius Flaccus, qui Argonautica scripsit, an nostras fuerit, dubito. Antiqui libri Setinum nuncupant: erat autem Setia in agro romano, ferax boni vini, quod Setinum dicitur; nunc vero est Sezza. Judicat id et Raderus ad Martial. lib. I, Ep. 77. Fuit quidem Flaccus poeta, Patavinus natione, verum nihil prœterea de isto scimus.* An ille, qui dubitat, testatur hoc liquere, id est, certum esse et constare ex antiquis editionibus? Immo prudenter doctissimus Pignorius rem in medio relinquit, neque etiam persuasus videtur, eumdem fuisse Flaccum, quem Martialis celebrat; forte quia ex usu communi eum Balbum, vel Setinum debuisse vocari credebat. Cavillatio etiam est, quod Heinsium falsi arguat, quia plura nomina dixerat dari Flacco, quum unum tantum habuerit, et reliqua fuerint, prænomen, cognomen et agnomen: quasi id ignorasset Heinsius, sed cum uno vocabulo illa omnia volumus comprehendere, prænomen, nomen, etc. an non liceret sub voce generis, omnes species comprehendere, et dicere aliquem habuisse plura nomina, id est, prænomen, nomen, cognomen, agnomen? et an ideo falsi crimen viro docto intentare liceret? hæc puerilia et inania vere sunt. De conjectura vero Heinsii, quasi Setinus Balbus, vel Balbus Setinus, fuerit codicis possessor vel emendator Flacci, nihil definio, sed eam in medio relinqno, quia non liquet. De ipsius poetæ vita et fatis non magis nobis constat; sola nobis de stylo ejus, et ingenio æstimandi copia est relicta; cujus excellentiam celebrarunt

omnes docti, qui in poeticæ artis arcana penetrarunt, et quorum testimonia a nobis collecta fidem facient. Argumentum vero, quod sibi sumpsit exornandum Valerius, sunt Argonautica, sive prima illa militia navalis, quæ ab antiquis poetis celebrata summa contentione fuit, ut in præfatione prima diximus. Leve vero hoc et inutile visum fuit quibusdam argumentum, nec dignum, in quo magna se exercerent ingenia: inter quos Ludovicus *Vives*, lib. III, de Tradendis disciplinis circa finem, censorio, quem sæpe sumit, fastu, talem de poetis nostris Argonauticis fert sententiam: *Valerium Flaccum, ut Apollonium Rhodium, non video quid attineat legi, quasi nihil sit, in quod tempus consumatur potius: non tam illorum, vel carmen vel dictionem improbo, quam argumenti levitatem.* Sed si carmina et dictionem probet *Vives*, et sola argumenti levitas displiceat, qui placere Homerus possit, non video, quem tamen vehementer commendat, et merito, *Vives*, nec magnum vatem obtrectat, quasi minus grave argumentum sibi elegisset. Nisi quod de utroque opere pronuntiet hanc sententiam; *Alterum* (Ilias) *calidum, alterum* (Odyssea) *callidum: multa non satis probi exempli continent, et quæ de natura rerum, et humanis attingit moribus, torquentur, quocumque est visum iis, qui vati favent immodice.* An vero gravius argumentum Iliadis videri potest, quo ira illa Achillis, et inde tot mala et calamitates ortæ celebrantur? An etiam errores illi Ulyxis, quos posteritati tradere certe tanti non poterat videri, gravius argumentum videri potest, quam prima illa, quæ maria aperuit, et cum remotissimis gentibus mutua commercia exercendi viam patefecit, navigatio? Certe quo altius repetere rerum illustrium, et temporis mythici primordia poterant poetæ, eo nobiliori in argumento versari fuerunt visi, et facem, licet nubilam et obscuram, historicæ veritati præferre. Nam ab Argonautica expeditione seriem quasi historiæ contexi videmus, quæ deinde per thebanum et trojanum bellum, ad origines fere omnium civitatum et

h.

regnorum græcorum deducitur, donec certi aliquid reperiatur, in quo deinde historica veritas se exerceat. Certe Herodotus historiam suam orsurus, ut ab altissima vetustate per obscura tempora certo filo deducat eam ad tempus historicum, ostendit, omnem materiem et caussam bellorum, quæ Asiam et Europam colliserunt, initium duxisse a navalibus illis latrociniis et rapinis, quæ laudi et gloriæ habebantur ólim; et quum Phœnices primi fuerint, qui mercaturæ caussa maria exercerent, et in Græciam merces suas venales portarent, illos, addit, primos rapuisse Io filiam Inachi; quam injuriam ut vindicarent Græci, in Phœniciam trajecisse, et Europam rapuisse: alios deinde græcos injuriæ auctores exstitisse, et nave longa abiisse in Colchida, et quum ibi illa, quorum gratia (lucri nimirum et divitiarum cupidine profecti erant, ut merces illius regionis, quas sub velleris aurei imagine poetæ exhibent, compararent), peregissent, rapuisse regis filiam Medeam; et quum rex Colchorum misisset legatos, qui res repeterent, respondisse Græcos, se hoc injuriæ, quæ in raptu Ius facta erat, rependendæ caussa fecisse: huic latrocinio successisse Helenæ raptum, et inde bellum trojanum, a quo perpetuas fuisse inimicitias inter Græcos et Asiaticos, quæ in bella deinde cum Persis eruperunt. Quid Thucydides? nonne ille quoque in operis suo exordio, res Græcorum ab origine repetens, omnes Græcos et Barbaros ostendit olim latrocinia exercuisse, quum ut necessitatibus suis subvenirent, tum quæstus caussa; eaque fuisse gloriosa et honesta, et inde deducit origines urbium, quæ in litoribus muniri cœperunt, mercaturæ et potentiæ caussa; et quum Phœnices et Cares maxime maria et terras ad mare sitas infestarent, Minoa classibus suis purgasse mare prædonibus: et hinc ad trojanum bellum descendens, ostendit, quantum viribus et divitiis creverint Græciæ populi? Immo ipsam quoque trojanam expeditionem latrocinii quamdam antiqui speciem habuisse, et navigia fuisse παλαιῷ τρόπῳ λῃστικώτερον παρεσκευασμένα,

veteri et prædonum more constructa? Quia ergo omnis potentiæ et divitiarum, quibus Græci postea eminuerunt, origo ex his navalibus expeditionibus, quas plures et anniversarias fuisse credibile est, est deducenda, gratum certe debebat hoc Græcis argumentum esse, quando majorum suorum fortia facta, quibus ut fundamentis inniteretur omnis posteriorum potentia, celebrarentur. Grave ergo argumentum, et acceptissima omnibus Græciæ incolis poematum materies erat, quæ licet minus nostras mentes capiat, non ideo levis dici meretur, quia hac sub specie omnes historias priscarum gentium, quæ ad nos nihil attinent, abjicere licebit. Non damnaret, credo, *Vives* poetas hispanos, lusitanos, anglos, batavos, et aliarum gentium, qui carminum suorum argumenta, ex primis in Indiam et Americam, ante tria fere sæcula susceptis, navigationibus peterent. Hæ enim expeditiones vera latrocinia fuere, et antiquissimi illius temporis, de quo Herodotus et Thucydides agunt, faciem nostro orbi retulerunt. Ex Europa enim in gentes nec situ, nec nomine ante cognitas, nullius injuriæ aut damni dati reas, irruunt latrones et mercatores, qui tamen se Christianos dicebant, sectamque profitebantur, quæ non modo injuriam inferre prohibet, sed illatam etiam vindicare vetat; sed qui avaritia et divitiarum immensarum cupidine inflammati, cum Dei et hominum contemptu, cædibus et rapinis omnia crudelissime implent, et dominis cæsis, aut in durissimam servitutem redactis, amplissima terrarum spatia occupant, et insident, posterisque transmittunt. Has expeditiones si poeta ita carmine nobis exornasset et laudasset, ut virtutis avitæ et gloriæ laudisque majorum certissima esse documenta popularibus suis persuaderet, an ille in levi, et, quod legi nihil attinet, inutili argumento versari videri posset? Et hæc quidem græcorum poetarum caussam satis honestam fuisse docent. Quod latini vero poetæ græcos æmulari, et, si possent, superare studerent, quid mirabimur? quum enim antiquitate cum Græcis cer-

tare non liceret, immo, si verum fateri vellent, constaret, plurimos Italiæ, certe inferioris, quæ Magnæ Græciæ et Latii nomine appellabatur, incolas his expeditionibus et latrociniis origines suas debere, nihil in annalibus suis priscis deprehendebant Romani, Græcorum rebus, in antiquissima vetustate gestis, simile, quo origines suas illustrarent. Nisi quod divino ingenio et spiritu vates, Virgilius, gentis Juliæ incunabula ab Ænea et Venere deducere volens, ambitioni romanæ, et præcipue Augusti superbiæ callide fuerit velificatus: reliqui poetæ argumenta a Græcis reperta, excolere et latino sermone polita et ornatiora exponere civibus suis conabantur, eamque vim mentis et doctrinæ intenderunt, ut auctores suos ingenio et arte superarent; nam Valerium Apollonio palmam præripuisse alias ostendimus, et sæpe in notis observamus: contrahenda enim oratio, quam *Vives* calumnia nobis expressit. Maluimus autem rationes certas et firmas *Vivi* opponere, quam cum Barthio ad Stat. Theb. II, 156, audaciam arrogantis judicis traducere, et superciliosum et non-poetam de poetis latinis judicium ferre, indignari: quamvis temerarii nobis omnes illi videntur, qui de poetis sententias ferunt, ipsi expertes omnis ejus suavitatis et studii, de quo nemo recte sentire potest, nisi sacris illis initiatus. Celeberrimus vero Th. Bartholinus, de medicis poetis, rigidam *Vivis* censuram alio modo refellere aggressus est, et medicis commendare Argonautarum et aurei velleris involutum argumentum eo nomine conatus, quia omnia ad Chemiam tendere cum Suida et aliis, quos laudat, credit; et aureum vellus arbitratur librum fuisse, in membranis scriptum, qui continebat aurum conficiendi artem; draconem esse Mercurium, et reliqua; quæ nunquam nos poetis in mentem venisse credimus, neque illos artis istius gnaros fuisse ulla vestigia deprehendimus. Ita fabulas equi trojani, Jovis in pluviam auream mutati, Martis et Veneris adulterii, immo universum Metamorphoseon corpus, ad artis istius arcana Tollium et alios traxisse novimus, in quibus

refellendis tempus terere non licet, quum ea non certioribus nobis argumentis inniti videantur, quam eorum ridiculi conatus, qui Homeri, et Virgilii carmina, ecclesiæ judaicæ et christianæ speciem et fata exhibere sunt commenti: placeant his nugacibus ludibriis homines, qui otio abutendi tempore abundant: nos solidioris doctrinæ copias ex Veterum scriptis parandas esse censemus, et ex hac expeditione, præter illam, quam ex poeticæ artis elegantia et sermonis latini venustate, voluptatem capimus, antiqui et obscuri ævi res gestas et priscorum virorum facta repetenda, et diligenter exigenda esse arbitramur. Nam hanc militiam heroum, quam Valerius noster, et Orpheus, et Apollonius, una navi Argo, obiisse canunt, fuisse veram expeditionem bellicam credimus, pluresque fuisse socios et milites, quam quinquaginta illos Argonautas, naves etiam plures, præterque raptum Medeæ et velleris, alia etiam egisse in vicinis Colchidi regionibus hos nautas magnos; sed quo major virtutis esset admiratio, poetas omnia in principes juventutis græcæ contulisse, quorum ut majori veneratione memoriam coleret posteritas, præsertim civitatium primarii incolæ, qui ab heroibus illis sæpe genus suum deducebant, eos solos sine militibus et adjutoribus, omnia per se egisse, et una navi iter totum emensos finxisse. Certe Eustathius ad Dionys. Perieg. vs. 686, tradit, Argonautas multas instruxisse naves, et quasdam ab iis aberrasse, earumque magistros, colonias condidisse, ut aurigæ Dioscurorum, qui gentis Heniochorum et Tyndaridarum auctores fuere; qui et de Vellere ea tradit, quæ modo ex Bartholino narravimus. Hinc alii eorum navigationem non Colchide finiverunt, sed Oceanum et Erythræum mare peragrasse Argonautas tradiderunt; ut Pindar. Pyth. IV, 445; et Herculis expeditioni contra Amazonas adfuisse, tradit scholiastes Pindar. Nem. III, 64; et idem ad Pyth. IV, 15, ad Syrtes etiam pervenisse ait, immo fuisse, qui Europam omnem circumnavigasse contendunt. Nec his contentus *Olaus Rud-*

beckius, vir eruditissimus, sed amore patriæ celebrandæ sæpe ad absurda abductus, probare voluit, Jasonem cum sociis, postquam rapuissent Medeam, ut Æetem persequentem effugerent, in Paludem Mæotim navigasse, et ostia Tanais invectos inde per fossam in *Rha* fluvium, hodie *Volgam*, venisse; hinc in mare Balthicum intrasse, et ad Hyperboreos et sinum Finnicum penetrasse: quo quum venissent, navem per terram traxisse, et per fluvium Ulense venisse in mare Cronium, hinc in mare Mortuum, et Cimmerium, inde ad Iernidem sive Hiberniam insulam, et per mare Occiduum ad Herculis columnas, et post varios per mare Mediterraneum errores tandem ad portum Iolciacum rediisse. Quæ si non somnia et ludibria, ego nulla unquam agnoscam: sed excussit hanc Rudbeckii opinionem satis diligenter Georgius Caspar Kirchmaierus, edita Wittebergæ, A. 1685, dissertatione de Argonautarum expeditione, cujus scrinia nos non compilabimus; sed lectori integrum judicium relinquimus, quum hæc, quæ et olim et hic dicimus, præfationem non librum nos scribere memores, sufficere credamus; nec plura de ipso poeta et ejus argumento, addere decrevimus. Obiter tamen de obscuritate hujus poetæ, quæ caussa fuisse videtur, cur neque tam nobile inter epicos nomen, ut merebatur, sit consequutus, neque toties editus et commentariis illustratus, ut alios ejus ordinis videmus, in ora hominum venerit, aliquid addemus. Dictionem ejus et stylum vere poeticum et latinum esse nemo latinæ linguæ et poeticæ artis peritus negabit: abest enim ab eo omnis tumor inanium sententiarum, et affectatum declamatoriæ vanitatis acumen et argutia; sed multa, fateor, singularia, tam in verbis quibusdam quibus aliter utitur ac reliqui, quam in ipsis locutionibus deprehendi agnoscimus, et ad ipsa poetæ nostri loca adnotare non prætermisimus: præcipuam vero obscuritatis caussam, illis, qui nolunt in expendendis morose verbis scriptorum, quos legunt, hærere, obvenire ex conciso sæpe et

abrupto loquendi genere censemus; vid. ad lib. I, 202, VI, 213 et 269, VII, 520, et infinita alia loca: deinde sæpe omissum verbum aliquod, ut, II, 375, 398, et III, 575, et præcipue, quod substantivum vocant grammatici, *sum*, ut, II, 133, 475, VII, 159, et passim: præterea particulas, quæ copulant membra orationis, ut *et*, *atque*, *que*, nunc omittit, nunc trajicit, et sæpe remotiori vocabulo, quam fieri solet, conjungit; vid. lib. I, 502, 529, II, 222, III, 444, IV, 342, V, 397, et centies alibi: immo præcedenti voci jungere, quum sequenti adhærere deberet, τὸ *que* vidimus ad VII, 156. Pronominis etiam relativi, ut vocant, quo connecti solent sequentia verba, omissio obscurat sæpe ejus orationem; vid. II, 404; V, 565. Et alia verba, quæ lector supplere debet, omissa esse ubique fere, ubi alii posuissent, in notis animadvertimus: hæc et similia qui non observant, hærere sæpissime in Flacci sensu expediendo facile credimus. Eruditio etiam singularis, græcæ literaturæ summa peritia, multa ipsi subministrabant, ex fabulis Græcorum et veteribus monumentis, non exposita et obvia, in quibus percipiendis et interpretandis etiam docti hodie vix se expediunt. Deinde multa etiam esse effusa a primo poetæ calore et manu, quæ fortasse secundis curis emendasset et polivisset magis, credimus; ut ita Barthius ad Stat. Theb. V, 99, non expleta nec emendata multa in hoc poemate agnoscit: sed maximam labem Valerio et vulnus imposuere librarii, qui rudes omnis elegantiæ infinita loca depravarunt, in quibus castigandis laborarunt maxime interpretes, et nos sæpius sudasse non modo, sed et *non liquet* pronuntiare coactos, lector deprehendet. Et hæ etiam nos impulerunt caussæ, ut in notis sæpe amplioribus verbis ea exponenda esse duxerimus, quæ quidem doctis clara et manifesta credimus, sed tironibus et non assuetis poetarum lectioni moram injicere possent; maluimus enim uberiores justo videri, quam obscura loca intacta relinquere.

Altera nunc præfationis pars versabitur in recensu edi-

tionum, et commentariorum, annotationumque, quæ a renatis literis, et artis typographicæ incunabulis ad nostra usque tempora prodierunt: de quibus, quantum eorum a nobis versatum et inspectum fuit, ex animi sententia, procul ab odio et invidia judicium et sententiam feremus; subjecturi denique, quid nos in hac editione præstitisse nobis visi sumus.

Et primo quidem merito miramur, nullum eum interpretem, aut scholiastem sortitum inter Veteres, ut Terentio Donatus, Virgilio Servius, et alii aliis poetis hanc operam dederunt: sive obscuritas deterruerit, sive nulla ex labore poetæ, quem pauci versabant (nam rara vel potius nulla ejus apud veteres Grammaticos mentio), gloria speraretur, et hinc quoque penuriam scriptorum codicum fluxisse arbitror. Quo vero casu et fortuna inventus codex Valerii Flacci, ante illa tempora vix noti, a Poggio fuerit, enarrare supervacuum credo, quum nemo, ex bibliothecarum aut historiæ literariæ scriptoribus id omiserit, satisque jam eruditis id constet. Primam vero omnium editionem memorari video Bononiensem, A. 1474, per Ugonem Rogerium, et dominum Berthocum Regienses, a Labbæo in supplemento IX novæ Bibliothecæ, pag. 351, ex regia bibliotheca, et a Maittairio in Annal. typogr., tomo I, pag. 109. Hanc passim laudant Pius et Maserius in commentariis, sed mihi eam videndi fortuna defuit, ita ut de ejus meritis, nisi ex indicio istorum commentatorum, existimare non liceat. Antiquiorem tamen exstitisse editionem, et ab ipso Poggio, quem magnam partem Valerii Flacci, cum Asconii Pediani fragmentis, et aliis (vid. eruditissimam cl. Drakenborchii in Silium Italicum præfationem) auctoribus, reperisse novimus, curatam suspicari quis posset ex Tomasini bibliotheca Pignorii, quæ inserta Thesauri Italici tomo VI, parte III, pag. 145, et descripta est ab eodem in bibliotheca Patavina, pag. 85, ubi inter ejus libros recensentur, fragmenta Asconii Pediani, et C. Valerius ex editione Poggii; sed quia in-

ter libros calamo exaratos referuntur, malo credere, ex codice Poggii fuisse exemplar descriptum, quia ipse Pignorius in Antenore suo, pag. 80, hæc habet: *Est apud me MS quoddam, in quo in fine hæc leguntur: C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in monasterio S. Galli, prope Constantiam, XX millibus passuum, una cum parte Q. Asconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum, nos quod potuimus egimus. Poggius Florentinus.* Ex quibus verbis etiam colligeret aliquis, ipsum a Poggio inventum codicem ad Pignorium pervenisse: sed video Florentinam editionem in-4, sine nota anni, apud S. Jacobum *de Ripoli*, referri ab eodem Maitairio, pag. 377, de qua, an prior, an posterior sit Bononiensi, dijudicare non licet; alteram A. 1494, in-fol., sine nota temporis et loci memorat cl. Fabricius in tomo II Bibliothecæ Latinæ, pag. 633 (1), sed nec eam Maitairius inter ejus anni editiones numerat, neque ab alio ullo ejus mentionem fieri novi. Venetiis deinde, A. 1501, edidit in-4 Christophorus de Pensis de Mandello, quam passim commentatores prisci laudant, ut et Carrion et Zinzerlingus, quem vide ad lib. I, 41; sed neque hanc oculis meis lustrare contigit. Florentinam, a Philippo Junta editam A. 1503, in-8, memorat Maitairius, tomo II Annal. pag. 165; quæ an eadem sit, quæ annum 1517 præfert, de qua postea agemus, nescio. Sæpe vero veteres typographos, æque ac nostri temporis, iisdem editionibus, si non cupidos emptores statim reperirent, notas annorum renovasse, et prioribus rescissis, novos indices præfixisse deprehendimus. Quare hanc quoque, si exstet, inter non visas nobis reponimus. Sequuta

(1) Vel in novissima editione cura cel. J. A. Ernesti, tomo II, p. 252, ubi editio ex officina Ascensiana Parisiis 1511 prodiisse dicitur, et exemplum 1494 est repetitio prioris A. 1474. Præter ea cel. Ernesti ibidem notat, et Burmannum, in hoc genere literarum tam tritum, minus accurate dixisse de editionibus, quam vellet, aut lector diligens postulet. Harl.

deinde Parisiensis, A. 1512, per Jod. Badium Ascensium et Joannem Parvum, cujus etiam copia nobis facta non fuit: eam vero esse, quam Parisiensis nomine passim citat Maserius, credimus. Sed Juntinam, A. 1517, in-8, versandi facultatem habuimus, eamque curasse Bartholomæum Fontium, varia linguarum literatura munitum atque instructum, ex præfatione Benedicti Philologi Florentini ad Bernardum Michalottium didicimus, sed quæ simul scrupulum injicit de commentario ejusdem Fontii (1), quo destituitur illa editio; nam addit, elegantem et eruditam ejus interpretationem se una cum aliis lucubrationibus publicare jam accinctum esse, quæ an unquam prodierit nescio: edidit quidem Georgius Remus, J. C. et Noricæ Reipublicæ consiliarius, Francof. A. 1621, opera exquisitissima Bartholomæi Fontii Florentini v. cl. familiaris Matthiæ regis Pannoniorum; sed inter illa nihil, quod ad Valerium nostrum spectet, reperi, nisi quod, in dialogo, qui inscribitur Tadeus, ad Tadeum Ugoletum, de Locis Persianis, pag. 13, Valerii explanationem se professum esse dicit, et specimen ejus affert, emendationem loci ex lib. V, 75, ubi pro *Callirhoa* posuisse se *Callichorum* dicit, quæ tamen emendatio in Juntinam editionem non est recepta; quod mirum, si istam recensuerit Fontius. Hic vero Fontius videtur Valerium publice fuisse interpretatus, quod colligo ex ejus oratione in laudem Oratoriæ Facultatis, habita Florentiæ VII Nov. MCCCCLXXXI, in qua, pag. 304, dicit, *se veterem consuetudinem esse intelligere, poetas et oratores interpretandos assumere:* quare, *ut plerisque id rogantibus obsequeretur, se Valerium Flaccum et Ciceronem aggredi.* Evocavit vero hunc Fontium, ut plures Italos, Ugoletum, Cælium Calcagninum et alios, in Ungariam Matthias Corvinus, ut eorum consilio et opera literarum studia instauraret, et bibliothe-

(1) Fontius in textu licentius versatus esse arguitur in Bibliotheca lat. Fabricio-Ernestina, pag. 252. Harl.

cam instrueret. Hic vero Fontius, non multum inter eruditos celebratus, a clarissimo Bailio etiam ex Gaddio memoratur. In epitome Gesneri dicitur ejus prooemium et explanatio in Persium, manuscripta in Imperatoris Bibliotheca servari: sed quid opus erat manu exaratam illam explanationem, quasi anecdotam, et quæ publicæ luci nondum esset commissa, memorare; quum editam eam habeam Venetiis, XIV Feb. 1494, sumptu Johannis de Tridino, simul cum vita Persii, et procemio de Satira ejusdem Foncii (ut ibi vocatur, non Fontii, ut exhibet Maitairius, p. 328, qui tamen, p. 361, Foncii edidit), et commentario Joannis Britannici, et quam repetitam esse A. 1499, ex Maitairii Annalibus, pag. 361, video: addita est in fine epistola ad Franciscum Saxetum de mensuris et ponderibus. Immo jam Venetiis, A. 1491, Fontii commentarium in Persium prodiisse Bailius refert, ad quem annum Venetam refert Maitairius d. l. pag. 310; sed cum solo Britannici commentario, qui etiam, p. 169, duas Venetas, A. 1482, profert Persii editiones cum commentariis Fontii: ita ut, quum ad minimum quatuor prodierint ante id tempus editiones, mirum videatur, eas ignorasse Remum. Cur vero sequutæ editiones, quæ veteres commentatores repetivere, Fontium ejecerint, ignorare me fateor: certe in editione Basileensi, 1551, quæ in fronte promittit omnium, quæ in eum diem editæ exstant, annotationes, nihil Fontii offendi; quam etiam credo caussam fuisse, cur Georgius Remus illa opuscula, inter quæ in Persium Fontii notæ sunt, edidisse se dicat ex libro pergamena charta scripto (quem suspicatur ipsum codicem fuisse Matthiæ Corvino oblatum; quod si verum sit, potuit etiam ille esse, quem in Bibliotheca Imperatoris fuisse suo tempore Gesneri Epitomator dixit, ut vidimus) bona fortuna in Saxoniam delato, et ab Augusto Juniore, Brunsvigæ et Luneburgii duce, suppeditato: additque Remus hujus scriptoris nullam a Gesnero in bibliotheca sua mentionem fieri. Orationes etiam, quæ, inter opuscula, numero

sex leguntur, sine nota anni, loci aut typographi, sed charactere pulcherrimo in-4 editas refert Maitairius, tomo I, p. 380. Atque hæc in transitu de Bartholomæo Fontio observasse non injucundum putavi, quia ejus viri memoria fere interciderat vel exoleverat. An vero illi, sive Philologus (quem laudat egregie Crinitus de Honest. Discipl. lib. XVIII, cap. 2, et quo duce editionem Juntinam prodiisse videtur credidisse Maserius ad lib. I, 7), sive Fontius, officio suo recte perfuncti sint, et bona fide Flaccum ediderint, jure dubitari potest: plurima enim sine ulla, ut videtur, codicum scriptorum auctoritate, certe nulla reddita ratione, mutavisse, et conjecturas suas lectori imprudenti obtrusisse patet, et interpretes posteriores, et nos passim editorum horum temeritatem in notis ostendimus. Nam hoc fere Juntinarum editionum fatum fuit, ut pro ingenio aut eruditione correctorum notæ melioris lectiones exhibeant, aut pro imperitia et audacia imperitorum insignem in modum sint depravatæ: sic Marullo auctore Lucretianam Juntæ editionem, a Petro Candido curatam, pejus ulla alia esse habitam ab illo audaculo Græco, querentes Victorium et Scaligerum exhibet cl. Fabricius in Bibl. Latina, tomo I, p. 59, et t. II, p. 45, et hoc de aliis, si id agendum esset, facile ostendi posset: sed quia idem pestilens sidus correctores officinæ Aldinæ et aliarum afflavit, plura mox, ubi ad illas editiones nos series deduxit, observabimus in hanc rem. Nunc ad proximam ab hac editionem nos conferemus.

Eodem A. 1517 prodiisse Flaccum Parisiis cum Ægidii Maserii scholiis, Ascensianis typis, refert Maitairius, t. II Annal. pag. 306; quam si viderit, fidem ipsi habendam puto. Fabricius tamen annum 1519 isti editioni assignat, et ipse plurimas hoc anno notatas vidi, et duo adhuc exemplaria servo, quæ 1519 præferunt, et in fronte jactant prodire cum eruditissimis Ægidii Maserii Parrhisiensis commentariis, et venundari in ædibus Joannis Parvi et Jodoci Badii, eorumdem impressoris; nec eam denuo recensere omisit

Maitairius, sed non ut a se inspectam, sed ex Gesneri bibliotheca notam, refert p. 338. Incredibile certe mihi videtur, tanti visos Maserii commentarios, ut intra biennium eos repetere Badius spe lucri certi fuerit adactus, nec tam cupide divenditos puto, quum et hodie in non paucis auctionibus eos expositos viderim. Quare potius conjicere liceret minime placuisse, quum prodirent primum, A. 1517, hos commentarios, sed typographos, ut cupiditatem libri, quasi tam cito divenditi, excitarent emptoribus, tralatitia imposuisse fraude, et, ut novæ merci, novum titulum proposuisse: sed et aliæ mihi tenebræ offunduntur ex Carrionis notis, qui aliquando (ut ad lib. I, 41, et alibi) duplicem Parisiensem editionem memorat, vetustiorem, et recentiorem; quæ an sint duæ illæ Maserianæ, an una, et deinde altera, A. 1532, in-8, quam Fabricius laudat a Colinæo curatam, de qua mox dicendum, nescio. Vetustam aliquam Parisiensem laudat Barthius ad Stat. Theb. V, 62, et ipse Maserius ad lib. I, 7, meminit, sine nomine, alicujus hominis, cujus opera Valerius Parisiis novissime impressus est, ejusque nugas refutat: qui quis sit ignorare me fateor, et vellem perspicue magis hoc explicuisse viros doctos; nec his expediri me posse video, nisi fortuna ipsos codices oculis obtulerit. Edidisse vero Maserium suos commentarios, antequam videre posset Paptistæ Pii editionem, inde conjicio, quia ad d. XIV Kalend. Febr. emisisse se notat Badius, Pii vero editor XIX Kal. Mai. ejusdem anni præfert. Quare ne quis, ubi Pium a Maserio citari viderit, credat illum post Pium suum commentarium concinnasse: quæ enim citat, sunt ex Adnotamentis Pii, quæ A. 1504 prodiisse mox videbimus. Sic quæ laudat ad lib. II, 627, ex c. 156 Adnotamentorum, quæ III, 438, et IV, 428, ex c. 148 sunt petita; et ita in aliis locis. Adfectavit vero hic Maserius morem veterum interpretum et scholiastarum, quos omnes fere primi poetarum interpretes in Italia æmulabantur, et sæpe impudentissime et ignava opera compilabant,

codicibusque manu exaratis suppressis, veterum interpretum labores pro suis venditabant; ut de Domino Calderino et aliis constat. Ideoque Maserius illorum exemplo verbosas sæpe et longas intermiscet, de fabulis, argumentis geographicis et historicis dissertationes, quæ hodie in illa literarum luce, et tanta librorum, omnia illa amplissime complectentium, copia, putidum et ineptum esset, iterare. Quare ea tantum ex ejus adnotationibus excerpsi, quæ vel lectioni dubiæ et sollicitatæ constituendæ, vel obscuriori loco explicando facere mihi videbantur. Quis fuerit hic Maserius, quo loco et ordine habitus, vix indagare potui, nisi quod ex ejus commentariis quædam de rebus suis intermiscere animadverterim: sic ad lib. V, vs. 24, dicit, se primum vix egressum lustrum orbatum fuisse materna dulcedine. Avunculum memorat Jacobum de Molendino, in divinitate magistrum, a quo codicem Virgilianum se accepisse gratus agnoscit ad lib. III, 378. Huic labores suos in hunc poetam exantlatos inscribit, eumque theologiæ professorem appellat. Dedicatio vero illa adfectatione putidissima etiam non admodum teneras et delicatas aures facile offendet. Nec minorem subactis ingeniis risum movere debet allegorica ejus, quæ per totam fere dedicationem regnat, interpretatio hujus expeditionis Colchicæ: nam et ibi, et in prænotatis suis, hanc militiam, imaginem et vivam speciem esse contendit cursus vitæ humanæ, quæ per multa pericula et incommoda, variosque terræ marisque labores jactata, nave Palladia, id est, prudenti consilio freta, tandem ad arietis vellus aureum, id est, agnum illum, quem deum esse, qui ovis et aries dicitur, perveniat. Hæc avunculo fortasse ejus placuisse potuerunt, qui si ex illo grege theologorum fuit, qui his ineptiis et somniis sacras etiam historias fœdant et obscurant, vehementer sororis sui filii ingenio delectari potuit. Hinc certe videmus, nullo tempore defuisse mente motos, et imaginariæ doctrinæ antistites, qui fatuis et ridiculis explicationibus, omnes sive fabulas, sive historias, ad allego-

rias trahere tentarunt; quales nec Metamorphosibus Ovidii, nec Virgilii Æneidi, immo nec Homeri poematibus defuisse novimus. Et utinam hoc genus stultorum non uberrimus adhuc hodie proventus exsisteret, qui pium et sanctum esse putant, etiam divinis voluminibus consignatas historias, interpretationibus alienis, ad sensus hos arcanos et reconditos detorquere! quibus commentis nihil aliud efficiunt, quam omnia profanis ludum et jocum facere, et, dum lasciviam insanientis ingenii jactant, a solida eruditione longe devertere, et adolescentes etiam, et inprimis mulierum credulas et infirmas mentes his vanis imaginibus repletas, ad nugas et inanes labores deducere : sed hæc mittamus, nolumus enim crabrones irritare. Fausti, præceptoris sui, passim honorificam mentionem iujicit, deque illius salute tam certam spem concipit, ut ejus animam in sinu Abrahæ collocatam optet; vid. ad lib. I, 33 et 134. Credo vero illum esse, Faustum Andrelinum Foroliviensem, quem in Academia Parisiensi jam triginta annos poeticam docuisse narrat Erasmus in proverbio, *Syracusana mensa*, quemque congerronem veterem suum vocat. De eo etiam Erasmi hoc judicium circumferunt, ejus scriptis nihil, nisi unicam syllabam, nempe νοῦν, defuisse; vide Salvagnium ad Ovid. Ibin, versu 533, et Bailleti judicia de poetis recentioribus, parte III, p. 119, ubi eum mortuum ait A. 1518, quod satis voto Maserii, quod modo retulimus, congruit; licet jam A. 1517 eum mortuum credat Bailius in Lexico critico, ubi plura de hoc poetarum lumine collegit; si tamen ex Bailleti sententia A. 1518 obierit, non video, qua specie edidisse jam A. 1527 potuerit Mascrius commentarium : nisi in illa editione mentio mortis tam chari magistri omissa, secundæ demum sit inserta; quod si vero in utraque editione votum illud legatur, non potuisse mihi videtur in ipso initio commentarii mentionem fecisse hominis A. 1518 mortui, quum summa manus mense Augusto ejusdem anni jam sit imposita, referente Maitairio: nisi statuamus, Faustum ipso initio

anni mortuum, et ita festinavisse operas typographicas, ut post mortem Fausti inceptum opus, inter quinque vel sex menses absolverint. Sed hæc exquirant, quibus istius editionis videndæ copia contingit. Hujus Fausti vero Liviam (ita amicam Bononiensem vocat) quam ea tempestate canebat, *qua nondum prima lanugo juvenili vultu pullulare ceperat*, et deinde Elegiarum libros tres, et unum ad Carolum Burrhæum Patricium Parisiensem, vidi editos Parisiis anno 1496, in-4, quorum in præfatione, promittit satiras decem, epigrammata ducenta, sphæricum dialogum, morales centum epistolas, et latinæ linguæ observationes. Ex illis vidi multos fuisse ineptiores poetas Andrelino nostro; nec tam poeticam ipsi venam, quam elegantiam illam, et castitatem sermonis latini deesse: legitur inter alias elegia, qua narret se ab Universitate Parisiensi electum ad oratoriam et poeticam artem interpretandam, deriso et expulso quodam Corvo ignorantissimo, et laudat munus a Guillelmo de Rupeforti, Cancellario Galliæ, cui librum primum Amorum dedicavit, acceptum: hanc editionem non vidisse videtur Maitairius, licet librarium Guidonem Mercatorem ad annum 1489 referat. Eumdem Bailium etiam temere, et non inspecto libro, affirmare puto, poemata Andrelini inserta esse tomo primo Deliciarum Poetarum italorum, quum nihil præter 46 disticha, ex aliis operibus excerpta, ibi, p. 107, legatur. Quorum tam exiguam rationem Gruterus habuisse videtur, ut nec nomen Fausti in Catalogo poetarum partis primæ conspici voluerit. Huic Fausto quosdam adscripsisse satiram illam violentissimam, quæ dialogi, qui inscribitur Julius, sub specie, acerbissime Julium II lacerat, refert Bailius in Julio II; sed hanc ad Erasmum, facetioris et acutioris ingenii Belgam, auctorem doctorum suffragia retulerunt; vide Placcium de Anonymis, n. 1513, *a*. Crebro etiam Maserius, summa cum honoris et reverentiæ testificatione, meminit Joannis Francisci Quintiniani Stoæ, quem oratoris concitatissimi, poetæ sonori et gravis titulo exornat, eique se

multum debere sæpius fatetur; vid. ad lib. I, 331, III, 349, 422, 571, et IV, 214. Acriter etiam eum contra invidos Quintianomastiges defendit. Nec tamen tanta discipuli in magistrum pietas efficere potuit, ut benignius de eo censeret J. C. Scaliger in Hypercritico, pag. 728; nec vehementissime in eum inveheretur Laurentius Balbus ad poetæ nostri lib. I, 331. Immo auctor observationum in Menagiana, tomo III, pag. 81, non dubitavit, eum pædagogum (*pédant*) appellare, nobisque egregium futilis ingenii specimen producere, præfationem nempe, quam Stoa Parthenoclea præposuit, obscurissimam, et affectatione turpissima nulli sano intelligendam: immo quam nemo ad finem perlegere sustineret, qui adsuetas elegantioribus scriptis aures habet. Cum qua si quis Maserii notri dedicationem, avunculo inscriptam, comparare velit, egregie sub tam stulto magistro fatuum discipulum profecisse comperiet. Barthius tamen, ne quid dissimulemus, ad Statii Theb. II, 575, hominem non ineptum ingenii et lectionis, sed judicii et elocutionis a suo sæculo victum pronuntiat, ejus etiam poeticam facultatem commendat ad Nemesiani Eclog. III, 62. Nos, qui præter illam præfationem, nihil ejus vidimus, nec etiam magno videndi desiderio tenemur, facile ferre possumus ejus laudes, dum bona mens a talium æmulatione nos revocet et deterreat: sed hinc æstimare Maseriani ingenii dotes unicuique licet, qui, quum sub his præceptoribus creverit, eosque semper admiratus fuerit, sine miraculo ad veram solidæ doctrinæ et eloquentiæ laudem adspirare potuisse mihi non videtur. Hinc etiam commentatorem nostrum in Laurentium Vallam tam acerbe invectum credimus, quia ille barbaras et minus usitatas optimi ævi scriptoribus voces et locutiones proscribere et damnare fuerat ausus; quum ipse affectaret et captaret remotissima ab usu elegantiori vocabula, vel etiam novata a recentioris temporis auctoribus probaret; vide ad lib. VII, 85: neque obtusos etiam et lividos dentes, ineptus censor, infigere timuit *Teutonicæ*

juventutis pædagogis (forte Erasmum, Sturmium, Melanchtonem, et qui eorum sectam sequebantur, innuens), quod *Alexandrum Grammaticum, Gallum, sensu facilem, materia refertum, verbisque succinctum*, ne citari quidem paterentur. Quem vero Alexandrum intelligat dubito, nisi sit ille, qui de *Villa Dei* dictus nomen aliquod habuit circa A. 1240, et de quo videri poterit Vossius, lib. I de Anal. cap. 29. Video etiam, inter prima initia typographicæ artis prodiisse Alexandri Grammaticam Venetiis, 1473, et 1482; quas editiones Maitairius memorat. Præterea in epistolis obscurorum virorum Alexandri *partes* sæpe citari video, qui an idem sit auctor nescio, nec operæ pretium puto obscurum hunc tenebrionem in lucem retrahere. Et quid opus Maserium ex magistrorum suorum institutis, et disciplina, et aliorum elogiis censere, quum de ejus ingenio liceat nobis ipsis conjicere ex epigrammate, quod in Teutonicos magistros effundit ad lib. I, vs. 33; quod hic legi volumus, quia in paucorum manibus ejus commentarius versatur :

Invidiam generavit Honos, Virtusque serena
  Edidit : estne sato dignus uterque parens?
Pectore viroso fœda Obtrectatio lingua
  Prodiit, huic Timor est cui pater, Ira soror.
Partus inanis abit, vestigia syrmate delet
  Gloria, dehinc dominos digna præire sequens.

Aliud non minoris elegantiæ prodit ad lib. V, 196:

Parvus erat Phryxus, vectus trans litora ponti,
  Parva Helle, invisis mersa puella vadis.
Succrevit Phryxus, crevit non addita nymphis
  Hic dea de Pario marmore facta soror.

Quam implet poeticas aures illa syllaba *us* ter repetita, *parvus, Phryxus, vectus!* sed ex hoc ungue leonem licet noscere, et Andrelini et Stoæ germanum discipulum æstimare; licet plus a Stoa, quam Andrelino arripuisse putem. Carrion et Balbus, nullam fere omittunt occasionem Maserium, quem interpretis nomine designat, traducendi. Et ille, eum levi manu tractasse poetam, omnia inoffenso pede præterire,

nusquam hærere, nusquam subsistere (quanta felicitas ingenii!) dicit ad lib. III, vers. 76: invenit tamen Dempsterum, qui ad Rosini Antiquitates, lib. II, cap. 4, pag. 98, ejus commentarios doctos sibi videri pronuntiavit, quem frui hoc suo judicio facile patimur. Sed non doctrinæ tantum et ingenii, qualecumque fuit, in hoc commentario monumenta nobis reliquit, verum etiam mores suos et judicia de religione ejusque antistitibus, ut suo tempore erant, ignorare nos noluit, ad lib. III, 398. Sacerdotes sui sæculi eorumque inscitiam et socordiam vivis satis coloribus depingit. Ad ejusdem libri vers. 444, sacra lustralia gentium explicans, addit, suorum sacrorum antistites etiam, *hæc aliter mutantes*, pro animabus, pro quibus orare pium et summum opus est, sacra facere lustralia, requiemque æternam precari, et cantu uti lustrifico, quoque frequentius sacrum (missæ) fit et sanctius, eo sperari utilius credit: non dissimulans, ut nec Pium fecisse videbimus, cerimonias suas Ecclesiam romanam paullulum mutatas ex Ethnicismo derivasse: et hinc multis de frequenti missarum et sacrificiorum usu ac repetitione disputat; nec dissimilia sunt, quæ adducit ad lib. I, 795, et III, 367, ubi et allegoriis suis indulget: licet in priori loco non male sentire videatur; hostiam nostram non esse taurum aut vitulum, sed Deum ipsum, filium Dei; nisi quis, non tam ipsum Christum, quam hostiam in missa oblatam respexisse, existimare velit. Nec credidisse etiam facile vulgi omnibus rumoribus et opinionibus, quibus viros magnos infamare et suspectos magiæ facere consueverunt invidi, indicio est, quod Picum Mirandulanum hujus criminis suspicione liberat ad lib. VII, vers. 212. Quale vitæ genus sequutus fuerit, et an fuerit Maserius clericus vel monachus, nescio, sed μισογυνὴς certe fuit; nec dissimulat, sed odium in muliebrem sexum declarat ejus nota ad lib. II, 156, ubi muliebre genus *elogiis* his exornat, quod sit *flamma cruenta*, *scorpionis percussio*, *iniquitatis via*, *janua diaboli*, *genus viris noxium*, *mentis*

castæ tentamentum, labes prima, viscus inevitabilis; urens ventus, quum admovetur stipula, ignem accendens; et veram sententiam esse Catonis, si absque femina mundus esset, nostram non fore sine diis conversationem, et deinde plura alia convicia cumulat undique collecta : addit maritos duos tantum dulces habere dies, nuptiarum et mortis uxoris; quæ sententia omnium ore trita est. Sed hæc de Maserii dotibus, viri parum eruditis et Lexicographis cogniti, sufficiant, quæ non injucunda fore illis, qui historiæ literariæ recessus omnes esse excutiendos hodie censent, putavi. Scripsisse etiam in Senecæ tragœdias dicitur, ejusque nomen in fronte editionis Ascensianæ 1513 legitur: sed nihil inter commentarios isti editioni adjectum ab eo notarum reperio, nisi epistolam ad Dionysium *de Bidant*, et brevem dissertationem de tragici carminis metro, et carmen iambicum ad Stephanum et Antonium Lapithæos fratres. Unde non caute satis cl. Fabricium, in supplemento Biblioth. Latinæ, I, pag. 526, Senecam cum Maserii inter alios notis prodiisse, affirmasse colligo, quum nullæ conspiciantur in editione, quam memoravi: sed in gratiam Badii recensuisse illam editionem videtur; erat enim familiarissimus Ascensio, et ejus laudes sæpe celebrat : curam ejus circa Senecam prædicat ad Val. Flacc. I, 202; immo se ad doctissimi Ascensii portum, inter navigandum procellis agitatum, confugere profitetur ad lib. VII, 541 : vicissim Ascensius in edit. A. Gellii, A. 1524, scholia in singula capita a se collecta esse ex adnotatis Ægidii Maserii præ se fert; quod jam animadvertit diligentia Crenii, t. XV Animad. Philolog. p. 33.

Ne vero aliquid supersit, quod vetustioris Maserio interpretis suspicionem moveat, notandum est, in notis ad Valerium Maserii sæpissime emendationes Sabellici produci et laudari, quæ ex ejus adnotationibus, typis Ascensianis editis A. 1511, et in tomo I Facis Criticæ relatis, sed vitiosissime habitis, repetitæ sunt, licet quasdam omiserit Maserius; Baptistæ etiam Egnatii ex Racemationibus cap. XIX,

locum Valerii, lib. I, 398, explicatum memorat, et simul integros in Val. Flaccum commentarios illum conservare addit. Ejusdem etiam interpretationem in Valerii Argonautica, sibi non visam, commendari a J. Pierio Valeriano ait ad lib. I, 331 (1).

Eodem anno 1519, licet quosdam ad sequentem annum referre videam, prodiit Valerius Flaccus cum commentario Joannis Baptistæ Pii Bononiensis. Quam editionem rarissimam esse, et diu a se quæsitam Heinsius, ea inventa lætus monet. Hac diu etiam carere me dolui, neque, quum frustra per omnes Europæ partes investigari jussissem, nisi ipso temporis articulo, quo jam prælo commissurus eram poetam, nancisci licuit; quum ex auctione publica insano et iniquo pretio, quod incendere solent locupletes bibliothecarum exstructores, qui omne genus librorum, quos numquam inspiciant, animosissime coacervant, comparavi. Quam ut cœpi perlustrare, vix dici potest, quanto gaudio affectus fuerim; quum, si illa in manus nostras non incidisset, vix plagii suspicionem evadere potuissem. Plurima enim, jam a me scripto consignata, in notis Pii deprehendebam, quæ a me profecta ante credebam, sed quæ a Pio jam occupata esse comperiebam; quare libenter et aperte illa omnia, ut ingenuum et candidum virum decet, auctori transcripsi, ne calumniæ aditum aperirem. Quum vero neminem ex recentioribus viderim, qui de Pii meritis in Flaccum judicium

(1) Addere lubet, quæ in Biblioth. Lat. Fabricio-Ernestina, p. 255, ab Ernesti, v. cl. forte scripta leguntur: « Habeo exemplum editionis Bononiensis 1498, cum variis lectionibus manu veterrima adscriptis, in his etiam versibus aliquot, qui in edd. pr. non sunt, sed et ab aliis insertis e manuscriptis libris. Putavi esse e codice Farnesiano, sed lectiones cum nulla editione vetere omnes consentiunt, ut e libro scripto ductæ esse videantur. Sed dum eas comparo cum editione Burmanni, reperi edit. Bononiensem non satis diligenter consultam esse ab Heinsio et Burmanno: nam interdum ejus auctoritate poterant uti ad lectiones firmandas, quæ ipsis placebant ». De hac Bononiensi ejusque pretio plura disputaturus sum in præfatione. Harles.

per se ferre potuerit, sed omnia fere, quæ de eo proferunt, paucorum et in primis Heinsii judicio debeant; neque etiam Carrionem aut alios commentatores eum consuluisse compererim, accuratius mihi de hoc homine esse agendum, existimo. Licet vero tam immane huic editioni pretium hodie statuatur, tanti eam valere vix affirmare ausim (1). Scatet enim operarum et correctorum infinitis mendis, ita ut ejus nulla fere auctoritas esse possit, in verbis ipsius poetæ constituendis: nihil vero incommodnm magis lectori accidere debet, et incertum eum dimittere, quam quod plane diversa sæpe lectio in initiis notarum, quibus verba auctoris solent præponi, quam in ipso poetæ contextu reperiantur: cujus sive negligentiæ, sive perversæ rationis, infinita exempla adduci possunt; sed quædam videbit lector ad lib. II, 78, V, 195, ct pluribus aliis locis. De ipso Pio, et ejus vita, hæc fere partim ex ipso commentario, partim aliunde cognovi: patria fuisse Bononiensem, ex familia nobili, equestri et senatoria, quæ olim Andalea dicta, deinde Pii nomen assumpsit; vid. ad lib. II, 612, ubi etiam gloriatur, huic genti maximum lumen addidisse Virginem sanctitate vitæ præclaram, Dianam, quæ inter divas relata Agnes nomine decorata, et templo honorata fuit; afflictam vero civilibus factionibus, quas misere Italiam lacerasse novimus, deinde queritur, et ideo multum de antiquo splendore amisisse. Inter majores celebrat, Contestabilem Andalum, quem Imperatoriarum, id est Gibellinarum, partium ducem, in exsilium ab adversariis pulsum narrat ad lib. I, vers. 239. Ipse vero, inanes illos nobilitatis titulos contemnens, maluisse se esse, quam videri fatetur, et ad literarum studium se recepisse, in eoque acquievisse gaudet; nec infra generis dignitatem se demisisse, quod pæne puer susceperit juventutis erudiendæ provinciam, arbitratur, in commentario ad Planti Bacchid. act. V, sc. VII, 17. Me-

(1) Adde Biblioth. Fabricio-Ernestinam loco mem. p. 252. HARLES.

diolani vero maximam ætatis partem exegisse, inde colligo, quod eam dicat *patriam suam subsecundariam*, ad Flacci lib. VI, vs. 165. Sub Leone X Romæ versatum, et publice ibi docuisse, variis hujus commentarii locis profitetur; vid. ad lib. I, vs. 1, et VII, vs. 330. Jovius vero in Elogio ejus, a Paulo III, cui familiaris olim fuerat, in Urbem accitum, ibique octogenario majorem in munere publico obiisse narrat, quum antea Bononiæ, Mediolani, et Lucæ per quinquaginta annos juventutem docuisset. Quare, si qnis potius Pio de se prædicanti, quam Jovio velit fidem habere, credere debet Pium sub Hadriano VI, aut Clemente VII, Roma discessisse, iterumque a Paulo revocatum fuisse. Academiæ vero Romanæ se sæpe principem et moderatorem prædicat, nec defuisse ipsi invidos, qui gemerent et mussarent; interque primos sibi iniquos et obtrectatores, *fœdum quemdam Archiminum* refert; vid. ad lib. I, 455, 532, et V, 260: quem, quum non nominet, post tanti temporis intervallum difficile credebam posse a me reperiri; sed quum Jovii elogium diligentius exigerem, et epitheton illud *fœdum* perpenderem, suspicio incidit admodum verisimilis, notari Thomam Phædrum, virum eloquentiæ laude eo tempore insignem, et cujus mentionem fecimus in præfatione ad Gudii et aliorum epistolas. Hic enim quum verum et sincerum eloquentiæ genus sequeretur, affectationem, et antiquarum obsoletarumque vocum ex rancida vetustate delectum, in Pio ferre non poterat; quare, ut ejus ineptias traduceret, per ingenuos juvenes fabulas Plauti aliorumque non modo in theatro exhibebat, sed ipse Oscorum et Aboriginum sermone conscriptam a se fabulam, in Pii opprobrium agendam histrionibus, discipulis suis, dedit: hunc certatim laudibus extollunt viri summi, ut Bembus initio de Culice Virgilii, pag. 778, qui Pomponii Læti sectatorem dicit; Pier. Valer. ad Virgilium, Æneid. XII, 159; et, quia erat ex Familia Inghiramia, deinde Leo Allatius ad Fragm. Etrusc. p. 199, et seqq. et Carolus Datus de Picto-

rib. Antiq. pag. 134, qui addi possunt citatis a Bailio in Lexico Histor. Critic. Immo nomen Phædri ipsum traxisse, quia in tragœdia Senecæ Hippolyto agenda Phædræ partes egisset, unde et Thomam Phædram ab aliis dictum fuisse ex Erasmo, a Bailio adducto, apparet. Perversum vero hoc antiquæ dictionis studium a præceptore suo Beroaldo, quem laudat ad lib. VI, 416, hausisse Pius videtur; et Jovius refert, eum æmulandi Beroaldum studio, se accinxisse ad obscuros auctores interpretandos. In juvenili ætate, caluisse vehementi erga puellam Bononiensem, quam Floram vocat, ardore fatetur, et ejus dotes elegia celebrasse se ait ad lib. I, 611, æstum antiquum verbis referens, quæ illum nondum plane resedisse ostendunt. A vulgi opinionibus et superstitioso metu non abduxisse plane animum, sed ominibus et prodigiis attendisse et fidem habuisse docent ea, quæ ad lib. III, 90 profert. Sententiam de rerum necessario eventu aperit ad lib. V, 218, prodens, se causarum cælestium necessarios effectus non audere credere, propter antipathiam et sympathiam, habilitatem et inhabilitatem recipientium, etc. Immo addit, hoc credere pæne impium esse. Ritus et cerimonias Ecclesiæ Romanæ non dubitat conferre cum gentium Idolatricarum cultibus, et ut hæ hymnos et sacrificia certis ritibus diis offerebant, ad averruncanda mala, pestes et calamitates, simili modo suos dicit *binatim Litanias obire et diis* (ita *Sanctos* vocat) *pompatice supplicare.* Nec tamen ita addictum fuisse plebeiis persuasionibus, ut sine ullo discrimine aniles fabulas reciperet, patet ex commentario ad Plaut. Amphitryon. II, 1, ubi negat Dæmonas aut magos posse homines in bestias vertere, sed prodigiosa illa, quæ vulgo jactantur, phantasmata melancholico morbo adscribit. De ejus eruditione diversa video esse doctorum virorum judicia. Barthius in eo majorem lectionis copiam, quam dijudicandi facultatem laudat lib. I, Advers. 2, et XXI, 7, et simile fere est judicium Durantii Casellii, lib. I Variar. Lect. 15. Ineptæ locutionis hominem, multarum tamen

emendationum in variis auctoribus non ineptum auctorem vocat idem Barthius ad Stat. Theb. XII, 492. Scaliger Auson. Lection. lib. II, 32, eum sui temporis juventutis inanis Cymbalum fuisse dicit, cujus auctoritatem sequuntur Boxhornius, Dissert. de distichis Catonis, pag. 192, et Salvagn. ad Ovidii Ibin, vers. 297. Ludovicum Vivem non magnifice de eo sensisse apparet ex lib. III de Tradend. disciplinis, ubi quum de multis viris doctis sententiam suam tulisset, in fine libri addit, « de Baptista Pio et Cornelio Vitellio piget loqui ». Nos ex illis, quos nobis reliquit, commentariis, in Plautum, Lucretium, Columellam de Cultu hortorum, Fulgentium, Sidonium et quædam Ciceronis, deprehendimus multa quidem admiscuisse, quæ posterior et polita magis ætas fastidire solet, neque omnia ita ad acumen illud criticum, quod hodie in literarum humanarum cultoribus desideratur, exacta esse; sæpissime etiam et graviter errasse (ut insignem ejus oscitantiam notat Hadr. Junius, lib. II Animadv. cap. 12), sed temporis, quo vixit, ratione habita, laude potius dignam ejus diligentiam et eruditionem esse censemus; neque illius temporis literatos ad laudes, quas postea Scaligeri, Victorii, Lipsii, Heinsii, Gronovii et alii meruerunt, esse exigendos putamus. Hac enim statera si Erasmi, Melanchthonis, Camerarii et aliorum virorum merita examinemus, næ illi hodie, si viverent, vix locum inter eruditos ludimagistros tueri possent. Plura enim nunc scire cogimur, et per immensam illam editionum multiplicatarum copiam, vix vita, etiam laboriosissimi literatoris, sufficit tribus quatuorve auctoribus, si in eos commentarios scribere velit, ita excutiendis, ut nihil præteriisse jure dici possit. Adde molem illam observationum, emendationum, variarum lectionum, et infinitam criticorum et philologorum turbam, qui hic et illic loca veterum auctorum tractant, quæ omnis tamen perlustranda est, nisi quis plagii et furti crimine se traduci velit. Quare Heinsio facile accedo, qui notas Pii in Flaccum non inscitas, nec ineruditas

passim laudat; et plurimum eum contulisse ad lucem obscuriori huic poemati infundendam, arbitror, licet sermone molesto et verbis abstrusioribus delectatum, ipsum suæ orationi tenebras offudisse non negem: quum vero alios Pii labores cum hoc in Valerium commentario confero, non alio opere eum potius censendum puto, quia in nullo tam bene ipsi successisse industriam credo. Quod singulari etiam felicitati adscribere quis poterit, quia in emendando Flacco, cujus tam rari sunt codices manu exarati, nactus fuerit quosdam optimæ notæ, inter quos unum passim celebrat, mirificæ majestatis et venerandæ vetustatis, quem ex ultima Germania in Italiam allatum esse gaudet; vide ad lib. I, 441, III, 538, et alibi. Hunc Heinsius, collatis multorum locorum variis lectionibus, credit eumdem esse, qui adhuc hodie in Vaticana Bibliotheca servatur; vide ejus notas ad lib. V, 353, et VI, 30 et 50. Romæ vero quum scripserit hos commentarios Pius, ibi illum codicem forte consuluit: nam ad lib. IV, 227, se Romæ scribere, et in negotiosa illa urbe nullum fere diem suum esse, verbis Mart. lib. X, ep. 59, vs. 7; « jactamur in alto Urbis, et in sterili vita labore perit », queritur. Alios codices sæpe memorat, sed in quos jam grassatos esse sui temporis Criticos queritur, inter quos Pomponium Lætum memorat: solebant enim Itali hoc tempore id sibi permittere, ut ipsos manu exaratos codices emendarent, ubi librarios aberrasse crederent; unde tot codices Jocundi Veronensis, Joviani, Pontani, Politiani, et aliorum manibus emendatos videmus laudari a Criticis. Et hinc etiam in primas sæpe editiones emendationes illas, pro verbis auctorum, receptas comperimus. Quare Pius recto judicio, ut mihi videtur, hos emendatos codices longe infra intactos et incontaminatos ponebat; vid. ad lib. III, 246 et 538, et alibi passim. Politianus, Miscell. cap. 5, opinatur omnes fere codices MSS Valerii Flacci fluxisse ex perveteri codice, quem habuit Tadeus Ugoletus Parmensis, Matthiæ Corvini aulicus, quem jam supra diximus, cum aliis Italis

a rege illo accitum fuisse. Bartholomæus Fontius in initio dialogi sui, Tadei, ab hoc Ugoleto dicti, eum a rege missum in Italiam dicit, ad bibliothecam perficiendam et libros conquirendos. Hujus codicis an copia fuerit Pio nescio, quamvis id conjici posset ex notis ad lib. II, 573, ubi primos codices habere, *nox Durica*, quæ est lectio codicis a Politiano laudati, affirmat. Et potuit ab ipso Ugoleto habuisse, cui familiarem fuisse inde conjicio, quod ad supposititia Plauti Amphitr. act. IV, sc. 2, scribat, sibi ab Ugoleto factam copiam codicis emaculatissimi Ausoniani. Immo ipsum illum antiquum codicem, quem toties jactat Pius, forte fuisse ipsi ab Ugoleto ex bibliotheca Matthiæ Corvini suppeditatum, inde conjici posset, quia in fronte libri, emendationem poetæ ex antiquo exemplari Dacico esse profectam aperte profitetur: qui an in Vaticanam bibliothecam concesserit, an alio abierit, me nescire fateor. Ejus vero temporis Hungariam sæpe Daciæ nomine signare solebant, omnia scilicet novæ formæ nomina rejicientes. Præter vero hos commentarios, scripsit etiam Pius adnotamenta majora, ut vocat ad lib. IV, versu 428, quæ, Bononiæ dum ageret, scripsisse patet ex notis ad lib. V, 461; hæc, sub nomine Adnotationum priorum et posteriorum, Bononiæ exierunt A. 1504, et a Badio Ascensio deinde inter alias virorum doctorum adnotationes editæ A. 1511, et postea a Grutero in tomo I Facis Criticæ conjectæ leguntur. Laurentius Balbus ad lib. IV, 428, locum quemdam excutiens, a Pio in illis adnotationibus emendatum, admodum inclementer eum tractat, vocatque *adolescentium et rudiorum ingeniorum teterrimam pestem:* injuria certe, et præter meritum, quum ipse Balbus longe abfuerit a Pii eruditione, et in Valerium Flaccum meritis, nihilque, aut certe paucissima, ab aliis indicta aut non animadversa, in hunc poetam, licet magnifica cum verborum ambage et pompa, contulerit. Hoc etiam singulare editio Pii habet, quod suppleverit ille, quæ Valerio Flacco desunt post medium fere libri VIII, ubi abru-

ptum est opus, sive morte scriptoris, sive quod temporum injuria perierunt cætera : nam non convenit de illo inter interpretes poetæ nostri. Sequi vero se Apollonii Rhodii opus profitetur Pius. Non accedit vero ejus spiritus et vena ad poetarum, non dico veterum, sed sui temporis Italorum laudem, et multa etiam antiquariæ affectationis documenta edit. Illas tamen reliquias commentario illustravit Julius Cæsar, Pii filius, quem a patre adjutum fuisse non temere suspicamur : qui modestius credebat commentarium in sua carmina sub nomine filii vulgari. Hæc supplementa, licet facultatem poeticam Pii non admodum admiremur, ideo adjicienda credidimus, quia, observante cl. Fabricio, illa a quibusdam, ut Valerii Flacci versus, fuere laudata; quam inscitiam ut lectores deprehendere possent, quibus priores editiones raro ad manus esse solent, magis expositas et paratas has reliquias esse voluimus, præsertim, quia Aldum etiam et Gryphium eas non omisisse videmus. Diu vero dubitavimus, an molem libri augeremus versione illa metrica Orphei, quam Pius, Aldus et Gryphius etiam suis codicibus subjecerunt; sed cujus auctorem se ignorare Pius in præfatione et alii professi sunt. Cl. etiam Fabricius in Supplemento Bibliothecæ Latinæ, p. 344, et in Biblioth. Græca, lib. I, cap. 18, § 3, *innominatum* hujus versionis auctorem se ignorasse ostendit. Nos vero satis persuasi sumus ejus auctorem esse, Leodrisium Cribellum Mediolanensem, quod Aldum non latuisse ex præfatione constat, qui adjunxisse se, *Orpheum per Mediolanensium Cribellorum aliquem (nomen habere non potuimus) Latinum factum ait :* sed Leodrisium fuisse prænomine didicimus ex Barthio, diligentissimo talium indagatore, ad Stat. Theb. III, 352, qui id ex antiquissimis chartis, quas apud se habebat, et præfatione Aldi rescivit. Claruisse vero eum cum Francisco Philelpho, oratore et poeta suorum temporum præcipuo, addit, versionemque satis concinnam, licet aliquando auctoris verba minus percipiat, laudat : vide et eumdem ad

lib. VIII, vers. 212, nec ignorasse id Reinesium video ex epist. LXV ad Daumium, qui et epist. LXVII de eo agit. Familiam vero hanc Cribellorum Mediolani notam satis fuisse ex historicis ejus civitatis constat; et Ripamontius, lib. V Hist. Mediol. p. 628 tomi II Thesaur. Italiæ, fratres Cribellos prodidisse Sfortiæ Picicatonensem arcem, idque iis initium fortunæ amplioris apud Sfortiam fuisse, narrat. Jo. Ant. Castellionæus sua ætate celebrat Angelum Cribellum, præstantissimum Architectum, amicitiæ arctissimo secum vinculo copulatum, in Antiq. Mediolan. sect. I, fasc. 7, tomo III Thes. Ital. p. 529, ita ut diu floruisse hæc familia videatur. Familiaritatem ejus cum Philelpho multæ ostendunt epistolæ ad Cribellum datæ, ex quarum una, lib. V, apparet, eum maxime Græcis delectatum fuisse; et ex aliis, lib. IX, Philelphum, quum Mediolano abiret, ipsi mandasse curam rei domesticæ. Æneæ Sylvio, postea Pio II, etiam amatum fuisse docent duæ ejus epistolæ CCXXX, CCXC et CCXCI, quæ est Cribelli ad Sylvium, edit. Basil. 1551, ex quibus poetam fuisse docemur, et præcipuo ardore Græcæ linguæ flagrasse; offert enim Sylvio Epistolam Chrysostomi a se versam, sed Sylvius respondet, *sibi non esse judicium de Græcis*, ingenue sibi deesse linguæ istius peritiam confitens. Jacobus quoque cardinalis Papiensis, epistola II, gratias Cribello agit pro carmine, quo gratulatus erat ipsi cardinalis dignitatem, idque vehementer laudat; unde et apparet ipsi controversiam motam, et apologiam scripsisse, ne de possessione poetica pelleretur. Plura de hoc Cribello indagare non potui. Sed juvat me, nescio an alios, primorum, post renatas literas, doctorum memoriam renovare, ideoque et de Pio, quia aliquando cum Baptista Egnatio confunditur, et de Cribello, hac in præfatione aliquantulum exspatiari, bona, ut spero, cum lectoris gratia, sum ausus.

Antequam vero ad Flacci editiones reliquas redeamus, aliud quid animadvertisse non inutile erit, unde discere poterimus, quam non tuto sæpe fidere liceat historiæ lite-

rariæ, in quam hodie denso agmine homines, docti et semieruditi involant, scriptoribus, qui nobis vitas eruditorum et auctorum omnium opera et editiones enarrare suscipiunt. Certe quanti operis sit id genus scripta, lexica, bibliothecas, elogia et vitas, ita concinnare, ut iis secure, et sine erroris metu uti possimus, quotidie deprehendo, quum omnem laborem fere in describendis et compilandis, quæ præcesserunt, scriptis consumi videam, et raro ipsos libros antiquos consuli; sed sæpe ex catalogis et lexicis et aliis opuscula talia compilari. Immensi et ingrati laboris esse tales curas novi, immo tanti, ut vix hominis ætatem sufficere credam, ad paucorum doctorum historiam, vitam et scripta recte componenda: sed obruimur hodie bibliothecis, lexicis historicis, criticis, geographicis, et nescio quibus aliis titulis, quibus recoquuntur tantum ante dicta, et vitiis veteribus novi errores accumulantur. In hunc censum referendos esse arbitror illos Annales typographicos Maitairii, utilissimo sane consilio institutos, si materiæ suffecisset faber, et auctoris eruditio et peritia veterum scriptorum; cujus omnis labor, in lustrandis titulis, et annorum typographorumque notis occupatur et consumitur. Puto etiam potuisse severiorem delectum haberi operum editorum olim, et tantum eorum librorum recensum institui, quos novisse publice interest, non etiam constipare nugacissimos, et ideo raros libros, quia dudum ad piper et merces olidas involvendas destinati, maximam partem periere, sine ulla jactura doctrinæ. Quod si factum fuisset, ex tribus unum nobis habile volumen, summo cum applausu recipiendum, concinnatum fuisset. Quid enim attinet tot verba ex epistolis Erasmi et aliorum repetere, quæ, si lector paucis verbis ad libros satis obvios esset remissus, ibi legi potuissent. Sed desino: irritabilem enim esse vidi hominem, qui ne quidem tolerare potest, si quis aliquam editionem, sibi præteritam, sine ulla nominis ejus læsione aut opprobrio, memoraverit; sed convicia, vix sellulariæ plebi permittenda, et illiberales

contumelias, in alios, nihil minus quam eum lacessendi aut impetendi animum habentes, inquinatissimo et barbaro sermone evomere sustinuit. Quem si imitari vellem, et cum tam ignobili ludimagistro manus committere luberet, ignorantiam omnis humanitatis et disciplinæ politioris incredibilem, et sermonis etiam latini stupendam imperitiam clara in luce ponere facillime possem. Sed relinquamus eum ergastulo suo obscuro, et diligentiæ ignobili affixum. Non possum tamen, quin miram ejus sagacitatem in conjiciendis priscarum editionum auctoribus et typographis, ubi certæ anni et officinæ notæ in codicibus desunt, rideam, et publico etiam exponam. Magistellus ille, tomo II Annal. Typogr. parte I, p. 337, nobis narrat, *penes se Orphei metaphrasin esse in folio, sine anno, cujus character accedit prope ad Platonis de Benedictis Bononiensis typographi characterem : in ea editione sunt signaturæ et reclamantes, nullæ vero ciphræ : ad calcem regestum* A. iii, B. iii, C. iii, *in initio Joannis Bapt. Pii ad Senatorem Elephantutium.* Ex quibus verbis numquam Valerii Flacci editionem a Pio curatam inspexisse catalogi confectorem patet : licet eam ibidem recenseat hoc modo : *Val. Flacci Argonautica cum commentario Joannis Baptistæ Pii, et ad calcem anonymi poetica Orphei Argonautic. metaphrasi;* qui titulus longe aliter in edito libro concipitur, licet eodem fere redeat : sed in historia literaria ad superstitionem usque accuratam diligentiam requiri nemo negabit, quam præcipue hoc genus scriptores ab aliis exigunt. Sed minuta transeamus. Quod caput rei est, credidit se habere hanc metaphrasin, uti singularem libellum, et separatim ab aliquo typographo editam : et id titulus, qui tribus verbis conceptus, in medio folio, more primarum editionum, conspicitur, ipsi persuasisse videtur. Atqui si vidisset editionem Val. Flacci cum commentario Pii, deprehendisset, eam metaphrasin facere tantum partem Bononiensis editionis A. 1519, quæ titulum hunc præ se fert : *C. Valer. Flacci commentarii Pio Bononiensi auctore,*

cum codicis poetæ emendatione, ex antiquo exemplari Dacico, additis libris tribus, qui desiderabantur, et Orpheo latino. Ad calcem vero supplementi a Pio additi, legitur: *Finis commentarii in Valerium Flaccum, et in Apollonii quartum Argonauticon, a Pio Bononiensi latinitate donatum. Excussore Hieronymo Platonico. Bonon. Leone X sedente, MDXIX, Kal. Maiis.* Hinc sequitur Index in Valerium: et deinceps, novo titulo (qualem hodie nostri typographi *Franciscum* appellare solent) inscribitur medium folium, *Orphei Argonautica Latina:* quam partem, more typographorum festinantium, novo signavit in inferiore pagina alphabeto librarius, ne cogeretur, scilicet, differre Orphei istius versionem, donec Pii commentariis summa manus esset imposita. Quid ergo? fraus et facinus lucripetarum et impostorum, qualia centies in auctionibus illis subdolis et fallacibus, quæ decipiendis et pecunia emungendis imperitis librorum veterum studiosis, præsertim exteris, institutæ fuerunt, aliquot abhinc annis animadvertimus, fucum fecerunt nasuto nostro bibliothecario. *Orphea* enim illum *Latinum* avellerunt propolæ isti a Pii commentariis, et quia titulo suo referebat codices, a primis typographiæ initiis impressos, pro antiquissima, Orphei latine versi, editione, eum sine dubio studioso cuidam primarum editionum vendiderunt: nam deceptum fuisse Maitairium, inde quoque apparet, quod ipse in prima paginæ parte editionem Pii recensens, quam non vidisse videtur, Orpheum illi jungat; in subjectis vero notis conjicit, characteres istius Orphei separatim, ut credebat, et alio tempore editi, accedere ad Platonis de Benedictis, quem tamen jam A. 1488 inclaruisse narraverat, tomo I Annal. p. 188, et simul conjecerat vocatum fuisse, Joannem Antonium Platonidem Benedictorum, quem Platonidem deinde ex forma patronymica, pag. 306, forsan Platonis filium fuisse conjicit. Quæ omnia infirma, confusa et incerta, nec a me, qui copia talium librorum destituor, refutari satis possunt; sed typogra-

phum Valerii Flacci, et simul Orphei latini, Hieronymum Platonicum vocari, ex ipso libro inspecto novi, et prodiisse illum Orphea A. 1519 simul et eodem tempore, et iisdem typis cum Val. Flacco, a quo, non nisi fraude bibliopolarum, avulsus, pro libro singulari est expositus, ad hiantes illos antiquarum editionum conquisitores decipiendos. Cæterum recte castigat idem Maitairus (nam laude sua neminem privare soleo) errorem cl. Fabricii, qui Pii supplementa Parisiis, 1519, prodiisse tradiderat: sed verisimile est confudisse virum, variis et incredibilibus curis distractum, editionem Maserii cum illa Pii, quia eodem anno utræque prodierunt; quod sagax ille Maitairius investigator priscarum editionum perquirere debuerat, et monere: nam cl. Fabricium neutram vidisse editionem puto; et credidisse, Pii commentarios junctim cum Maserii prodiisse, verba ejus indicare videntur, quæ hæc sunt: *Præter Pium (ne de Ægidio Maserio dicam, cujus commentarii* simul *excusi Paris.* 1519, *fol.)*, etc. Hinc vero manifeste efficitur, quam arduum sit de libris omnibus, qui umquam prodierunt, disserere et dijudicare, et quam plenum periculi sit, festinatos tam vasti argumenti libros in lucem protrudere, antequam de singulis æstimandi facultas sit facta. Scio veniam solere talium operum architectos deprecari, et solennibus formulis, errores in similibus libris evitari a nullo posse, persuadere conari: jactari vulgo audio et lego, neminem latinos omnes, græcos, vernaculos libros ita pervidisse, ut accuratam, cui nihil desit, eorum notitiam tales annales, bibliothecæ, thesauri et quocumque titulo similia opera insigniri solent, exhibeant. Non refragor, nec id exigo: sed tamen nemo, credo, contendet, aliquem cogi tales libros scribere, et argumentum sibi sumere scribendi de materia non bene perspecta, et non penitus cognita. Si vero incidant quædam minus explorata, rectius facturos scriptores puto, si nihil affirmarent, sed felicioribus emendanda vel adjicienda, quæ

sibi deesse sciunt, relinquerent. Sed manum de tabula, et redeamus tandem ad Valerii Flacci editiones recensendas.

Proximam a Pii editione Bononiensi puto esse Venetam A. MDXXIII, quæ in ædibus Aldi et Andreæ Asulani Soceri producta fuit in publicum. De pretio et meritis Aldinarum editionum hic disputandi locus esset: sed quia idem fere de Juntarum, Colinæorum, Gryphiorum et similium judicium ferri possit, de illis sententiam nostram mox in Colinæi et Gryphii editionum examine proferemus. Quis hanc Aldi typis expressam curaverit, ignoro: sed quicumque fuerit, non e vulgo correctorum fuisse, sed virum eruditum, licet audaciæ et temeritatis notam vix effugere possit, deprehendi. Multa enim sibi permisit, et infinitis in locis ab editionibus prioribus discessit: an considerate, an temere, ex notis Zinzerlingi, Vossii, Heinsianis et nostris singulatim existimandi erit facultas. In hoc sine dubio peccavit, quisquis fuerit, quod nullum posteris indicium reliquerit, an illa, quæ mutavit, ex codicis alicujus auctoritate, an ex conjectura sua, profluxerint. Zinzerlingus et Vossius, qui diligentius cæteris interpretibus eam editionem excusserunt, spuria, et, ut loquuntur, ab homine male feriato excogitata sæpe in hac editione legi, notaverunt. Heinsius sæpe in corruptelas hujus editionis invehitur, et ad lib. I, 829, interpolatoris manum aliquotics se deprehendisse credit; quem et vide ad lib. II, 439, et passim. Sed de ejus meritis, satis ex singulorum interpretum, et meis notis lectori constabit, et mox plura dicentur: ideoque ad alia transibimus.

Anno sequenti 1524, Compluti edidit Valerium Flaccum cum notis Laurentius Balbus Liliensis, de quo elogia, quæ nos ex priore editione adjecimus, edocere possunt. Hanc editionem, rarissime in nostris oris visam, et cl. Fabricio præteritam, ad usus nostros suppeditavit vir humanissimus, Gosuinus Uylenbroeckius, qui Amstelodami servat incredibilem nummorum et reliquiarum veteris ævi multitudinem, cui instructissimam adjunxit bibliothecam, quam

patere viris eruditis singulari comitate semper voluit. Notæ Balbi verbosæ admodum, et sæpe nihil, quod notari mereatur, continent, et fastu quodam genti, ex qua oriundus erat, familiari, semper fere aliorum interpretum, Maserii præsertim, dicta refutat: præter Maserii vero et Juntæ editionem nullam adhibuisse videtur. Hæ notæ postea in editionem Genevensem 1617, de qua mox agendum, sunt conjectæ, licet fraude quadam, typographis avaris non inusitata, in titulo dicantur, tunc primum editæ.

A. 1525, Argentorati prodiit editio minori forma in octavo, ut vocant, emendata et ad vetustissima exemplaria recognita per Philippum Engentinum, qui Friburgi vixisse videtur: inde enim mense Maio brevissimam, nomine dedicationis, epistolam dedit ad juvenem Paulum *Richart* Hagenoensem, qui æque mihi ignotus, atque ipse Engentinus. Adjecit vero nihil notarum, sed singulis libris argumenta carmine hexametro proposuit. Licet vero jactet, se emendasse ad antiqua exemplaria, vanum et gloriosum fumi venditorem, de quo nihil mihi præterea innotuit, esse deprehendi. Sæpius ejus lectiones, ut diversas, Carrion et alii adducunt: sed si Pii editionem adhibuissent, deprehendere potuissent, illum Pii vestigiis institisse; non modo enim editionem Pii in poetæ verbis ubique exprimit, sed sæpe ejus correctiones in suam admittit. Manifestum hujus rei dat indicium locus lib. II, 275, ubi quum in Pii editione sit, *præcipit* vitio operarum pro *præcipiti*, idem mendum exstat in Engentini editione; quod videtur postea deprehendisse, nam inter errata ad calcem correxit: vide notas ad d. l. Eodem libro, versu 294, Pius ediderat, *fatis jam defuit unum*, sed in notis corrigit, *fatis id defuit*, quod in textum recepit Engentinus, quem posteriores sequuti sunt; ut et versu 539, Pii conjecturam, *Eoi fercula regni*, exhibet; vide et ad lib. IV, 195: et similia sæpe notavimus ad ipsum poetam, hic non repetenda. Carrion ad d. l. lib. IV, 195, ex Engentini editione citat, *fumantem*, quum tamen

spumantem dederit : an Carrionis manus, an operarum erraverit, nescio. Vide et ad lib. VI, 647, et alibi in notis.

Hanc vero Engentini editionem sequuti sunt κατὰ πόδα Colinæus A. 1531, et Gryphius 1545 et 1548. Gryphii an diversæ sint, an mutato titulo eadem sit utraque, vix definire possum; Lugdunensis nomine passim Carrioni insignitur. Sed, quod dicendum semel est, mirari sæpe soleo insaniam et furorem imperitorum et indoctorum, qui sine ullo discrimine omnes libros ab Aldo, Stephano, Colinæo, Gryphio et similibus excusos, venari et pretio immodico emere tam animose solent, ac si omnis humanæ disciplinæ et eruditionis fortunæ sitæ essent in possessione talium codicum, quos nunquam tractant, et quorum de pretio vero nihil bibliothecarum dominis constat. Aldinas editiones non omnes uno ordine esse habendas deprehendi; sunt enim, quas cassa nuce non emam, et quæ scatent vitiis, ex correctorum negligentia et audacia ortis : fervebat prælum Aldinum maxime, et undique correctores, aptos et ineptos, doctos et indoctos conquirebat vir industria, si quis alius, insignis; sed id unice studebat, ut cito et properanter libri, et simul magna exemplarium copia excuderentur. Dictis fidem facient illa, quæ de suorum adagiorum editione narrat Erasmus in proverbio, *Festina lente*. Et hinc præcipue auctores, quos primus e MSS edebat, depravatissimi prodierunt : quia, quidquid non intelligebant correctores, mutabant; si quid vero antea impressum fuerat, consulebant sæpe, si otium esset, priores interpretes, et cæcos duces non magis oculatæ sequebantur operæ mercenariæ, quæ ultra crepidam judicare non poterant (ut inquit Pius ad lib. III, 730), et pro arbitrio constituebant verba auctorum ex sua sententia. Hinc frequentissime, si nodus vindice dignus in depravatis, ut fere omnes sunt primæ editiones, codicibus incidebat, audacter mutabant, recidebant, intrudebant non verba, sed sæpe versus integros. Quare, quotiescumque viri docti, ut Naugerius, operam Aldo addice-

bant, ut in Ovidio et aliis factum, egregiæ sunt editiones; sed ubi minorum gentium mercenarii correctores fuerunt præfecti editionibus, fere nullius sunt pretii. Broukhusius ad Propert. II, VII, 76, notat in Aldina officina multos bonos auctores malo mangonio per Hier. Avantium esse interpolatos. Quare nunquam de universis Aldi editionibus dijudicandum, nec uno pretio omnes habendæ, sed singulas excutere par est, et emendatas distinguere a vitiosis. Quid de græcis ejus editionibus dicam? quæ maximam partem sunt monstruosæ, nec characterum venustate, nec emendatis lectionibus commendabiles: quoscumque codices MSS (nam primus fere Græca excudere cœpit) nactus erat, statim non collatos cum aliis (nam ejus paupertas vix copiam multorum sufficiebat), non recensitos viris doctis dabat excutiendos, sed quotidianis officinæ suæ mercenariis raptim corrigendos, qui ubique offendebant, quodlibet pro quolibet supponebant; non patiebatur enim moram ejus festinatio, et rem ex editis codicibus faciendi spes præceps. Exemplum et documentum ejus rei, ne temere quid affirmasse videamur, manifestum est Plutarchi editio Aldina, ita depravata et mendosa, ut vix sensus inde confici possit: similis etiam, licet paulo melior, Athenæi et aliæ. Casaubonus, in præfatione ad Athenæum, dicit, *Aldum neque felicem satis fuisse in nanciscendis exemplaribus* (quia nempe modico pretio vulgaria comparabat), *neque in emendatione editionum satis accuratum.* Neque melius fuit fatum editionum primarum ab aliis typographis in aliis partibus Italiæ curatarum, ut hoc ostendit multis exemplis Simon. in Biblioth. Critica, t. I, cap. 17, et de hac negligentia fuere continuæ querelæ vere doctorum virorum: unum audiamus nunc Daumium, Epist. 4 ad Bosium: *nosti querelas virorum doctorum super monstrosis Aldini codicis* (Plutarchi) *mendis.* Plura nunc non addo; hic enim locus ista agendi plenius non videtur: videri potest et Barth. ad Statii Theb. IV, vs. 717, et ad Claudian. Laud. Stilich. I, in principio,

et quid de Silio Aldi judicet Carrion, vid. lib. II Emend. cap. II, et quæ cl. Drakenborchius in egregia præfatione sua ad Silium de Junta et Aldo vere pronuntiavit. Jam vero quidquid Aldus, Junta, et alii alicujus nominis typographi ediderant, id cupide statim ultra montes exprimebant Frobenius, Stephanus, Colinæus, Gryphius et alii: quorum duo priores merito suo diligentiæ laudem, et in arte sua palmam retulerunt. Frobenianæ enim et Stephanorum editiones jure magni fiunt ab eruditis: quia illis admoti fuere viri doctissimi, qui collatis editionibus variis, et codicibus scriptis, ubi copia erat, multa millia mendarum sustulerunt, et signum erexerunt bonas editiones non festinato, sed cum cura et studio curandi. Colinæi vero et Gryphii nullas fere vidi, quæ hanc laudem mereantur, et quæ non ad verbum sæpe hanc vel illam editionem exprimant. Quare lucri cupidine, et fortuna omnem eorum typographorum operam gubernante, tolerabiles sunt, si ad bona exemplaria sunt expressæ; fœdæ vero et infidæ, ubi malos auctores sequuntur. Ne de aliis evager longius, Valerii codices a Colinæo et Gryphio expressos excutiamus, quos Argentoratensem Engentini tam fideliter imitatos esse testor et affirmo, ut et vitia operarum retinuerint, et in paucissimis locis ab archetypo differant. Exemplo uno aut altero (nam tædet jam harum observationum, quales passim in notis occurrunt) defungar. Lib. IV, 268, *qualis in alta Pliade capta ratis* edidit Engentinus vitio operarum: nam Pii editio *alto* habet; sed et Colinæus et Gryphius *alta* dederunt, ex qua lectione vitiosa et stulta sententia oritur. Eodem libro, versu 214, *frigida ratis Dentibus aret humus*, pro *raris*, Engentinus ediderat, nec emendarunt duo hi typographorum coryphæi, vel eorum correctores, ignari latinitatis et modorum poeticorum. Lib. III, 165, Argentoratensis editio habet, *jam abies piceæque ruunt*, pro *jamque;* et hanc metri labem retinuerunt Colinæus et Gryphius: plura reperiet lector in nostris animadversionibus, unde et in paucissimis

locis has tres editiones discrepare deprehendet, et omnes fere lectiones, quas Carrion ex Argentoratensi editione tamquam mendosas citat, certus esse poterit, easdem in duabus aliis exstare, si unum vel alterum locum excipias.

Has editiones excepit celeberrima Ludovici Carrionis, qui typis Plantinianis, in-8, edidit 1565. Vocatur vero hic scriptor ab Heinsio semper Carrion (1), non Carrio, et recte: ita enim in editione Plantiniania se ipse vocat, nec ideo Heinsius a Crenio, t. XVI Animadv. p. 146, corrigi merebatur. De codice ejus egregio, quem nactus erat, Heinsii præfatio est consulenda, et, qui quo abierit, ignoratur; magno eum emptum volebat Barth. Adv. XVIII, 15. Carrion vero fretus ejus codicis bonitate, ut sæpe nostra nimis amamus, non satis sibi cavit a mendis, quibus inquinatus erat, et ideo male audiit ob audaciam in mutandis locis, ut ex singulis fere ejus notis, et censuris doctorum virorum subjectis, lectori patere poterit: constat certe hoc laboris pretium tulisse vanissimum hominem, ut passim vapulet, nec fidem suam nec eruditionem viris eruditis probaverit. Barth. Adv. XIV, c. 6: *Carrio cum tanto supercilio nihil vidit in omnibus istis, adeo ut cum codice quoque suo ubique mihi suspectus sit*; lib. I, Adv. c. 17, dicit, *eum plus naso, quam pectore odoratum*; et hac et similibus verborum formulis in libris Adversariorum sæpe eum duriter exagitat. Inclementissime vero ad Stat. Theb. V, 200, et aliis commentarii illius locis. Valerium quoque corrupisse Carrionem censet Janus Guilielmius in Miscell. Quæst. Plautin. cap. 2, et Thaletem novum vocans, sapientiam, id est, δοκησισοφίαν, ejus irridet. Brouckusius, sale attico festive et mordaciter perfricare id genus hominum solitus, quum ad Propert. Eleg. III, 11, 29, notasset,

(1) Contra ipse versavi MS cod. Festi, seu Paulli Diaconi ex Guelferbyt. n. 10, 3, qui olim Carrionis fuit, in cujus fine ipse ille adscripserat nomen suum *L. Carrio*, non *Carrion* (ab ignota manu exemplari meo adscriptum fuit). Cortium hujus animadversionis, oræ exempli sui adscriptæ, fuisse auctorem, postea animadvertisse mihi videor. HARLES.

Carrionem in libro suo pro *ergo* perspicue se legisse *illic* affirmare, addit: *crederem, si id Canterus legisset.* Sed missum faciamus hominem, cujus mores, jactantiam et ineruditum fastum breviter, ex Lipsianis epistolis ineditis, vivis coloribus videbimus depicta. Non vidisse eum Pii editionem puto: certe numquam, quod sciam, advocat, et quæ citat ex Pio, illa sunt ex Adnotamentis Pii, quæ supra vidimus. Maserii mentionem facit in præfatione ad lectorem, et aliorum etiam interpretum: sed, superbe, nihil illorum, præter jactantiam quamdam (quod ad hunc poetam attinet) ad nos pervenisse, suæ mercis putidus jactator, et ineptus judex aliorum laborum, pronuntiat. Primæ editioni Carrion Scholia adjecit, quæ et nos integra verbis poetæ subjecimus. Sed quum eodem fere tempore Gifanius emitteret collectanea sua in Lucretium, et in illis multa sibi sublecta crederet Carrion, A. 1566, alteram editionem curavit, minori forma in-12, typis Plantinianis. In cujus etiam textu multa mutavit, et novas Castigationes adjecit, in quibus Gifanium passim inclementer excipit, et ut solent similis farinæ homines, sua ipsi vitia exprobrat. Has Castigationes nos Scholiis ejus adjecimus, et intermiscuimus ita, ut caveremus, ne eadem bis lectori obtruderentur: promittit vero in hac ultima editione Carrion justum commentarium, sed quem numquam prodiisse credo; certe ejus, qui meminit, neminem novi.

Post absolutum jam typis Valerium, minoris formæ editio in manus meas venit, Rhotomagi excusa A. 1612, cum præfatione ignoti mihi viri, qui his notis nomen suum texit A. S. I. V. D. inscripsit vero *Spiritin Allemandi Castelli novi Domino, et in suprema Arausiaca Curia Præsidi.* Carrionis vestigia se premere profitetur, et margini ejus conjecturas et varias lectiones, non raro suis additis adlevisse jactat. Hanc nunc excutere non vacat, neque tanti esse ex uno vel aliquo specimine colligo. An lateat Andreas Schottus dubito. Certe ultimus Carrionis Castigationes 1617, simul cum Laurentii Balbi notis, et suis Andreas Schottus jussit edi Co-

loniæ Allobrogum; ut titulus fert, apud Esaiam *Le Preux;* Schotto adscribit illam editionem Barthius, qui tunc Adversaria sua scribebat, lib. I Adv. c. 17, et XIV, 6, et alibi. Valerius etiam Andreas et Alegambe in catalogum operum, a Schotto editorum, hanc editionem retulerunt. Notæ Schotti brevissimæ, et omnia fere jam in libros Observationum ab eo collata erant. Hæc vero editio novo titulo, qui annum 1689, et Parisiensem typographum mentitur, nobis etiam obtruditur, sed in qua nihil, nisi indicem, mutatum lector reperiet.

Eodem, A. 1617, novam editionem in-12 curavit Justus Zinzerlingus, Thuringus, JC. Lugduni in Galliis, qui et Scholia priora Carrionis suis notis præmisit, quæ editio quum rarissima sit, et in paucorum manibus versetur, notas Zinzerlingi etiam excudi curavimus. Conscriptæ vero illæ sunt satis festinante manu, dum peregrinaretur, et ex prioribus notis, quas ampliores ante decennium concinnatas, sibi periisse putaverat: sed quum quædam recuperasset, inde fragmenta illa lectori exhibuisse se dicit. Multa in iis sunt, quæ in Promulside Criticorum juvenilium Lugduni A. 1610 jam vulgaverat. Hic vero Zinzerlingus sub nomine Jodoci Sinceri etiam edidit Itinerarium Galliæ, ut docet Richterus in Epist. Select. 90, et Barthius eum ad Claud. in Eutrop. I, 295, et II, 239, et ad Theb. I, 461, et alibi, Jodocum Sincerum vocat. Celeberrimus Grævius ad Cicer. de Offic. II, 7, civem suum et politissimi ingenii hominem meritis laudibus celebrat. Et certe videtur ex ingenio ejus conjectura capi posse, si vel diutius vixisset, vel maturiori judicio cogitata sua castigasset, eum magnum in his literis nomen consequuturum fuisse.

Ab eo fere tempore cessarunt viri docti, neque quisquam manus admovit poetæ nostro, donec Lampertus Alardus producere infelicis ingenii fœtum, A. 1630, non erubesceret: quam editionem etsi omnibus palmam præripere censeat Borrichius, de Poetis latinis, Dissert. I, p. 61, ejusque

sequutus judicium Crenius ad Scioppii Consultat. p. 327, et t. IX Animad. 69, nos, bona cum eorum venia, in alia omnia ibimus, sequuti et proprium judicium, et auctoritatem virorum doctissimorum. Nam commentarium ejus quod attinet, vellem ostenderetur nobis, quid ex sua penu protulerit, quo vel unus difficilior locus nova luce illustretur, vel depravata lectio emendetur. Quantus enim quantus est, impudentissimis furtis ex priorum doctorum scriniis est compilatus, nulla sæpe mentione eorum facta, ut in prima præfatione probavimus, et hoc jam orbi literato ostendit Brouckhusius ad Propert. II, LII, 17, et Tibul. I, VIII, 46, et ipse Crenius de Furibus librariis, p. 11, eum inter fures refert, et Brouckhusii verbis id firmat; et nos passim etiam in notis inscitiam ejus et plagia adnotavimus. Quid de ejus commentario censuerit Barthius, patet ex notis ad Stat. I, Silv. II, 177, qui *omnia confuse et corrupte produxisse*, ait, *partim pro suis, partim Barthii. Vacillare ad omnia, nec fidelem etiam bonumque exscriptorem, nedum ut de suo aliquid boni ad enarrandum tantum auctorem conferre quiverit.* Gronovium jactantiam ejus castigavisse vidimus ad lib. IV, 267. Hæc præmittere visum fuit, ne nos calumniandi et reprehendendi libidine detrahere ejus nomini videri possimus: nam, quod factum nollem, inter laudatores Alardi referre cogor virum egregium, et multis meritis erga rempublicam literariam commendatum, cl. Fabricium, qui volumine II Biblioth. Lat. p. 634 (1), laude potius dignam ejus industriam censet, quam, quod non satisfecerit omni ex parte eruditis, reprehendendum, quia non plures annos quam XXVII natus ediderit Poetam. Quæ sane ætas, si in furtis manifestis excusationem meretur, nescio quando hoc crimine accusari aliquem fas esset; qui enim ea ætate nescit aliquid producere ex sua penu, næ ille numquam ad bonam frugem perveniet. Excusare quidem in hac ætate licet minus

(1) Sive ex edit. Ernesti, tomo II, p. 253. HARL.

accurate dicta, quæ postea, ubi major exercitatio et lectionis copia accesserit, emendentur; sed totum commentarium aliis subreptum, in auctorem, quem non intelligimus, impudenter congerere, quo colore talis improbitas et confidentia defendi possit, non video. Inter præcoces sæpe eruditos multos referri video, ab illis, qui bibliothecas et catalogos eruditorum præcocium magna mole conficiunt, qui certe eruditorum nomine indigni sunt. Quis enim hodie, si enumerare velit eos, qui ante annum vigesimum doctoris titulis et insignibus ornantur, non ingens volumen quotannis extruderet, et ephemeridas præcocium conficeret? sed qui fere omnes inter rudes et indoctos, qui studia cruda propellunt, essent numerandi: ea enim pestis studiorum hodie grassatur, ut pueros omnium rerum imperitos, immo ne latinæ linguæ quidem gnaros, doctorum præmiis honestari videas. Sed de his querendi locus hic non est: redeamus potius ad Alardum, cujus causam agere ante biennium quoque Nicolaus quidam Alardus, et gentilem suum contra Bronckhusii calumnias, ut vocat, defendere tentavit, in decade Alardorum, p. 27, sed et infeliciter, et simul fraudulenter. Accusatori, ut vocat, enim Belgæ opponit Belgam defensorem, Hugonem Grotium, qui eadem commentandi methodo in adnotatis in Novum Testamentum usum se esse fatetur. Bone Deus! quam bene comparatum Alardo criminis socium! sed amisimus hodie vera rerum vocabula; nam qua fronte, nescio, asseverare ausus fuerit hic Alardus, Grotium omnia sua ex aliis compilasse, idque confidenter ipsum Grotium profiteri, in verbis adnotationibus præfixis, affirmare sustineat. Quæ hæc impudentia? solis Alardis, credo, frontis tam expudoratæ, et erubescere nesciæ esse licet. Fatetur quidem Grotius se profecisse ex omnibus, qui ante se in N. T. commentati sunt, sed abstinere eorum nominibus propter invidiam et factionum studia, quæ eo tempore fervebant, et quia volebat inservire omnibus Christianorum sectis: addit vero vir magnus, et merito principibus literatorum adnu-

merandus, se tamen *nihil protulisse ex aliis, quæ probabat, quin novis argumentis firmaverit, in quibus vero in alia omnia ibat, rationes, cur id faceret, diligenter adscripsisse.* Hoc si vocari possit furem literarium esse, nemo hujus criminis absolvetur, qui post alios sibi in quemcumque auctorem commentarios scribendos sumet, et qui, ut licet et decet, semper priorum dicta vel novis rationibus probat, vel certis argumentis refutare solet. Denique unus ille Nicolaus Alardus repertus est post ea, quibus orbem illustravit magnum illud lumen, tempora, qui Grotium, at quem virum! tam infamis plagii reum ausus fuerit agere, et cum tali heroe ineptum illum magistellum componere. Grotium quædam mutuatum ab aliis nemo inficiatur; sed hoc omnibus commune eruditis: hic vero agitur de commentario, in quo nihil vel paucissima ab auctore profecta, sed dissimulatis fere auctoribus, omnia a capite ad calcem furto et plagio sublecta esse deprehenduntur. Hæc labes a Grotio, et ab omnibus ingenuarum artium cultoribus longe abest. Alterum vero ridiculum est, quod addit, *Crenium Brouckhusii fidem dubiam jam dudum fecisse:* nec hoc verum; nam in illa de Furibus Librariis dissertatione, Brouckhusium vocat Crenius, *omnibus laudatissimum auctorem et amicum suum*, nihilque in eo culpat, nisi quod furtum Alardi ex Canteri Novar. Lect. lib. III, 26, non reperisse se affirmet in sua editione Basileensi 1566: sed hæc Crenii, non Brouckhusii culpa; si enim inspexisset tertiam editionem Canteri Novarum Lectionum apud Plantin. 1571, vidisset librum tertium non undecim, sed uno et triginta capitibus constare; et si hanc editionem videndi copia non fuisset, saltem Facem Criticam consulere debuisset, in quam Canteri librum ex tertia illa editione expressum, tomo III reperire potuisset. Hoccine vero est fidem Brouckhusii dubiam facere? sanæ mentis nemo ita colligeret; quid enim? an eo in loco, ubi amicum suum vocat Brouckhusium, simul et ejus fidem in suspicionem Crenius vocaret? apage hanc malignam

verborum interpretationem. Alterum furtum ex Parrhasii commentario ad Claud. de Raptu Proserp. III, vers. 347, in suis codicibus reperire se non potuisse Crenius addit. Atqui ego totidem verbis, quibus produxerat Brouckhusius, illud deprehendi in editione Basileensi 1539, commentarii Parrhasiani pag. 251; nisi quod (ingenue enim agendum est) non videam Parrhasium, errore memoriæ, Propertii distichon Ovidio adscribere, sed vero auctori. Hæc duo sunt, quæ ad Brouckhusii verba notavit Crenius, sed nullum verbum addidit, quo vel Brouckhusii fidem dubiam faceret, vel crimen plagii ab Alardo repelleret: et tamen hæc a novitio illo Alardo, priore, ut videtur, adhuc indoctiore, sed impudentia non minore prædito, sine ullo pudore orbi literato obtruduntur. Rectius ergo Lampertus ille, qui se ecclesiastico muneri sacraverat, fecisset, si poetam nostrum, vix viris, qui omnem in bonis literis ætatem contriverunt, intellectum, reliquisset intactum, et perorando, disputando, docendo, etc. famam sibi apud plebem urbanam in Germania sua parasset. Ad excusationem præterea juvenilis ætatis, qua cl. Fabricius utitur, quod attinet, ea certe patrocinari hujus literarii furis alteri opusculo non poterit, quod sexto, post editum in Flaccum commentarium, anno protulit, natus jam annos tres et triginta. Inscripsit autem illud *Epiphyllides Philologicas*, quæ totæ etiam collectæ ex aliorum scriniis, nihil habent, quod eruditos viros teneat, aut doceat. Sed hæc non sunt hujus loci, et relinquamus fures et eorum patronos iratis suis ingeniis. Adjecit Alardus etiam notas Cristophori Bulæi, non magni quidem illas pretii, sed quæ brevitate sua obtinuerunt, ut eas in agmen et turbam variorum conjecerim. Fatetur ipse Bulæus, se in gratiam Alardi sui, quem præconiis ineptis extollit, ut mulus mulum (vide ad lib. II, 583), has notas destitutum omnibus fere libris, præter Virgilium (vide ad lib. VI, 261), scripsisse: quod si credere licet, memoria ipsi firma tenaxque plurima suppeditare debuit; nisi illum ante

in chartam conjecta digerere modo instituisse credamus : in notis suis sæpius nos remittit ad alias a se elaboratas in Cassium Parmensem, quæ an prodierint nescio; vide ad lib. I, 99; II, 562; IV, 87, et alibi. Quale vero poema intelligat, ignoro : nam Cassii Parmensis, præter pauca fragmenta, nihil exstare novi. Orpheus vero Cassii, quem Achilles Statius ad Sueton. Rhetor. cap. ult. produxit, spurius habetur; vid. Voss. de Poetis Latinis, cap. II. Cl. Fabricius, Biblioth. Latin. lib. IV, c. 1, dicit, occurrere cum Nath. Chytræi commentario ad calcem Galatei, a Casa scripti, et a Chytræo versi : sed duo vidi exemplaria, præferentia annos 1519 et 1537, ex officina Wecheliana; sed in neutro Cassium invenire potui, quem Supplemento II, pag. 266, separatim prodiisse Fabricius testatur. Præterea carere voluit Bulæus culpa, qua Alardus se infamem fecit; nam aliena scrinia compilare sibi religionem esse dicit ad lib. I, 331 : qua deprecatione an omne plagii crimen sit amolitus, nunc exquirere non vacat. Potuisset fortasse Bulæus magis elaboratas nobis notas dare, si antiquarum editionum ipsi copia fuisset; sed solam Alardi editionem vidisse, vel potius excusa quæque folia ipsi fuisse transmissa, ad quæ notas suas concinnaret, suspicari me indicavi ad lib. VI, p. 446. Adjecit etiam editioni suæ Alardus notas Jo. Weitzii, qui plurimos poetas cura sua dignatus est. Non agemus multis hic de hujus viri meritis; hoc unum notâsse contenti, diligentiæ notas eas esse majoris, quam judicii, et silvam materiemque potius commentario elaborando, quam commentarios ipsos præbuisse. Nudam enim fere similium locorum, a veteribus et novis scriptoribus in eamdem sententiam prolatorum, copiam continent; in hoc laudabilis viri diligentia, quod si quid in aliis operibus viri docti ad verba poetæ nostri illustranda contulerint, id monere non neglexerit : quare nos paucissima ex ejus notis excerpsimus, quæ lectori monstrare viam ad indagandum, quid alii sentiant de hoc vel illo loco, possint.

Constituerat etiam Gerardus Vossius, magni Vossii filius notas in Flaccum emittere; sed in prima ætate, spe illa per mortem immaturam præcisa, non implevit desideria doctorum; neque præter notas in Velleium Paterculum, eum, dum viveret, quidquam emisisse novi. Sed reliquisse in Censorinum et Valerium Flaccum heredibus notas testatur Tollius in oratione, qua patri Vossio justa persolvit. Quæ ignorare non potuit celeberrimus Grævius, quum ipse a Vossiorum heredibus acceperit has in Valerium Flaccum notas, mihique, ut publici juris facerem, olim tradidit. Et tamen tamquam ex Grævii ad Nicasium epistola eruditi Ephemeridum Parisiensium auctores, tomo XIX, A. 1691, p. 550, promittunt, brevi prodituras Vossii patris in Val. Flaccum et Censorinum notas, decepit eos forte prænomen Gerardi, patri et filio commune. Hæ notæ meliori jure patrocinio illo, quod Alardo accommodavit cl. Fabricius, egerent, quia a primæ pubertatis juvene (obiit enim primo et vigesimo ætatis anno, qua ætate etiam frater ejus Dionysius, eruditissimus juvenis, patris spem decepit) scriptæ limam illam, quæ a plenæ ætatis viris adhiberi solet, non referunt. Ne tamen periret tam præcocis doctrinæ monumentum, inter doctorum virorum labores etiam illis locum concessi: accusat hunc juvenem, *juvenilis confidentiæ, in notis subcrudis* in Velleium Crenius, t. XVI Animad. pag. 272, qui tamen, ut videmus, Alardi operæ palmam præbet in editione Valerii curanda; atque ille sex septemve annis major edidit suas in Flaccum emendationes, ideoque minus hoc patrocinio et laude dignus dedebat videri, quam Vossius, qui in tam tenera ætate virorum eruditorum præconia retulerat.

Ab Alardi temerario ausu neminem novi, qui ad poetam illustrandum accesserit: quod merito miretur quis, quum intra sæculum, quod vivimus, nullus fere exstiterit auctor, quin commentatorum turba fuerit obrutus. Farnabii, Schrevelii, Minellii, et nescio qui e turba pædagogorum, typographis quotidie mercenarias suas operas addicentes, nullum

non poetam, historicum et oratorem contaminare erubuerunt, sed a solo Valerio Flacco manus cohibuerunt, nec ipsi illi heroes, et interpretum principes, qui in usum Delphini tot chartas perdiderunt, Valerium principi suo planiorem reddere voluerunt : sed prudentes et caute ad alios et faciliores operam suam transtulere; deterruit enim, credo, omnes difficultas, et auctoris nostri minime obvius semieruditis sensus. Dignus hoc vate interpres erat Nicolaus Heinsius, qui inter poetas natus, et in sacrario omnis politiæ et eruditionis educatus, tot vulnera antiquis scriptoribus imposita sanaret. De ejus cura et studio erga Valerium ipsius præfatio lectorem docebit; ex qua patet, notas olim ab eo jam conscriptas, furto ipsi fuisse subreptas, et quum secundas curas jam adornasset, verbis poetæ, quæ excudebat Plumerus bibliopola, addendas, morte illius ipsam editionem interruptam, eique per H. Wetstenium supremam manum impositam, et sine adnotatis emissam anno 1680. Quæ editio quidem priores multum superat, quod verba poetæ emendatiora exhibeat, quo nomine eam laudat ill. Spanhemius ad Callim. Hymn. in Dian. vers. 221; sed tamen negligentiæ operarum manifesta sæpe vestigia ostendit; de qua supinitate, quotidianis fere querelis, amicos suos fatigantem Heinsium in epistolis egregiis, quas brevi luci publicæ donabimus, videre licebit. Quare quum mihi ad scrinia Heinsiana, quæ hereditatis jure transierant ad amplissimos Goesios, et eorum affinem Crucium, fratrem mihi honorandum, aditus esset factus, et notæ Heinsianæ in manus meas venissent, eas edendi impetum cepi, eoque munere orbem literarium auxi A. 1702, quas viris, in literis nomen magnum habentibus, gratissimas venisse multis indiciis deprehendi: illa vero minoris formæ editio, renovata tantum priori pagina, mentitur etiam annum 1720; sed eamdem esse, dubitantes de hac typographorum fraude, eruditi Parisienses recte judicaverunt.

Ab eo tempore, captus ipse poetæ ingenio et eruditione,

nihil prætermisi laboris et industriæ, qua in abditos poetæ sensus penetrarem, et faciliorem jucundioremque ejus usum mihi et lectoribus facerem: et quum omnes, quas nancisci licuit, editiones contulissem, has in poetam eximium notas tandem elaboravi, non uno spiritu et continua contentione, sed ubi ab aliis negotiis otium concederetur. An ex voto successerit cura, aliis dijudicandum relinquo, qui non magnifice de meis conatibus sentire soleo, et si quid voluptatis ex nova et vera obscuri loci interpretatione perceperim, non minus adhuc doloris capio, quod tot depravata et difficillima poetæ nostri carmina nondum post tot curas aut meditationes, licet longas, a me intellecta, felicioribus et doctioribus enodanda relinquere coactus fuerim. Id vero in primis operam dedi, ne temerarii critici notam sustinerem, aut conjecturas leves et incertas (quo morbo Heinsium sæpe laborasse negari non potest) lectori obtruderem; sed quotiescumque vulgatæ ante lectiones commodam explicationem reciperent, eas servare et illustrare maluerim. Sed hæc, ut omnia nostra, lectorum judicio permittimus, conscii laboris et molestiarum, quas in hoc auctore experti sumus. Subsidia vero, quæ nobis ad manum fuere, non multa fuisse, fateor: præter enim editiones modo enumeratas, quas, præter duas tresve antiquissimas, ante oculos semper habuimus, et collationes MSS codicum, quos Heinsius consuluit, non licuit multum auxilii ab aliis codicibus petere, quum in bibliothecis, etiam instructissimis, rarissimi sint, ut ex Heinsii præfatione liquet. Unum adhibuimus, sed neque vetustum, neque valde accuratum, cujus usum ante viginti annos quidam nobis concessit, et ex quo varias quasdam lectiones excerpsimus. Alterius excerpta ad nos misit præstantissimus vir, Dominicus Ferrarius, qui Londini curam agit instructissimæ bibliothecæ, quam rarissimis libris, undique collectis, ornavit vir illustris *Thomas Coke*, cui eo nomine me multum devinctum esse profiteor. Variantes etiam lectiones, sed paucas, manu Theodori Grævii, amici olim et sodalis

k.

nostri jucundissimi, et Magni præceptoris filii, ad oram editionis Heinsianæ adscriptas habuimus, sed unde illæ sint petitæ, ignoramus: omnes vero, præter codicem illum venerandæ vetustatis, quo Pius usus est, ex Germania illatum, videntur post Pii et Maserii editiones reperti fuisse. Nam Aldum diversum a prioribus habuisse codicem ex variis locorum plurimorum lectionibus apparet. Superesse adhuc codicem antiquum Neapoli, quem in Bibliotheca Josephi Vallettæ vidit Montfauconius, docemur ex ejus Diario Italico, pag. 306. Alios codices nostri poetæ non inveni memorari, licet credam in quibusdam bibliothecis exemplaria alia, sed pauciora, quam aliorum poetarum, exstare. Nam et Maserius in fine commentarii quatuor se codicibus adjutum profitetur, qui quo abierint ignoro. Idem recensum ibi agit virorum doctorum, qui ante se Valerio interpretando se accinxerunt, partim quædam loca ejus in aliis opusculis illustrantes, ut Sabellicum, Politianum, Parrhasium, Pium in Adnotationibus, Baptistam Egnatium, et alios, quorum et nos supra meminimus, partim qui commentarios promiserunt, ut Danielem Caietanum, et Volscum, sed quorum nihil ad Gallos præter jactantiam pervenisse scribit. Præter illos vero a Maserio memoratos vidi et Dominicum Marium ad Ovid. Amor. I, VII, 52, promisisse commentarium in Flaccum, quem etiam intercidisse puto. Post Maserium Mich. Piccartus manum admovere Valerio etiam meditabatur, ut ipse in præfatione Periculorum criticorum nos docet, in quo libello etiam locum unum et alterum poetæ emendat, adjutus codice Erfurtensi, ut et Heinsius in præfatione sua monuit. Barthius etiam ad Guiel. Briton. lib. XI, 366, meminit commentarii sui in Valerium Flaccum, quem adolescentulus conscripserit. Clarissimus etiam Fabricius, Bibl. Græcæ lib. I, cap. 18, Joannem Ulricum Meurerum Francofurti ante aliquot annos Valerium Flaccum vulgavisse testatur, quam editionem nec vidi, nec ab alio quoquam memoratam legi. Memini quidem, me Ultrajecti vidisse olim Meurerum quem-

dam, qui e Gallia et Anglia redux, ad me invisebat, et magnifice promittebat, se corpus Argonauticorum Poetarum editurum, sed ab eo tempore (effluxisse fere viginti quinque et forte plures annos puto) nihil nec de homine, nec de ejus scriptis inaudivi, neque in Ephemeridibus aut actis eruditorum ejus mentionem ullam fieri reperi. Quare forte clarus Fabricius pro facto accepit, quod numquam præstitum fuit.

Sed jam te verbosa satis et longa præfatione moratum, lector, me esse vereor: nondum tamen ad poetæ ipsius lectionem properare utile studiis tuis credo, nisi antea ipsos heroas, qui expeditionem hanc susceperunt, cognoveris. Et licet facile labore eos recensendi supersedere potuissem, et ad mythographos veteres, qui eorum catalogum confecere, remittere licuisset; molestum tamen et tædii plenum hunc quoque laborem non subterfugi. Videbam enim editionibus Carrionis, et Alardi adjungi Argonautarum catalogum ex Orpheo, Apollonio et Valerio Flacco concinnatum, quem et ex Pindari Pyth. IV, Hygini cap. XIV, et Statii Theb. lib. V, et Senecæ Medea in choro Actus III, et aliis veteribus illustrare potuissent. Simsonem etiam in Chronici sui parte II, pag. 33, ex Apollonio, et Thom. Galleum in notis ad Apollodori Biblioth. pag. 26, Apollonio memoratos recensuisse, et præteritos Apollodoro notasse, sciebam. Sed dum hos omnes catalogos inter se comparatos perpendo, subito impetum cepi, accuratiorem ex omnibus his et aliis scriptoribus conficiendi, statimque fabulosis et tenebricosis antiquissimi ævi tenebris ita me immersum sensi, ut vix in lucem emergendi spem viderem. Neque enim in ætatibus Argonautarum ullam rationem temporum constare, neque in stirpe et stemmate deducendo ordinem ipsum naturæ congruere videbam: nam et huic militiæ adscribi videbam heroas, qui per naturæ leges et ordinem fati eo usque vitam extrahere non potuere, ut aliis ab hac expeditione remotis heroum militiis nomina dedisse narrari de-

berent a poetis et mythologis; in idem etiam tempus avos et nepotes conjici, consanguineos ætate longe inferiores prioribus ut æquales adjungi, concoquere vix posse videbar: hinc non nudum catalogum sufficere, sed de singulis accuratius agendum censebam; atque ita sensim mihi hic, quem præfationi, ut necessariam appendicem, adjungi volui, catalogus (1) natus est, quem ordine literarum dispositum exhibere utilissimum credidi, ut non modo continua lectione ejus frui possit lector, sed quotiescumque de aliquo eorum, dum poetam hunc vel alium idem argumentum tractantem versat, edoceri velit, eo recurrere commodius queat, quam si secundum Flacci ordinem enumerassem; quem si sequi voluissem, evolvenda semper magna pars catalogi fuisset, ut ille, quem quæreret lector, inveniretur: et tamen placebat sæpe animo Valerium sequi, quia illum Argonautas ita ordinasse per paria credebam, ut uno ordine ad remum sedentes jungeret; ita enim Telamoni et Herculi principem attribuit locum, huic dextrum, illi lævum latus navis adsignans, et deinde Asteriona et Talaum componens, reliquis omnibus ordine suum adscribit locum, donec ad novissimum remigem Idam pervenerit. Tunc enim eos recenset, qui a remigandi quidem munere vacabant, sed ad alios usus erant destinati: qualis fuit Lynceus, qui acutissimo visu exploraret et terras et astra, doceretque Tiphyn, quantum illa distarent, aut propinquiora essent; Calais et Zethes velis ministrare jubentur; Orpheo celeustæ partes imponuntur; Iphiclus ut rector et monitor juvenibus apponitur; Argo cura navis committitur, et tandem Tiphys clavo præponitur. Quæ Argonautarum ordinatio ingenium etiam poetæ nostri declarat; sed lectoris commodum et utilitas aliud suasit, quem laboribus nostris et curis fautorem benevolum fore voveo et precor. Leidæ, kal. januariis cIↄIↄCCXXIV.

(1) Vide hunc catalogum in sequenti volumine. ED.

THEOPHIL. CHRIST.

HARLESIUS,

SERENISS. MARGGRAVIO ONOLDINO A CONSILIIS AULÆ,

ET RHETORICES AC POESEOS P. P. O.

LECTORI BENEVOLO

S.

Octo fere anni sunt elapsi, quum Valerium Flaccum, ea mente, ut ex illo particulas deligerem Anthologiæ meæ latinæ poeticæ (1) inserendas, studiosius perlegissem. Poetæ vero ingenio, suavitate reliquisque virtutibus poeticis adeo delectatus eram, ut et dolerem, auctorem, admodum juvenem e vita decedentem, nec opus absolvere, nec illi expoliendo ultimam manum admovere potuisse; et qui factum sit, ut is ingenio atque ubertate rerum pariter atque verborum præstantissimus, a Virgilioque secundus, interdum hoc haud inferior, cujus poesis magnitudinem ac sublimitatem sæpe spirat, atque referta est nobilissimis sententiis reliquisque orationis poeticæ luminibus, universim, ad intelligentiam antiquitatis non minus quam ad animi delectationem mire efficax, in multorum, præcipue juniorum, esset ignorantia, et minore, quam par videretur, dignitate, aliquoties mirarer. At, quum perpenderem, atque cognoscerem, rari-

(1) Prodiit illa Altenburgi, 1774, in-8.

tatem pretiumque exemplarium commentario, ad intelligendum auctorem difficilem plurimis necessario, stipatorum, inprimis Burmannianorum, in causa esse, cur optimus poeta, in quo multa loca nequaquam satis adhuc explicata sunt, in paucorum veniat notitiam; novæ editionis, quæ præterea opes superiorum interpretum haberet conjunctas, parandæ cepi consilium. Ad quod suscipiendum atque exsequendum id me quoque impulit, quod de interpretatione permultorum locorum tam varias vidi esse doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententias, ut et plurium scire judicia de iis, quæ non satis explorate percepta essent cognitaque, et nova legitimæ interpretationis præsidia habere, ad moderandum judicium poetamque recte intelligendum, perquam utile fore existimarem. Ego vero, quum de ingenio poetæ argumentoque hujus carminis Burmannus in præfatione, quam cum ejusdem catalogo Argonautarum, interdum locupletiore a me facto, et cum aliquot virorum doctissimorum præfationibus, in quibus de Valerio nostro potissimum agitur, repetendam curavi, satis accurate intelligenterque disputasset; me, quomodo versatus fuerim in hoc labore haud adeo facili, et quibus subsidiis emendandum illustrandumque poetam instructus accesserim, paucis expediam. Primum igitur disseram de copiis, quibus post Burmannum, uti mihi licuit, et de cura, quam, quantum in mea fuit potestate, in contextu refingendo adhibui; tum de ratione, quam in alienarum animadversionum delectu meisque accessionibus sequutus sum.

Quæ mihi igitur adminicula ad manus fuerint, quorum quidem majorem vim aliquoties desideraveram, hæc sunt. Ut primum de nova editione cogitaveram curanda, Ernesti, V. C. antiquæ elegantioris literaturæ in Germania vindicem, penes quem exemplar Bononiense cum lectionibus variis ex cod. vetere excerptis esse, ex Bibliotheca lat. Fabriciana ab illo locupletata (tomo II, p. 255) noveram (1),

(1) Scripsit vero V. C. de hoc suo exemplari : « Habeo exemplum edi-

adii, et, ut illud mecum communicaret, decenter rogavi. Nec, quod cum grati animi testificatione profiteor, vir summus, pro ea, qua floret, humanitate literarumque bonarum juvandarum ardore, defuit meis precibus. Illa editio, libris rarioribus adnumeranda, et a Burmanno reliquisque editoribus leviter inspecta (1), non solum lætam optimarum singulariumque lectionum dedit segetem, sed etiam tot egregias codicis antiqui, atque emendationum viri cujusdam docti adjunctas habuit dotes, ut etiam illa una sufficere videretur ad auctorem multis locis sibi restituendum. Exempli autem Bononiensis hæc est inscriptio:

C. Valerii Flacci poetæ elegantissimi Argonautica diligenter accurateque emendata et suo nitori reddita in hoc volumine continentur. In forma maxima. In fine libri hæc leguntur: *Explicit hoc opus C. Valerii Setini Bononiæ*

tionis Bononiensis 1498, cum variis lectionibus manu veterrima adscriptis, in his etiam versibus aliquot, quæ in edd. pr. non sunt, sed et ab aliis insertis e manuscriptis libris. Putavi esse ex codice Farnesiano, sed lectiones cum nulla editione vetere omnes consentiunt, ut e libro scripto ductæ esse videantur. Sed dum eas comparo cum editione Burmanni, reperi, ed. Bonon. non satis diligenter consultam esse ab Heinsio et Burmanno; nam interdum ejus auctoritate poterant uti ad lectiones firmandas, quæ ipsis placebant ». Enimvero ed. Bonon. et cod. vet. differre a codice Farnesiano, patet ex eo loco, quem Pius, lib. II, p. 439, ex illo profert; ubi nullam notavi varietatem.

(1) Viros doctos a me haud temere incusari levitatis, en pauca e multis exempla! Lib. II, 138, Carrion haud accurate contulit Bon. ed. nec Vossius ad II, 561, ubi scribit, se ex illa reposuisse *junctusque veni*, quum tamen exhibeat *junctisque veni;* II, 167, est *una*, quam falsam lectionem, Burmann. scribit, a se in nulla invenlam esse editione; III, 270, Carr. prodit, Bonon. habere, *quo*, ubi bona lectio, *quis*, ibi reperiatur; III, 305, est in Bon. ex. *prohibebit*, non *cohibebit*, quod protulit inde Carrion; num igitur nostram, an priores consuluerit, quas non habeo, edd. Bonon. nescio; III, 629, habet illa *obfore*, et Carr. citat *abfore;* IV, 534, exempl. Bonon. dedit *reclinem*, et tamen scripsit Burm. omnes vett. edd. ad Carrionem usque habuisse *reclivem;* V, 432, ex. Bonon. *ater* jam bene dedit: quare Carr. et Burm. scribere non debuerant, omnes vulgatas habere *acer*. Sed hactenus.

impressum per Benedictum Hectoreum Bibliopolam sub anno dei 1498, *die XI Aprilis, Joh. Bentivolo urbem feliciter illustrante.* Ernesti V. C. de variis lectionibus margini adjectis hæc notavit in fronte exempli sui : «Collatus est hic liber cum Msto vetere a viro docto sæc. XV aut XVI». Qui contulit hoc exemplar, is e cod. suo varias lectiones additas virgula signavit; quædam tamen vocabula in prioribus præsertim libris, interdum correxit in ipso contextu: id num ex alio exemplari, an ex ingenio, an ex codice fecerit suo, non clare semper declaravit; suas tamen conjecturas interdum infarsisse videtur, quas non virgula notasset aut signasset literula *l'*, quod significari potest *vel* sive *lege.* Hinc intelliges, quando scripsi, vel *codex* aut *codex collatus*, vel *correctum*, vel *conjectura esse videtur,* vel alia ejusmodi generis. Enimvero de his judicium sit penes arbitros lectoresque intelligentes. At exemplar illud una cum adscripta lectionis varietate, quantum profuerit ad poetam emendandum, ex paucis speciminibus, quorum adhuc majorem copiam, si tibi videbitur, facile reperies, poterit cognosci. Ex. Bonon. habet, II, 205, veram lectionem *hirtæque* pro vulgata *atræque;* III, 98, dedit jam *stellantia,* quod Maserius excogitasse sibi videbatur; III, 324, singularem habet lectionem *a patria* pro vulgata, *a prima;* IV, 204, 211, 214, veras jam exhibet lectiones *quo...visat...remeet... cæstus;* IV, 273, singularem, et, ut arbitror, veram offert lectionem *effugit,* ubi vulgo legitur *effudit;* VIII, 558, firmat Heinsii conjecturam *ab agris* pro vulgato *in agris;* VIII, 332, legit *vorat* pro vulgato *trahit,* ut alias supraque jam memoratas varias lectiones prætermittam.

Majorem adhuc vim singularium aut probarum lectionum suppeditavit codex collatus, qui optimæ notæ esse videtur, e. gr. I, 418, *clavum* pro *cœlum;* ibid. v. 491, *relinquunt* pro *sequuntur;* I, 536, *secreta* pro *decreta;* I, 780, *miseros* pro *seros;* I, 808, *incognita:* firmat quoque conjecturas V. D. ut Pii, I, 622, *fulsere;* Burmanni, I, 150, *matresque* pro *na-*

tosque; ut Gronovii *æa*, I, 742, pro *acta;* Heinsii, II, 361, *mentes* pro *gentes;* II, 389, Zinzerlingii et Heinsii, *induere* pro vulgato *imbuere*; II, 464, Heinsii, *turgentia lumina;* III, 66, lectionem corroborat Læti Pomp. *antra* pro vulgato *astra*, et Carrionis cod. III, 146, *socios* pro *potius*, atque versu 158, *Protin et* pro *protinus;* III, 266, in loco vexato codex præbuit lectionem singularem *cura Jovis* pro *tanta lues;* III, 439, *pectora fert Mopsus*, ubi vulgo legitur *pectora per medios;* IV, 5, *arvis* pro vulgato *oris;* Drackenb. tamen ad Silii locum mem. nescio unde, *arvis* dedit; VI, 164, *aula* pro vulgari *unda*. Sed ohe! jam satis exemplorum, quæ quidem codicis probant bonitatem : plura, si volupe erit, in notis invenies adnotata.

Tum contendi *Carrionis* editionem Antwerpiæ 1465, in-8, ex officina Christophori Plantini, et ea notavi in usumque converti, quæ acutissimus mihique amicissimus Jo. Fridr. Herelius in Epistola critica (Altenburgi 1767, in-8), p. 68 sqq. pauca quidem, at erudite ingenioseque scripta; nec non vir quidam doctus in Miscellaneis observationibus in auctores veteres et recentiores, vol. IV (Amstelæd. 1734, in-8), *Dorville* in commentario ad Chariton, *Markland* in Animadverss. ad Statii Silvas et in Epistola critica ad *Hare* (Cantabrigiæ 1723, in-8), *Oudendorp* et *Burmann* in notis ad suas Lucani editiones, Christian. Crusius, haud admodum felix poetarum interpres, in Probabilibus criticis, Lips. 1753, p. 48 seq. aliique viri docti passim attulerunt ad emaculandum ac restituendum Valerii contextum, quem *Markland* in Epistola memorata, p. 28, vocavit *mendorum omnis generis thesaurum locupletissimum.*

Forte fortuna nactus quoque sum Burmannianum, quod correctum postea dedi typothetis, exemplar, cujus oræ quædam suspiciones fuerant additæ, quas serius demum perspexi auctorem habuisse Cortium, qui quoque editionis Burmannianæ confecit censuram, ad quam interdum provocat, in Actis Eruditorum, Lips. Kal. Julii, 1724, p. 281-285,

Quam, quum haud longa esset, et tamen ad notitiam et commendationem Burmannianæ editionis haud parum facere mihi videretur, in margine infimo repetere placuit (1). Illas

(1) *C. Valerii Flacci Argonauticon libri VIII, curante Pet. Burmanno, Leidæ apud Samuel. Luchtmans, 1724, in-4, mai. Alph. 5, pag. 12.* — Merita viri celeberrimi Petri Burmanni in rem literariam tanta sunt, ut omnes eruditi, qui modo non sint ad obscurissimas et mercenarias disciplinas projecti, habeant, quod illi acceptum ferre haud refugere possint. Eam autem inprimis partem, quæ in emendandis et illustrandis vetustis scriptoribus versatur, ita egregie ornavit, ut illi, qui Phædrum, Petronium, Velleium, Quintilianum, cura tanti viri perpolitos vel leviter tractaverint, magnifica omnia et exasciata opinione præcepturi sint, quando de Valerio Flacco, cum observationibus Burmanni in lucem emisso, accipient. Irritaverat jam olim cupiditates doctorum hominum, quum spem faceret Flacci prodituri et Ovidii: nunc eo ardentius exoptabunt Ovidium (quem ut aliunde cognovimus ad Indices usque absolutum jam habet), quo magis peritiam cl. Burmanni et modestiam in castigandis poetis ex his in Flaccum lucubrationibus agnoscere licet. Sunt quidem pauci, atque ii fere vitilitigatores, quibus ad judicandum ardet animus, diligentissimo cuique infesti, ipsi ignavi et socordes, qui conatus Burmannianos et utiles labores allatrare ausi sunt: nihil tamen adhuc famæ optimi viri apud harum rerum peritos detraxerunt. Neque mirum hoc in tali critico videri debet; quum omnes, qui in ista arte ad aliquod nomen ingenii pervenerunt, malevolis judiciis obnoxii fuerint. Et si maxime virtutem præsentem odisse pergant homines male feriati, posteritas tamen illi suum decus rependet. Erunt etiam aliquando, qui, quod Burmannus viris clarissimis Grævio atque Brouckhusio præstitit, quorum famæ acerrime consuluit, Burmanno itidem præstent, debitasque illi laudes vindicent. Sed ad Valerium Flaccum ut revertamur, non ille in ultimis laudibus Burmannianis ponendus erit. Dignus erat tali interprete vates, et in quem non incideret subitaneus quidam et tumultuarius notarum consarcinator. Jam anno 1702 satisfecerat ex parte votis eruditorum, quum Nic. Heinsii in Flaccum Animadversiones, ex tenebris erutas communicaret. Sed neque Heinsius, neque infaustus ille plagiarius Alardus, etiam Carrione, Weitzio et Bulæo stipatus, omnes labes deterserant: multo minus omnibus locis lucem, qua egebat Valerius, affuderant. Multa itaque relicta erant emendanda, plura illustranda, in quibus ingenium suum exercere poterat cl. Burmannus. Hic etsi pro diutino usu et multa poetarum lectione, audacius censuram peragere potuisset; modestissime tamen sese gessit, et omnia cauti et cir-

Cortii emendationes licet paucas, at tamen haud spernendas, primum nomine *Viri docti*, dein, cognito auctore, nomine *Cortii* signatas, suis quasque inserui locis. Pari ratione

cumspecti interpretis officia implevit. Pauca sane in ipso contextu immutavit, eaqoe omnia certa et clara sunt, adeo, ot quilibet lectorum adsensum dare cogatur. Ne in adnotationibus quidem nimium conjecturarum numerum attulit: quas non experitur, nisi in locis pessime effectis, deploratis atque depositis. Crederes, non tantum temporis cl. auctorem commodasse Valerio, quantum Pctronio aut Ovidio. Contra vero ante vigioti amplius annos eum huic poetæ intentum fuisse, manifesta indicia adsunt. Sæpius cum Grævio atque Brouckhusio, quum illi in vivis essent, de locis malc sanis sese egisse, passim memorat; excerpta etiam literarum, quibus illi consulti sententias suas exposuerant, inspersit. Adiit etiam Bentleium, cujus εὐστοχίαν præclara declaraverant monumenta; ut videre est ex nota ad lib. III, 123. Alicubi etiam prædicat, se olim multa exempla verbi cujusdam ad Valerium adnotasse, quæ quum postea idem ille Bentleius præceperit ad Horatium, nunc omittere debuisset. Unde patebit, non tempori, sed moderationi cl. Burmanni tribnendum csse, quod ita, ut diximus, cante in castigando poeta suo versatus sit. Eximias taudem quasdam emendationes, cui volupe est inquirere statim, lib. I, 39, 200, 529, 590, 785, depreheodet, ex quibus de reliquis judicium ferre poterit. Verum non tam corrupta scriptura, quam intricatus et haud raro ab ipsis interpretibus depravatus sensus, negotium facessivit cl. editori. Flaccus eoim ubique nitidus, vehemens, sublimis atque facundos incedens, imperitis, tardis et humi repentibus ingeoiis haud raro imposuerat; qnod Balbi, Pii, Maserii, Carrionis aliorumque exemplis facile demonstrari posset. Cl. autem Bormannus non modo ea loca, ubi illi hæsitarunt, pleraque omnia feliciter expedivit; sed illa etiam, quæ non tacta ab aliis, lectorem tamen vexarc, aut morari posseot, egregie explicuit. Ex eo geoere placebit studiosis interpretatio lib. I, 10; *Eripe me populis et habenti nubila terræ*; v. 262, *magnumque sonantes Haurit*; v. 428, *quod gemina mater spectabile tela Duxit opus*; adde v. 767; lib. II, v. 620; III, 48; IV, 105; V, 167, et infinita alia, in quibus rarioris coostructionis, aut unins sæpe vocabuli dilucida explanatio, quod in tali poeta summe erat necessarium, gratissimam lucem feneratur. Nec verba saltem, sed ipsas res et historiam ioterpretatur; ut quum ad lib. III, 479, ostendit, cur Hercules a quibusdam humilis staturæ fiogatur; qualia bene multa oullo negotio iovenire queas. Sæpe tamen, ut ingenue omnia indicemus, optimus ille interpres ipse vacillat, et, qua est ingenua froute, sese hæsitare, ignorare, quid verba velint, profite-

viro cuidam docto prius adscripseram conjecturas, paucas quidem, at sagaces, Alardi exemplo, quod mecum Iægerus, doctor literarum bonarum et historiæ in Universitate Al-

tur. Quod illi nemo vitio vertet, qui secum consideraverit, quantis tenebris immersus, quanta errorum copia obrutus fuerit vir doctissimus, in quibus omnibus tentare medicinam maluit, etiam successu carentem, quam nihil plane afferre. Alii certe ita veluti manu ducuntur ad bene merendum de Flacco, quum iis maxime locis animum intendere possint, quæ corrupta aut impedita esse indicavit cl. Burmannus. Genuini hoc atque ab omni ostentatione remoti interpretis erat; non minus tamen, quod neque Gronovii, Heinsii, Grævii, neque amicissimi Brouckhusii auctoritate permotus est, ut veritatem desereret, magnisque viris adhæresceret; quin potius, ubicumque res postulavit, libere dissensum profitetur, et, in alia omnia ire, æquum existimat. Inter tot virtutes primo loco memorandum erat, quod non modo ineditas Ger. Vossii in Flaccum annotationes adjunxerit, et quasdam nunc primum Heinsii, quas nempe codici suo appinxerat, evulgaverit, sed etiam, ut index habet, *integras* doctorum virorum notas subjecerit. Vere integras. Non enim sequitur cl. Burmannus eorum mores, qui integras promittunt, tacite tamen inter *integras* et *universas* discrimen quoddam agnoscunt: sed ne sic quidem lectoris exspectationi satisfaciunt. Evolvas enim Tacitum, Cæsarem, Justinum, aliosque hujus modi scriptores, quibus in fronte splendidum titulum alleverunt; sed spes tua falsa erit. Tantum enim abest, ut universas Pichenæ, Ursini, Bongarsii, aliorumve notas, etsi index eas mentiri videtur, inibi reperias, ut etiam, quas exhibent magnifici promissores, decurtatas et misere truncatas dederint, adeo ut multas alias etiam editiones requirere debeas, si animo tuo satisfacere velis. Non ita delusit optimus Burmannus lectores suos: tuto Carrionis, Balbi, aliorumque, quorum integras notas promittit, singularibus editionibus carebis; quum omnia illorum, nisi nos comparatio nostra fallit, bona fide exhibeat. Neque præfationes et dedicationes desiderabis, a viris illis concinnatas: quas, utilissimo consilio, omnes Flacco suo præmisit. Nulla tamen earum plura de poeta docebit, quam ipsius Burmanni, quæ omnia ad varias editiones spectantia, docte enarravit: simul errores quosdam Maittairii, Fabricii et defensorum importuni illius Alardi opportune castigavit. Accedit catalogus Argonautarum ex Argonauticis et aliis scriptoribus collectus; non talis quidem, quales editionibus Carrionis et Alardi adjunctos conspicimus, aut Simson in Chronico et Thom. Galeus in notis ad Apollodori Bibliothecam dederunt, minus accuratos et legentibus parum accommodatos: sed qui ubertim ex omni genere

torfina celeberrimus, et ingenio copiaque literarum florentissimus, pro sua insigni humanitate mecum liberaliter communicaverat, quam vir hic eruditissimus, licet paulo serius, se ipsum illarum auctorem coram professus esset.

His opibus instructus in adornanda hac editione ita versatus sum, ut orationem, eamque frequentius quidem in posterioribus libris, quam in duobus prioribus, ex apparatu editorum pariter atque scriptorum codicum, quoad mihi

scriptorum et stirpem et ætatem, quantum fieri potuit, Argonautarum omnium tradit. Subjungitur etiam Supplementum Valerii Flacci ex Apollonio maxime ab Jo. Baptista Pio concinnatum, quod aliæ quoque editiones vetustiores jam expresserunt; item versio latina metrica Orphei Argonauticon, cujus auctorem Leodrisium Cribellum Mediolanensem esse ex Aldo, Barthio, Reinesio aliisque docuit Burmannus, quum vulgo eum ignorare videantur. Agmen claudunt Indices necessarii, quos majore cura et diligentia, quam fieri solet, confectos esse sperat. Alardi certe index enormioribus mendis scatet, quarum aliquot cel. editor post catalogum Argonautarum enumeravit. Indicavit ita multa aliorum auctorum loca, quæ in notis illustrantur aut emendantur: in quibus eximia est emendatio Manilii, lib. V, 502; quam vide in notis ad lib. II, 466. Sæpissime etiam varias lectiones tum aliorum tum maxime Lucani laudat, quas, ut putamus, Heinsius collegit, et cel. Burmannus, quæ nostra spes est, cl. Cortio, qui apud nos novam Lucani editionem molitur, haud invidebit. Denique, nec illud prætereundum existimavimus, quod in notis non modo de interpretibus Valerii (ad quem numerum pertinet illud de Pio ad lib. III, 404), sed etiam de aliis viris doctis judicia sua admiscuerit, aut eos tamen elogio quodam ornaverit. Ita haud inutilia neque ingrata sunt, quæ habet de docto illo Virgilii interprete *La Cerda* ad lib. III, 317; de Jacobo Gronovio ad v. 392; de Clerico, quem festivo elogio, illud cymbalum hujus sæculi appellat ad vers. 400; de multis præterea. Nos, qui videmus in plerisque curam Valerii Flacci satis feliciter cl. Burmanno cessisse, optaremus, ut vir eruditissimus post Ovidium, etiam Catullum, Manilium aut alium quem veterum poetarum castigatiorem cum harum rerum cupidis communicaret: sed ætas, gravissimæ curæ, cumulata negotia (etenim, post obitum cl. Senguerdi, etiam Leidensis Bibliothecæ curam Burmanno commissam esse cognovimus), ea persuadere videntur, fore, ut vota nostra frustra sint. Nihil tamen magnopere querimur, dum verum bonumque judicamus, tot exantlatis laboribus ejus honestum otium condonare.

quidem visum fuerit melius (me tamen errasse, diffiteor nullus, veniamque rogo), diligenter emendarem, conjecturis tum meis, tum aliorum haud paucis animadversionum farragini immixtis.

Quod Burmannus, uti jam Cortius celebrarat in Actis Lipsiens. memoratis, præclarus exstitit Valerii interpres multis naturæ atque eruditionis præsidiis ornatus, (quamquam cel. Ruhnken. in præfatione ad Velleium Paterculum pronuntiat, Burmannum acumine critico minus valuisse; eumque, si verum dicere fas est, meliorem fuisse grammaticum quam criticum, haud negamus; tamen verecundia et temperantia critica multos vicit in mutando textu nimis audaces, ingeniique sagacitate aut tumore potius nimium elatos) illius notas retinui integras; reliquorum autem interpretum observationes, quum interdum vel eadem, sive haud ita multum diversa scripsissent, vel multa, erudita quidem, quæ vero ad sensus perspicientiam sæpius parum conducerent, largius apposuissent, nimirum, Carrionis, Pii, Maserii, Balbi, Bulæi, Zinzerlingii, Gerardi Vossii, Heinsii, sagacissimi alias critici et acutissimi nostri poetæ interpretis, Weitzii aliorumque modo integras, modo contractas, aut illarum tantum summam, meis varii generis animadversionibus intextam, reddidi; ita tamen, ut nihil, quod ad explicandum pertineret poetam, consulto delerem. Ego vero, quoniam virorum doctissimorum commentationes mole jam vidi laborare, eo parcior fui, measque animadversiones interpretationibus reliquorum vel subjunxi, vel brevitatis studio, ubicumque commodum fuerit visum, inserui, aut tantummodo uncis sejunxi a cæteris. Heinsius denique et in præfatione, et in notis, Erfurtani cujusdam codicis, quem non uno loco testem advocasset Piccartus in Criticis Periculis, injicit mentionem (adde Fabricii Bibl. latin. II, p. 254, ed. Ernestii): illum tamen non amplius reperiri in bibliothecis Erfurtanis, Herelius meus me per literas fecit certiorem.

Ita vero Valerium Flaccum reddere studui tum copiis majoribus ornatum, tum mea qualicumque (de qua quidem viri docti æquique judicent), aliorumque opera purgatum a mendis (quibus tamen omnibus tollendis me imparem fuisse confiteor), atque explicitum. Neque tamen diffiteor me, si prævidissem tarditatem et redemptoris, viri honesti, aliis negotiis, quæ sibi videbantur, gravioribus districti, et typothetarum, in quorum manibus exemplar, curis meis emendatum locupletatumque, ultra quatuor vel quinque annos hæsit; atque si res integra mansisset, inter ea temporis plura collaturum fuisse ad majus editionis non magis quam lectorum commodum, ad opus expoliendum, ipsumque poetam hinc inde melius forsan interpretandum illustrandumque. Atqui, ne vana me dixisse videar, pauca hic subjungam, plura per aliam occasionem, si deo placuerit, fortasse suppeditaturus. Valerius noster Flaccus, lib. I, v. 723, sqq. imitatus est Virgilii Æneid. I, 462:

> Sunt lacrymæ rerum; et mentem mortalia tangunt.

Simili, ut ejus mos est, imitatione Noster, lib. II, 491, sequutus est Virgilium, Æn. I, 589, ubi vide cel. Heyn. quem quoque conferas velim ad Virgil. Æn. I, 632, comparatum cum Flacco nostro, II, 651, qui veterem heroum morem deseruit. Sic quoque Noster, V, 400, seqq. expressit Virgil. Æn. I, 410, sqq.

> Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.
> At Venus obscuro gradientes aere sepsit,
> Et multo nebulæ circum dea fudit amictu;
> Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
> Molirive moram, aut veniendi poscere causas.

De pictura libri V, 411, 417 sqq. (ubi corrigas velim, v. 413, *at)* cel. Heyn. in Excursu XV ad Virgilii Æn. I, 453, pag. 126 med. ita judicat: « Valerius Flaccus, V, 411, in fastigio templi (ita quidem nobis videtur), et in foribus, 417-465, expressas historias apud Colchos memorat: sapienter quidem

hoc, sed idem in operis summa infelix; non enim apparet, quorsum ista descriptio anaglyphi inserta sit. At noster poeta (Virgilius) ad confirmandum Æneæ animum his rerum imaginibus egregie utitur ». Pari ratione si quis Virgilium aut Apollonium Rhodium, diligenter contulerit cum Valerio Flacco, perpetuo fere illorum imitatore, multa adhuc reperiet, quæ valeant ad illuminandum poliendumque nostrum carmen. Ad lib. II, 271, notat Burman. singulare fuisse Valerio, qui scyphum tribuisset Baccho: at respexisse videtur Horatium (qui quamquam illi haud clare asserit scyphum) lib. I, Od. 27, 1 sqq. dum canit:

Natis in usum lætitiæ *scyphis*
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque *Bacchum*
Sanguineis prohibete rixis.

De loco III, 143, vide Gesnerum in Thesauro ling. lat. voc. *feretrum*, pag. 639.—Historiam rapti Hylæ III, 561, paullo aliter narrat Theocritus, Idyll. XIII, ubi consules Warton. Poetæ vero in enarrandis fabulis antiquitate obscuris diversas diversarum gentium opiniones sectati, eam, quæ ornandæ sui carminis particulæ maxime idonea commodaque videretur, deligere, aut mutare vel ornare sueverunt.

Quoniam igitur supplementa quasi conscribere cœpi, criticorum quorumdam copias, in quas incidi, adducere juvat ad majorem nostræ editionis commendationem. Thomas Wopkens in Lectionibus Tullianis, pag. 23 (Amstel. 1730, in-8), vindicat illustratque antiquam lectionem in Valerio Flacco, I, 39, *fictis dat vultum et pondera dictis.*— Cel. Ruhnckenius ad Vell. Patercul. II, cap. 70, pag. 307, calculum adjicit emendationi Herelianæ in Flacci loco, V, 102, *altius in ventos* rediit *ratis*, ubi Vossius, etiam ad hoc Paterculi caput, pag. 1012, edit. Ruhncken. probat *ventos* recipit *ratis*, damnatque Sabellici aliorumque opinionem, qui *cecidit* reponere voluerunt.—Valerii locum corruptissimum, I, 672, putat Oudendorp. in curis poster. ad Frontini Stra-

tegemat. lib. I, cap. V, pag. 66, seq. (Lugduni Batav. 1779, in-8), ita legendum :

> seu volvitur axis
> Vi superum, seu sidere opus, tollique vicissim
> Pontus habet....

additque : « ubi constructio non est *habet sidere* (quod emendavi pro *staret*. Opponi verbum debet τῷ *tolli), et vicissim tolli*. Sed *habet opus sidere et tolli*, sive ut sidat et tollatur. Scio, damnari a viris doctis locutionem, *habeo opus illa re;* sed nihil obstat, quo minus infinitivo junctum adhibeatur ».—Gebhardus, ad Livium, VI, cap. 39, initio, ex cod. vet. firmat lectionem Val. Flacc. V, 456, *operum* defixerat *error*, et usum verbi *defigere* uberius illustrat: adde Drakenb. ad eumdum Livii locum, et ad III, 476. — Gronovius ad Livium, XXVIII, cap. 45, p. 285; t. IV, edit. Drakenb. ex cod. Oxon. probat quoque, ac fusius explicat *conducere vulnera cera* apud Valer. Flacc. I, 480.

Atque ita, si res mihi fuisset integra, plura congerere poteram : enimvero moles pretiumque libri crevisset. Quare hoc Catone si lectores, iique arbitri justi æquique, erunt contenti, me laboris temporisque, poliendo explanandoque poetæ sacrati, non pœnitebit.

Inter ea temporis, quo exemplaria opinione tardius sudabant sub prælo, nactus sum egregios duo Schraderi, critici interdum audacis quidem, at sagacissimi atque acutissimi et in hac arte veterani omni laude laureaque condecorandi libros : in quibus quia Valerii loca quædam docte illustrantrantur, aut emendantur, aut vindicantur a vanis falsisque aliorum conjecturis, haud ingratum molestumque fore arbitror lectoribus, quando ea, quæ huc faciant, libris illis non cuilibet notis, hic repetita legerint. Edidit vero vir doctissimus librum *Emendationum*, Leowardiæ, 1776, in-4, et librum *Observationum*, Franecker. 1771, in-4, utrumque exquisita raraque eruditione refertum. In Præfatione igitur ad priorem librum, pag. XXXVII, hæc notat :

l.

« Quid? quod N. Heinsius, criticus sagacissimus, et idem « poeta summus, hujusmodi conjecturarum (nempe pra- « varum) copiam effudit. Etenim Valerii Flacci lib. III, « 152, corrigere conabatur :

« Currit hiems *Zeten*, et Broten Abarinque relinquit.

« In quo bis erravit, primum, quod *Ze*, deinde, quod *ten* « corripuit. Ut enim Græci, Ζήτης, Ζήτην, sic Latini, *Zetes*, « *Zeten*, utraque syllaba producta, pronuntiant. Ne multa : « scribendum cum Maserio, *Zelyn*; sic Apollonius Rhodius « (quem Valerius sequitur), I, 1041, vocat :

« Ἡ δὲ μεγαβρόντην, Σφόδριν τ' ἐνάριξεν Ἄκαστος,
« Πηλεὺς δὲ Ζέλον εἷλεν.

« Sic liber *Carrionis* exhibet. Idem reponi volebat, I, 412,

« *Phleias* immissis,

« et III, 149,

« Gravis irruit Ochum
« *Phleias*, et trepido.....

« Sed in hoc uno tria peccata admisit : unum, quod bisyl- « labum mutavit in trisyllabum ; nam Græcis est Φλείας bi- « syllabum. Apollonius Rhodius, I, 115,

« Φλείας δ' αὖτ' ἐπὶ τοῖσιν Ἀραιθυρέηθεν ἵκανεν·

« Orpheus, Argon. 192,

« Φλίας δ' ἐξαφίκανε·

« alterum, quod primam syllabam produxit : tertium, quod « ultimam corripuit; *as* enim producitur a bonis poetis (v. « Voss. A. G. II, 36); a malis autem corripitur, velut auctore « versus ab Hygino, f. 221, memorati :

« Plures esse malos *Bias* indicat ille Prieneus.

« Vid. *Muncker*, Diss. de Hygin. p. 7. Enimvero scribendum « *Phlias*, priore longa; quod vel Apollonius et Orpheus do-

« ceant. Nec diversus syllabæ modus est servatus in, *Phlia-* « *sius.* Ovidius in Ibin, v. 327:

« Quæque in Adimantum *Phliasia* regna tenentem. »

Idem in Præfatione, pag. 45, « Vehementius, ait, peccavit « vir eruditissimus (Burmannus), quum Valerii Flacci lib. I, « 67, corrigere conaretur hoc modo:

« ......aut curru sævos frænasse dracones
« *Celidæ*, ignaras Cereris qui vomere terras
« Imbuit.

« Κελεὸς enim tribus syllabis, atque adeo prima brevi pro- « nuntiatur ». Cap. IX, p. 179, ubi multus est de vocabulo *accola*, ejusque permutatione cum *incola*, in Valerium Flaccum, IV, 513, corrigit

Strophadas nunc *accola* ponti.

Pag. 196. « Hic locus, inquit, in memoriam redigit haud « dissimilem, sed suspectum, Valerii Flacci, V, 430,

« Flebant populeæ juvenem Phaetonta sorores,
« Ater et Eridani tepidum globus ibat in amnem:
« At juga vix *Tethys* sparsumque recolligit axem,
« Et formidantem *patrios* Pyroenta dolores:

« ut enim Tethys Solem in Iberum mare cadentem excipiat « II, 36, sic juga Phœbei currus, et equos dispersos vix « commode recolligit. Non nemo certe congruenter Ovidio, « Lucretio Lucanoque, tomo I, p. 280, scripsisset:

« At juga vix *Phœbus*, sparsumque recolligit axem,
« Et formidantem *patrios* Pyroenta dolores:

« aut *Titan*, quod nomen usitatum poetæ. Favet quidem « vox, *patrios*. »

In libro Observationum, pag. 21, ita emendat locum difficillimum Valerii Flacci, II, 439:

Hactenus in populos *vati*, *Samothraca*, diemque
Missa *vale*; sacrisque metum *servemus* opertis.

Quæ quum omnia fusius probasset, summam eorum dabo: *Samothraca* est *Samothracia*. Deinde *Samothraca vale* firmatur Apollonii Rhodii versibus accommodatissimis, quippe ad verbum fere expressis et conversis, I, 918 seqq.

> Τῶν μὲν ἔτ' οὐ προτέρω μυθήσομαι· ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
> Νῆσος ὅμως κεχάροιτο, καὶ οἳ λάχον ὄργια κεῖνα
> Δαίμονες ἐνναέται, τὰ μὲν οὐ θέμις ἄμμιν ἀείδειν (1).

Nam quid inter νῆσος κεχάροιτο et *Samothraca vale* differt? Verba autem *manere* et *valere* librarii pariter permutarunt in Manil. II, 399, et Ovid. Metamorph. XIV, 809, ubi vide Burmann. Tum *vati*, sequente *servemus*, mirifice congruit cum Apollonii μυθήσομαι ... τὰ μὲν οὐ θέμις ἄμμιν ἀείδειν. Indidem denique firmissimum *vati* præsidium peti potest, qui non alius est, ac poeta de se loquens, ut III, 216, *vos, prodite, divæ... vatique patescat*, etc. et lib. III, v. 216, *heu* vatem *monstris... o qui* me *vera canentem*, etc. Appositus est locus Ovidii Fastor. III, 323: *Emissi quid agant laqueis... nobis concessa canentur. Quæque pio dici* vatis *ab ore licet.* Tum sub examen revocat conjecturas Salmasii ad Histor. Aug. script. pag. 32; Gronov. Observat. I, 15, Heinsii denique et Burmanni ad nostrum locum.

Quod Valer. Flacc. VI, 550, scripsit,

> Dixit et in Sueten,

Heinsius correxit in *Sutæ* vel *Butæ*. Schrader. vero, p. 79, emendat *in Seuthen*, quod nomen aliquot Thraciæ reges habuisse constat; vid. *Cary*, in historia regum Thraciæ, pag. 8, 10, 27, 47. Perses autem, cujus duces h. l. memorantur, Scythiam movisse legitur v. 34.

Hactenus cl. *Schrader*. Quod vero supplementum Valerii

(1) His equidem non plura loquar: tuque, insula divum
Missa mane, et valeant quorum hæc sunt orgia sacra
Dæmones indigenæ: nobis ea dicere non fas.

Flacci ex Apollonio maxime ab Jo. Baptista Pio concinnatum, item interpretationem latinam metricam Orphei Argonauticon, cujus auctor Leodrisius Cribellus esse perhibetur, atque plurimorum superiorum editorum dedicationes atque præfationes, quæ omnia ornant Burmannianum, in hac editione omisi, et indicem verborum contraxi, id feci eo consilio, ne libri mole pretioque poetæ cupidi ab emptione et lectione cohiberentur. Denique, quum operis non præessem, ut errores typographicos, quos omnis sollertia humana cavere non potest, ego vero ob temporis penuriam inquirere atque indicare nequeo, ipse benevole (1) corrigas, mihique faveas, etiam atque etiam rogo te oroque. Scr. Erlangæ d. XVI Decemb. cIↄIↄcccLxxx.

(1) Sic lege pag. 3, b. ad v. 1, lin. 3, *offendit* pro *ostendit*; ibid. lin. 5, *ait* pro *aut*; ib. lin. 6, *Valer.* I, 644, p. 19, b. lin. 29, *ut* pro *et*; pag. 32, a. lin. 32, *quæ* pro *qua*; pag. 58, a. lin. 17, *V*, 155, pro *II*, 155; ib. b. lin. 20, *tollit* s. *fert*, pro *sustollit*; pag. 284, a. lin. 46, *Servium... Virgilii ad v.* 432, *excitati*; pag. 325, v. 652, *auroque*; pag. 824, b. lin. 15, *Medeam* pro *Mediam*, etc.

J. AGST. WAGNERI

PROOEMIUM

DE

C. VALERII FLACCI

VITA ET CARMINE.

Quæ pluribus olim inde a M. Valerio Poplicola sæculis ob res præclare domi militiæque gestas inclaruerat gens Valeria, non eamdem in singulis familiis fortunam experta est. Messalis enim quum contingeret pristinum sub imperatoribus primi æræ Christianæ sæculi splendorem servare, nomenque Valeriorum ad Diocletianum adeo, Constantios, Constantinos, Galeriosque propagare; Flacci contra bellis civilibus ad obscuritatem tenuemque censum redacti atque depressi videntur vixisse; quo factum, ut, quo patre prognatus fuerit, quem denuo in publicum emittimus, poeta C. Valerius Flaccus, plane ignoremus.

Haud multo certiora sunt, quæ de patria ejus traduntur. Quod si enim codices sequamur, qui C. Valerii Flacci Setini Balbi nomen (de quo quid sentiendum sit, vide Commentarium ab initio) præferunt, Setiam, Campaniæ oppidum, hodie *Sezza*, patriam agnovisse videri possit poeta. Nec deesse honori istius urbis (sunt enim cupidiores omnino in asserendis sibi claris olim viris civitates Italiæ) voluit jurisconsultus Setinus, postea pater purpuratus, Pet. Marcellus Corradinus, Valerium Setiæ vindicare conatus in libro de civitate et ecclesia Setina, Romæ, 1702, edito; sententiam tamen suam non nisi recentiorum auctoritatibus scripto-

rum firmare potuit. Propius ad veritatem accedere videntur, qui Patavii Valerium natum arbitrantur, Martialis, cui interior cum Valerio necessitudo intercessit, locis quibusdam inducti. Bilbilitanus enim ille poeta, libro I, Epigr. 77, amicum suum nominat *Antenorei spem et alumnum laris* (ad Antenora vero originem referebant Patavini, Liv. I, 1; Virg. Æn. I, 242 sq.); et lib. I, Epigr. 62, v. 3, *censetur Apona Livio suo tellus, Stellaque, nec Flacco minus.* Apona autem tellus Patavium est ab Apono, fonte ibi medicato; vid. Claudian. Idyll. VI, p. 657, ed. Gesn. Uberius Patavio asseruit Flaccum Scardeonius, lib. I Historiæ Patavinæ, p. 61, in tomo VI Thesauri Italiæ, p. 3.

Tantas componere lites operæ si pretium esset, dici fortasse possit, Setiæ Valerium natum, Patavii educatum esse, fundos in agro Patavino, larem tamen etiam Romæ habuisse; quod ut credamus, facit ipse poeta ab initio carminis, v. 5, ubi *Cumææ vatis cortinam domi suæ stetisse* gloriatur. Qui locus, quamquam historiæ repugnare videatur, quum, Tacito auctore, Annal. lib. VI, c. 12, Augusti saltem ætate Sibyllina carmina omnino *privatim* habere non licuerit, et, quæ genuina haberentur, in basi statuæ Apollinis servari solerent, vix tamen alium sensum admittit, quam ut, præeuntibus Pio et Heinsio, Valerium in Quindecimviris sacris faciundis fuisse statuamus.

Omnino sibi Romæ vixisse putandus est, aureæ mediocritatis amans, et, quam lauream triumphis majores sibi quæsivissent, eamdem doctæ sibi frontis præmium esse maluit, spreto amicissimi Martialis consilio, qui eodem, quod modo laudavimus, epigr. 77, ut, misso versuum pangendorum studio, causas in foro ageret, suaserat: *Pierios differ cantusque chorosque sororum : Æs dabit ex istis nulla puella tibi.... Romanum propius divitiusque forum est. Illic æra sonant : at circum pulpita nostra, Et steriles cathedras, basia sola crepant.* Cæterum Vespasiani ætate quum maxime floruit, annumque a C. 80, ipsi assignat venerabilis senex Chri-

stoph. Saxius in Onomastico, vol. I, p. 264; decessit autem sub Domitiano post annum 88, si recte calculos subduxit in Annalibus Quintilianeis Henr. Dodwellus.

Jam vero, quo loco inter poetas habendus sit, dispiciamus. In quo judicio ferendo bonum omen, nec contemnenda prærogativa est, quod jam olim Quintilianus, intempestivam ejus mortem dolens, Instit. Or. X, 1, *multum*, inquit, *in Valerio Flacco nuper amisimus.* In pluribus eum carminum generibus elaborasse verisimile est, quorum tamen nihil ætatem tulit præter Argonautica, quibus igitur solis poetica ejus facultas æstimanda venit. Et primo quidem, quam primariam epici carminis dotem esse volunt, ut rem a viris magnis susceptam gravem sistat, quæ multum difficultatis, impedimentorum atque periculi habeat, quæ magnam virium contentionem postulet, vires adeo humanas ita videatur superare, ut non nisi interventu ministerioque deorum expediri et ad finem perduci possit... eam igitur dotem argumento, in quo elaborare placuit Nostro, inesse quis neget? At vero paupertatem quamdam ingenii prodidisse videri possit propterea, quod actum agere, et in tam trita et a multis ante eum decantata fabula denuo periclitari voluerit, quo nomine ab æquali Juvenale, Sat. I, 7-10, oblique tactum et irrisum esse crediderunt nonnulli, de quo vide ibi Ruperti Commentarios ed. majoris. Magnus utique numerus et Græcorum est et Latinorum, qui expeditionem Argonauticam carminis argumentum sibi sumpserunt. Nam, ut prætercam, qui eam historiam obiter tractarunt, vel levi manu attigerunt, Homerum, Odyss. XII, 69 sq. Pindarum, Pyth. IV; Ovidium, Metam. VII, 1 sq. Claudianum initio belli Getici, justis etiam et perpetuis carminibus eamdem celebrarunt, sed nunc deperditis, Hesiodus, Epimenides Cretensis, Cleon Cyprius, Eumelus Corinthius, Herodorus, Dionysius Milesius, etc. quorum nonnulla etiam fragmenta servavit passim Scholiastes Apollonii. Vide omnino Fabricii Bibl. Græcam, lib. III, c. 26, vol. IV, p. 264,

ed. Harles. et *Groddeck in Bibl. der alten Literat. und Kunst* St. II, S. 60, 70 seq. E Latinis laudatur in primis P. Terentius Varro Atacinus, Apollonii non tam imitator, quam interpres, quamquam et de suis subinde aliqua addiderat, de quo vide Ruhnkenium in Ep. critica II, ed. sec. p. 199.

Quod igitur ex priscis illis heroicis, quæ vocant, temporibus, quæ epopœiæ non una de causa magis accommodata habebantur, quam a recentiori ætate depromere argumentum Valerius maluerit, tantum abest, ut vitio verti possit, ut potius laudandus esse videatur, qui aliorum suæ ætatis poetarum, Lucani inprimis et Silii Italici exemplum noluerit sequi, qui, quod historico carminum genere, quamquam epico vestitu induto, inclarescere voluerunt, nec civium tamen, nec posterorum plausum tulere. Nimirum antiquitas majorem omnino vim habet ad animos afficiendos et admiratione imbuendos, eam etiam ob causam, quod inter priscos illos homines dii adhuc versari credebantur, quo subsidio fere carere debebant recentioris fabulæ scriptores, qui, etiamsi res magnas præclareque gestas canerent præclare, deorum tamen usi haud recte fuissent ministerio, ubi humana virtute prudentiaque effici omnia possent. Quo factum est, ut carmina veri nominis epica a nonnullis ea tantum haberentur, in quibus naturæ inducerentur ultra sortem humanam evectæ, et quorum argumenta nisi ex ultima antiquitate, uti Miltoni Paradisus, tamen ex paulo remotiori ætate, uti Christeis Klopstockii, petita essent: Voltarius contra haud recte pluribus fecisse videretur, qui in Henriciade suæ ætati propiorem heroa sumpsisset celebrandum. — Fieri denique potuit, ut Argonautarum facinus eam potissimum ob causam deligeret Valerius meus, quod, quum Varronem Atacinum Apollonii vestigia premere magis quam sequi vidisset, liberius mallet genio indulgere suo, Græcique poetæ licere sibi putaret quædam refingere, alia addere, detrahere, contrahere, aliove modo exornare. Non est igitur, quod litem movea-

mus homini de argumenti delectu; immo vero non solum gratias habebunt, qui, græce quippe nescientes, Orphea vel Apollonium legere non possunt, sed utriusque etiam linguæ gnari unum e Latinis superstitem esse gaudebunt enarratorem expeditionis Colchicæ tam suavem atque jucundum.

At vero, dicat aliquis, imitatoris tamen ubique personam agit Valerius tuus, et non Apollonium tantum ob oculos habuit, sed multas etiam aliis Græcorum et Latinorum poetis subripuit et sententias et loquendi formulas. Quod uti in universum negare haud sustineo, severiores tamen adeo Aristarchi, si accuratius in rem inquirant, vel plures ejusdem culpæ socios condemnandos, vel Nostrum etiam leviori nota dimittendum esse censebunt. Latinos enim ad unum omnes, ne præclarissimis quidem scriptoribus exceptis, philosophos, oratores, poetas pendere a Græcis, quem fugit? Sed non omnes eodem loco habendi sunt imitatores, quorum si qui ad servum pecus referendi sunt, alii tamen callidius agunt, materiam apud alios inventam alia induere forma, exquisitiorem ornatum, majoremque splendorem addere, et coronam undique decerptam flosculis distinguere in suo ipsorum horto natis allaborarunt. His melioris notæ imitatoribus æqui, qui propius norunt, Valerium judices annumerabunt.

Apollonium igitur, fateor, in primis sequutus est Valerius in summa carminis, totaque descriptione et œconomia, nec in ea mutare aliquid vel potuit, vel debuit, vituperandus adeo, si secus fecisset. Historiam expeditionis Argonauticæ ipsam non erat, quod ex Apollonio desumeret, quam ex quocumque alio, pedestris etiam orationis auctore, petere posset. Nec in itineris sociis ita presso pede sequutus est; nam non eodem omnes ordine enumerat, sed primum, quem Apollonius Orpheo tribuerat locum, Noster Herculi assignat; nonnullos etiam habet, quos ille ignorat, Iphin, Philoctetem et Deucalionem, in quibus Hyginum auctorem

habuit. In tenore porro itineris e Thessalia in Colchidem nihil mutandum fuit : uterque habet Lemnum, Samothracen, Cyzicum, Cyaneas; in singulis tamen fluviis, promontoriis, oppidulis aliquando differunt. Omnino, si quis familiaritatem aliquam cum utroque poeta contraxerit, is mecum facile consentiet, longe aliam sæpe viam ingredi vatem romanum. Conferat mihi aliquis vel primum Apollonii librum, et plura copiosius, alioque plane modo Valerium narrasse inveniet. Sic a Chirone Centauro Achillem puerulum, ut *abiturienti* patri vale diceret, advectum sistit uterque, ita tamen, ut rem leviter tangat Apollonius, I, 553 sq. Flaccus contra animum parvuli puerilem egregie pingat, I, 266. Sic pietatem Hypsipyles Lemniæ in patrem Thoantem paucis tantum verbis ab Apollonio, I, 620 sq. memoratam fusius exponit Valerius, lib. II, vs. 245 sq. Eadem ratio est in tristi regis Cyzici cæde, in qua describenda id egisse romanum vatem apparet, ut græcum affectibus movendis superaret. Aliis contra locis, si utrumque conferas, breviorem Latinum deprehendes Græco.

Quæ quum ita sint, oculis quidem ubique obversatum fuisse Valerio Apollonium negari non potest : sunt adeo loca haud pauca, in quibus ad verba hunc ille sequutus est; quæ, ubi ad illustrandum obcuriorem locum facerent, ubique fere adduxi. Et, ne quis nimio me mei Valerii amore abreptum putet, non ad Apollonii tantum, sed Virgilii inprimis exemplar in sententiis dicendique formulis singulis sese comparavit, nec aliorum Græcorum, Homeri præsertim, vestigiis sprevit insistere.

Fuit hoc imitandi studium assiduæque priorum poetarum lectionis ostentatio omnibus illius ætatis poetis communis. Uti enim Alexandrini, in quibus et Apollonius, Ptolemæorum ætate a simplicitate illa Homerica discesserant (v. Heyn. Prolus. de genio sæculi Ptolemæor. in Opusc. Acad. vol. I, p. 76), ita Latini proprietatem sermonis, facilitatemque Virgilianam deserentes, mirifice sibi placuerunt, si altius evo-

lare, omnia in majus efferre, prioresque post se relinquere sibi viderentur. Plura si scire de hac illius ætatis labe cupis, vide sis J. C. G. Ernesti commentationes duas de elocutionis poetarum veterum Latinorum luxurie, Lips. 1802, editas. Nil igitur mirum, si Valerius etiam imitatorem ageret, ita tamen, ut suo ipsius judicio uteretur, ut, quas memoria teneret, sententias loquendique formulas ad suam rem accommodaret, ut imagunculas, quas primis tantum lineis adumbratas invenisset, aliis, qui splendidiores sibi ardentioresque viderentur, coloribus distingueret, ut alia episodia comminisceretur, ut personas aliter agentes, aliter loquentes induceret. Nec tamen totis pendet ab aliis, et quæ sua ipsius sunt, ingenium produnt haud contemnendum. Ita enim apte omnia connectit, epicam ita gravitatem sectatur, characteres personarum tuetur diligenter, et animi motuum exprimendorum ita artifex est, ut, si ab uno alterove moroso nimis ac difficili judice discesseris, ab omnibus omnis ætatis ingeniorum peritis æstimatoribus poeta elegantissimus, et a Virgilio secundus habitus sit.

Unde vero, quærat aliquis, factum, ut tantopere neglectus jaceret? Nimia nimirum doctrinæ ex interioribus mythologiæ adytis deprompta venditatio, comparationes haud raro longius petitæ, ordo verborum sæpe perplexior, concisum porro et nimis abruptum loquendi genus, obscuriorem faciunt eum intellectuque difficilem. Hæcce singulorum locorum vitia Valerius ipse, si ultimam limam adhibere posterioribus inprimis libris per ætatem licuisset, sine dubio emendaturus, molliusque multa eloquuturus fuisset. Haud pauca etiam non ipsius poetæ sunt, sed librariis debentur, quos oscitantiæ atque stuporis convinci posse certissime persuasus sum, si plures ad nostram ætatem codices pervenissent. Non immerito igitur jam suo tempore questus est Jo. Fr. Gronovius in Sylloge Epistolar. a viris illustribus scriptarum, t. III, p. 419, *infinita in Valerio esse corrigenda;* et Nic. Heinsius, ibid. t. IV, *nihil est inquinatius miserrimo*

Valerio; et quamquam, qui pluribus poetis Latinis sanitatem restituisset, idem Heinsius de Valerio meritus est præclare, Marklandus tamen in Ep. critica ad Harium, Cantabrigiæ, 1723, edita, eumdem *mendorum omnis generis thesaurum locupletissimum* appellare haud dubitavit. Anno post, editio prodiit Burmanni, qui vir illo tempore in arte critica regnare, nisi aliis, sibi tamen ipsi visus est. Optima etiam nunc ejus editio habetur; multa enim emaculavit, multa interpretatus est felicius. Nec laude sua defraudandus Harlesius, qui recusam Burmanni editionem notulis Bononiensi anni 1498 adscriptis et ab J. A. Ernesti suppeditatis recentiorum quorumdam criticorum, quibusdam etiam suis emendationibus, auxit. Post tot eruditorum labores, plures tamen, qui mecum Valerium amant, nuper etiam conquesti sunt de locis haud paucis, in quibus offendas: quorum numerum an ego minuerim, aliorum judicium esto.

Sed, quid ego mea qualicumque opera præstare voluerim, paucis liceat exponere. Et primo quidem legibus, quas cel. Ruperti sibi suisque sociis scripsit, obtemperandum fuit. Non tam nostrum consilium hoc est, ut gravis armaturæ commentarios demus, in quibus omnis variantium lectionum copia enumeretur atque excutiatur; immo vero juvare volumus vel erectioris animi juvenes, qui jam aliquantulum in literis profecere, vel maturioris ætatis viros, qui, in otio minime otiosi, animum ex gravioribus negotiis jucunde atque utiliter recipere, et in sinum amicorum, quos olim adamassent, confugere cupiunt. Utrumque lectorum genus facile absterretur magnæ molis editionibus, in quibus haud raro, ubi per silvas variarum lectionum et conjecturarum, per argutias, concertationes, convicia adeo tandem eluctatus fueris, nihil tamen habeas, quod ad intelligendos difficiliores locos, sensumque pulchritudinis excitandum faciat.

Porro, uti singula carminum genera suas quæque regulas atque cautiones habent, ita et singuli auctores non iisdem omnes legibus dijudicandi tractandique sunt. Qui si singu-

laria amant, et in his profecto Valerius est, ista singularia, vitia adeo, indicanda quidem, sed iis relinquenda sunt. Sic igitur feci, in eoque discessi a Friesemanno, qui in Collectaneis criticis, Amst. 1786, in-4, editis, p. 69-118, multum operæ in emendando Valerio impendit, plerumque tamen conjecturas attulit ingeniosas illas quidem, et sensum facilem præbentes, sed quæ haud raro vim poeticam frangant, et pedestri magis orationi accommodatæ sint.

In pulchritudinis sensu eruendo æstheticaque, quam vocant, ratione, ea cautione usi sumus, ut nec justæ ætatis lectorum palato præmandendis quasi cupediis diffidere videremur, neque vero deessemus juvenibus, quibus, quid sit pulchrum et quare sit, digitis monstraremus, quidque vitiosum, haud satis aptum, affectatum, turgidum poetæ exciderit, indicaremus.

In constituendo contexto ita versati sumus, ut neque superstitiosi atque timidi, nec cupidiores justo atque temerarii deprehenderemur. Haud pauca, fateor, novavi: fieri tamen aliter nec potuit, nec debuit in auctore, quem corruptissimum omnes queruntur. Si quis velit cum Burmanno-Harlesiana editione conferre meam, is, ubi variarum lectionum aut conjecturarum copia onerassent locum priores interpretes, tralatitiam memet lectionem interpretando tuitum esse, vel una sæpe literula seu interpunctione mutata adjuvisse animadvertet. Ubi tam leni medela defungi non possem, et integra verba reponenda esse viderentur, vel codicum a Burmanno laudatorum, vel aliorum recentioris ætatis, quotquot ad manus habui, quosque suo quemque loco laudare haud neglexi, auctoritatem sequutus sum, vel meo ipsius ingeniolo ita aliquando indulsi, ut tamen immodestiæ temeritatisve criticæ sedulo caverem notam incurrere, in eorum vero gratiam, qui tenaciores esse solent in tuenda vulgari lectione, in commentario eam servarem.

Ut vero, quid ad faciliorem lectu suavioremque Vale-

rium reddendum contulerim, uno obtutu conspicere possint harum rerum periti, omnes a me factas mutationes exscripsi (1):

Lib. I, vs. 12, *pandat*, pro *pandet*. —Vs. 67, post *queat* signum interrog. posui. — Vs. 114, *facta* pro *fata*. — Vs. 117, *nunc* pro *hunc*. — Vs. 265, *placido* pro *placito*. — Vs. 305, *Tritonia* pro *Saturnia*. —Vs. 529, interpunctio mutata. —Vs. 547, itidem: præterea vero *manent* reposui pro *manet*. — Vs. 553, *quos* pro *quot*. — Vs. 578, *motu* pro *moto*. — Vs. 637, aliter interpunxi, et *toti* pro *tota*. — Vs. 671, *seu sidere* pro *sic staret*. — Vs. 841, *plantas* pro *plantis*. — Lib. II, vs. 236, *obdunt... acti* pro *abdunt... atris*. — Vs. 317, *te... Tethys* pro *sed... Cete*. — Vs. 439 et 440, inciso post *populos* sublato, pro *vates* rescripsi *vati*, et *vale* pro *mane*. — Vs. 621, *Taurus* pro *Canus*. — Lib. III, vs. 121, *insomnes* pro *in quo omen*. — Vs. 397, *vati* pro *vate*. — Vs. 440, *fert Mopsus* pro *per medios*. — Vs. 516, *a tenero* pro *et tenero*. — Vs. 524, *corytus* pro *myrtus*. — Vs. 558, *ceu* pro *sic*. — Vs. 670, *sequor agmina* pro *qua tegmina*. — Lib. IV, vs. 8, *arma viro* pro *arma, viros*. — Vs. 268, interpunxi aliter. — Vs. 525, *nunquam nova* pro *nunquam non*. — Vs. 702, *primas oras* pro *primis oris*. — Lib. V, vs. 102, *redüt* pro *recipit*. — Vs. 425, *permutat* pro *permutant*. — Vs. 484, *numine* pro *nomine*. — Vs. 521, *premit* pro *fremit*. — Vs. 671, *sim* pro *sic*, et aliter interpunctum. — Lib. VII, vs. 139, *at* pro *aut*. — Vs. 302, *vinclis* pro *vittis*. — Vs. 333, *velocior ulla pestis erat*, pro *velocius ulla, pestiferum*. — Vs. 345, *tunc pater atque*, pro *tun' poteras*. — Vs. 398, *hinc* pro *hic*. — Vs. 420, *ante* pro *ille*. — Vs. 456, *nam jam* pro *neque enim*. — Vs. 499, *virgo* pro *ergo*. — Lib. VIII, vs. 42, *aurea* pro *antea*. — Vs. 140, *Idyia* pro *adhuc*. — Vs. 208, *defleta* pro *deflexa*.

(1) Non omnes recepimus, quia scilicet Vaticanum codicem (cujus copia non fuit Waguero), quoties meliora conjecturis daret, ut æquum erat, sequi debuimus. Ed.

— Vs. 211, *ponunt* pro *ponti*. — Vs. 281, *alii* pro *alti*. — Vs. 325, *unum* pro *imum*. —Vs. 434, *poscunt* pro *possunt*.

Denique conspectum subjeci editionum omnium, eumque, ut spero, emendatiorem. Quæ omnia, si maximam saltem partem æquis probata esse judicibus animadvertero, erit quidem, quod gaudeam impense; nec tamen ægre feram, si in locis quibusdam, qui explicatus haberent difficiliores, aliam interpretandi rationem sequendam fuisse iidem pronuntient.

Scr. Merseburgi, ipsis Cal. Juliis, MDCCCIV.

INDEX EDITIONUM

VALERII FLACCI,

AUCTORE WAGNERO.

Poggium Florentinum in monasterio S. Galli prope Constantiam libros Valerii tres priores et quarti partem invenisse, notum est; nulla tamen, quod nonnulli crediderunt, typis expressa ejus, anno 1459, mortui, editio exstat. Editio igitur princeps est:

1474.

Bononiensis I. C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonautica. In fine: Bononiæ impressum per me Ugonem Rugerium et Doninum (sic rectius sine dubio Panzerus, quum alii habeant Dominum) Bertochum, Regienses. Anno Domini MCCCCLXXIV, die septimo Madii (ita enim Maii mensis nomen illa ætate quidam efferebant), Laus Deo. Amen. Fol. sine sign. cust. et paginarum numero lin. 35. V. Panzer. Annal. typogr. t. I, p. 206.

SINE ANNO.

Florentina I. Val. Fl. Argon. etc. Florentiæ apud Sanctum Jacobum de Ripoli, in-4, cum signat. non infra, sed ad exteriorem ultimæ lineæ marginem appositis; quæ prior, an posterior Bononiensi modo memorata sit, dijudicare non audent Burmannus et Panzerus. Ego vero Bononiensi principem locum tribuerim; nam ap. Panzerum, t. I, p. 404, sub anno 1476 occurrit Grammatica di Donato, Flor. ap. S. Jacobum de Ripoli, ubi adscripsit Panz. hæc: « *Primum* hunc « esse librum, in officina typographica impressum, quam « Florentiæ in monasterio S. Jacobi de Ripoli Dominicus de

m.

« Pistoia et Petrus de Pisa, ambo Ord. S. Dominici adscripti, « anno 1476, erexerunt, docet Vincent. Fineschi in Notizie « Storiche sopra la Stamperia de Ripoli in Firenze, 1781, in-8, « p. 16 et 19. »

(1494)

Hujus anni Bononiensem laudat Ernesti Bibl. Fabric. t. II, p. 252; alii omnes ignorant. Fortasse scribere voluit *Venetam* 1494, quæ tamen et ipsa dubia est, et Panz. t. III, p. 364, non nisi Maittarii auctoritatem ex sublestæ fidei Catalogo Jac. Krollii sumptam afferre potuit. « Alii, addit Panzerus, Bononiæ... male. »

1498.

Bononiensis II fuit olim in Bibl. J. A. Ernesti (vendita in-8. Impr. 12 gr.). Margini adscriptas huic exemplari varias lectiones, communicatas ab Ernestio, suæ editioni inseruit Harlesius. Index hic est: C. Valerii Flacci, poetæ elegantissimi, Argonautica, diligenter accurateque emendata et suo nitori reddita in hoc volumine continentur. In fine: Explicit hoc opus C. Valerii Setini Bononiæ impressum per Bened. Hectoreum bibliopolam sub anno Dei MCCCCXCVIII, die XII Aprilis, Jo. Bentivolo illustrante. Fol.

1500.

Paris. ex edit. Gervasii Amœni, in-4. Hanc in Adversariis meis olim enotaveram ex bibl. F. O. Menkenii, ex quo eodem fonte attulit Panzerus, t. II, p. 339.

1500.

Venetiis apud Christoph. de Pensis de Mandello, die X Junii, in-4. Panzer. ex Maittario et Ernesti Bibl. p. 185.

1501.

Ibid. apud eumdem, sed die IX Julii, in-4.

1501.

Romæ, in-4, cum titulo Gothicis literis exarato, visa

Vulpiis, teste eorum editione (vid. infra an. 1720), p. 40. Sic Bipontini. Panzerus ignorat.

1503.

Florentina II, apud Phil. Juntam, in-8, duodecimo Kal. Decembris.

1511.

Paris. ex officina Ascensiana, sequitur Bononiensem primam, Ernestio teste. Panzerus non habet textum Valerii hoc anno editum, sed Pii adnotatt. priores et posteriores, quibus Commentarius in Valerium inest. Aliam tamen

1512.

Ascensianam affert Panzerus, t. VII, p. 561, anno Domini MD, duodecimo Nonas Januarii, in-4.

(1512)

Florentina laudatur a Bipontinis ex bibl. selectiss. Engelii, sed errori operarum isthæc debetur editio (vide Emendanda Catal. Engeliani); debebat esse

1517.

Quo anno vere prodiit Florentina III, apud Phil. Juntam, cui editioni præfuit Barthol. Fontius.

1517.

Paris. Argonauticon libri VIII, ab Æg. Maserio recogniti et scholiis illustrati, typis Jod. Badii Ascensii, Nonis Augusti. Fol. Vid. *Catal. de la Bibliothèque du Roi, belles-lettres*, t. I, p. 317.

1519.

Paris. ejusdem Maserii, adjectis Sabellici notulis, ad decimum quartum Kalend. Febr. anni ad calculum Romanum MDXIX. Fol.

1519.

Bononiensis III. C. Valerii Flacci commentarii, Pio Bononiensi auctore, cum codicis poetæ emendatione, ex

antiquo exemplari Dacico, additis libris tribus, qui desiderabantur, et Orpheo Latino. — Excussore Hieronymo Platonico Bonon. Leone X sedente 1519, Kal. Maiis. Fol.

1523.

Aldina. Venet. in æd. Aldi et Andreæ Asulani, mense Maio, in-8.

1524.

Complutensis, C. Val. Flaccus per Laur. Balbum Liliensem cum animadverss. in margine et notis MSS docti Aispani. Sic habet Catal. bibl. Burmanni sec. Lugd. Bat. 1779 venditæ.

1525.

Argentorati, apud Phil. Engentinum, excudebat Jo. Knobloch. Pii textum fere repetit; in-8.

1532.

Paris. ap. Sim. Colinæum ad Engentinianam expressa, in-8.

1545.

Lugduni, ap. Seb. Gryphium, in-12, et

1548.

Ibidem, ap. eumdem, in-12. Engentini itidem filiæ.

1565.

Antuerpiæ, ap. Christoph. Plantinum ex emendat. Ludov. Carrionis, in-8.

1566.

Ibid. ap. eumdem a Carrione emendatius edita, in-12.

1604.

Lugduni, in-12.

1612.

Rothomagi; cum præfatione A. S. L. V. D. in-12 (Andreæ Schotti Juris utriusque Doctoris?), qui et in Observationibus humanis, Hanoviæ 1615, editis plura Valerii loca exposuit.

1617.

Coloniæ Allobrogum, cum notis Lud. Carrionis, Laur. Balbi et Andr. Schotti ap. Es. *Le Preux*, in-8. Novo hæc editio titulo, qui annum 1689, et Parisiensem typographum, Car. Osmontum, mentitur, emissa est.

1617.

Lugduni, cum Carrionis et Justi Zinzerlingi notis, in-12.

1630.

Lamp. Alardus perpetuo commentario illustravit, Carrionis errores detexit, etc. Continet hæc editio etiam Sabellici variantes lectiones, Carrionis castigationes, Ch. Bulæi schediasmata, et Jo. Weitzii Collectanea. Lips. sumptibus hæredum Henningi Grosii jun. in-8.

1680.

Amst. ex recensione Heinsii, sed sine notis, in-12.

1689.

Vide supra ad an. 1617.

1701.

Ex recens. Heinsii cum ejusdem notis, curante Pet. Burmanno. Trajecti ad Rhenum, in-8. *

1713.

A Maittario, Operibus et fragmentis vett. poetar. Latinorum Lond. h. a. editis, t. II, insertus Val. Flaccus. Fol.

1718.

Trajecti ad Rhenum. Heinsiana a Burmanno repetita, in-12.

1720.

Patavina, ex recens. Heinsii et Burmanni, exc. Jo. Cominus. Præfuit huic editioni Jo. Ant. Vulpius, qui et indicem singularum vocum et loquendi formularum adjecit. In-8.

* *Le Manuel du Libraire, par Brunet, porte:* Traj. Batav. 1702, in-12. Ed.

1724.

Trajectina Heinsio-Burmanniana, in-12.

1724.

Burmanniana. C. Valerii Flacci Argonauticorum libri octo, cum notis integris Lud. Carrionis, Laur. Balbi Liliensis, Justi Zinzerlingii, Christoph. Bulæi, Ger. Vossii et Nic. Heinsii, et selectis Æg. Maserii, Jo. Bapt. Pii, Jo. Weitzii et alior. curante Petro Burmanno, qui et suas adnotationes adjecit. Leidæ apud Sam. Luchtman, in-4.

1731.

In Corpore omnium veterum poetarum latinorum cum italica versione a Jos. Ricch. Malatesta, et Ph. Argelati, Mediolani 1731-1765, voluminibus 35, in-4, edito, Valerius tomos 14 et 15 explet.

1776.

Veronæ, Argonautica italice reddita cum textu a Marco Antonio Pindemonte, in-4. Ed.

1781.

Harlesiana, cum notis Petri Burmanni I integris, et selectis Ludov. Carrionis, etc. Recensuit suasque adnotationes adjecit Theoph. Christoph. Harlesius. Altenburgi ex off. Richteria, in-8.

1786.

Bipontina, quæ Harlesianam sequitur.

Versiones Valerii nullæ mihi innotuerunt præter italicam, in modo memorato Corpore poetar. Mediolanensi, cujus auctor fuit Maximilianus Buzius. Nec inter Germanos adhucdum inventus est, qui nondum satis expurgato poetæ manum vellet admovere; nil nisi particulas quasdam, quod me docuit clarus Degen. in Literatura interpretum, dedit C. H. Schmidius Giessensis, interpretationi Crusiani de latinis poetis libri adjectas.

Præter has integras Valerii editiones, delectas etiam habemus singulas particulas. Jam olim Nic. Reusnerus in Ho-

doeporicis. Basil. 1580 et 1592, in-8 (de quo libro vid. Freytag. Apparat. lit. t. III, p. 370 et 387), librum I, inde a v. 22, iter in Colchidem, et e libro VIII reditum in Thessaliam dedit. Nostra autem ætate Harlesius in Anthologia poet., Doeringius in Eclogis vett. poetar. lat. in juventutis usum, nonnulla decerpserunt; largiores vero dapes apposuit cl. Lenzius Gothanus in *erklärenden Anmerk. zu den Auszügen aus den episch erzählenden Dichtern der Römer.* Braunschweig, 1797: e quibus haud parum me profecisse lubens gratusque profiteor. — Utilem etiam operam præstitit Burmannus Catalogo Argonautarum editioni suæ præmisso, quem Harlesius et Bipontini repetiverunt (1). Nec spernendus est libellus Ern. Fr. Krausii: Apollonii Rhodii Catalogus Argonautarum. Halæ, 1798. — Denique ad illustrandum nonnulla contulerunt b. Schœnemannus in Geographia Argonautarum, Goett. 1788, in-4, et Luenemannus in descriptione Caucasi, Lips. 1803, in-4.

— Wagneri indici hæc adjiciemus:

1805.

Gottingæ, cum commentario perpetuo, a Joanne Augustino *Wagner* conscripto, sumptibus Henrici *Dieterich*; 2 vol. in-8.

1805.

Erfurt. Argonautica versibus germanicis reddita cum textu et notis edidit Wunderlich sumptibus Rudolphi, in-8.

1811.

Parisiis. Adolphus *Dureau De Lamalle* Argonautica versibus gallicis interpretatus, versionem cum textu edidit, apud fratres *Michaud*; 3 vol. in-8.

1817.

Misniæ. Argonauticon liber octavus, notis criticis, etc. instruxit et edidit A. Weichert. sumptibus *Gödsche*, in-8. Ed.

(1) Quem in hac nostra editione, t. II, reperies. Ed.

DE

VALERIO FLACCO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

FAB. QUINTIL. INSTIT. ORAT. LIB. X, CAP. I.

Multum in Valerio Flacco nuper amisimus.

DOMINICUS MARIUS NIGER IN COMMENT. AD OVID. AMOR. I, XV.

Valerius Flaccus Heroicorum post Virgilium eminentissimus, ut mea quidem fert opinio; cujus exstant pulcherrimi illi Argonauticon libri octo: in quibus quam magno spiritu insurgat, quantum ingenii felicitatem ostendat, facile studioso lectori patet. Ad perfectionem opus suum deducere, intempestivæ mortis interventu, non potuit. Sed de hoc et Argonautis plura in commentariis nostris in Valerium Flaccum dicemus.

ÆGID. MASERIUS IN COMMENT. AD LIB. I, V. 218.

Subita cur pulcher arundine crines Velat Hylas? Ex hoc Mopsi vaticinio facile cognoscimus, Poetam liquisse opus imperfectum. Ea namque vates depromit, quæ Valerius esset descripturus; sed nec Medeæ fugam, nec liberorum cædem, Creusæve exitium, fato interceptus, expressit.

BERNARDIN. SCARDEONIUS DE URBE PATAVII, LIB. I, CLASS. III, PAG. 55.

Qui Valerio Flacco nostro Setiam, oppidum Campaniæ, patriam fuisse credunt, sequuntur illi quidem conjecturam cognominis Setini; quasi id patriæ suæ nomen sit, non familiæ. Atqui sane falluntur maxime. Constat enim eum fuisse Patavinum, vel ex epigrammate Val. Martial. I, 79, ubi quum dolens conqueritur nullum, sua ætate, neque honorem, neque præmium Musis esse, sed pro tribunali in foro, et in judiciis tantummodo acquiri posse, dicens:

> O mihi curarum, etc.

Flaccus inter eos poetas, qui heroica decantaverunt, fuit judicio omnium admirandus, si spectes quanto is spiritu, et quanta felicitate in scribendo carmine cæteris præstet. Hic est Flaccus, cujus præmaturum obitum Quintil. lib. X, ubi claros oratores commemorat, dicens, *Multum nuper in Flacco amisimus.* Hunc ergo futurum magnum etiam oratorem, nedum poetam illustrem Quintilianus haud falso conjecerat. De hoc Valerio Flacco, Tortelius ingenii æstimator eximius, ubi de Argonauticis scribit, ita honorificentissime loquitur: Clarissimus ille poeta Valerius Flaccus divino carmine rem omnem Argonautarum explicuit. Exstant autem illius præclari operis libri octo ad reditum usque heroum; reliqui vero, vel amissi casu, ut multis accidit, vel poetæ morte intercepti sunt. Scripturus erat multo plures libros, et majora poemata, nisi mors intempestiva illum nobis eripuisset. Videtur autem in his, quæ scripsit, Apollonium Rhodium, non tantummodo argumento operis, verum ipsis etiam carminibus, expressisse. Opus suum alii conjiciunt dedicatum fuisse Domitiano Cæsari; alii vero Vespasiano patri, quum in præfatione ipsius operis dicat:

> Eripe me populis, et habenti nubila terræ,
> Sancte Pater.

Constat mediocri censu, ac tenui patrimonio fuisse, et Romæ prædiolum suburbanum exiguum possedisse, in quo Musarum curas deponere solitus fuerat. Huic puer maxime gratus fuit, qui Amazonius dicebatur: hujus formam et indolem atque venustatem laudat Martialis eleganti epigrammate. Amicos habuit multos, sed præcipuos Stellam conterraneum, et Julium Secundum, et Maternum, et Quintilianum, Martialem vero præ cæteris conjunctissimum, et intimum, ut ex plurimis ejus epigrammatibus plane constat.

LUDOVIC. CARRION.

Judicium de Valerio doctorum tam honorificum est, ut non defuerint acerrimo judicio homines, qui hunc etiam Græcis illis, Apollonio, Orpheo, ingenii felicitate longe putarint præponendum.

JUL. CÆSAR SCALIGER, LIB. V, CAP. 6, POET.

Orpheus aptius canit, apud Flaccum, Minyas et Phryxum, Athamantem, quam, apud Apollonium, terræ cælique creationem. Quid enim viris militaribus, cum philosophorum umbris? Initium quoque operis Flacco gravius atque numerosius, tametsi quantum probemus, in sequenti libro satis est declaratum. Toto etiam opere, quamquam est ille nostra inferior exspectatione, splendidior est Apollonio. Chironis autem et Pelei affectus, infantisque ingenium longe felicius describit:

Jamque aderat summo decurrens vertice Chiron.

Et porro. Flacci tempestatem mox cum Virgiliana et aliis comparabimus: ad cujus tamen vel nitorem, vel efficaciam minime adspirat illa Argo apud Apollonium. *Porro:* Jasonis oratio ad Æeten longe est luculentissima, atque artis plena.

JUL. CÆSAR SCALIGER IN HYPERCRITICO.

Valerius Flaccus excusatione dignus est. Cujus quum esset ingenium felix, judicium magnum, diligentia non vulgaris, immatura morte præventus acerbum item poema suum nobis reliquit. Est autem omnino duriusculus : penitus vero nudus Gratiarum comitate.

CASPAR. BARTHIUS, ADV. I, cap. 17.

Valerium Flaccum majoris pretii Poetam, quam quis præteriens censeat, esse, vel ignoratio ejus apud vulgum nobis persuadet : est enim omnium Veterum minime tritus manibus scholasticorum, quod genus velut ab eo abhorret, qui duriusculus censeatur, et minus gratiarum amans : sed nos quidvis potius, quam absurdum censemus.

IBID. LIB. XIV, cap. 6.

Ego sane Valerium legens, decorum acutumque Epos, nec affectatam grandiloquentiam, sed gravitatem animi agnosco.

LIB. XXVI, cap. 3.

Pluris omnino faciendum ego reor in numero Latinorum poetarum Valerium Flaccum, quam vulgo faciunt, immo non vulgo etiam eruditi. Sonus, spiritus, eruditio, gravitas, in eo sunt insignes.

LIB. XLVIII, cap. 16.

Valerium Flaccum nemo scriptor nominavit, tanto ingenio, tanta eloquentia poetam, præter Quintilianum.

IDEM. ADV. LVI, cap. 11.

Val. Flacco, spiritu, gravitate, numeris et orationis æqualitate nemo post Augusti principatum scriptor prior exstat :

medius enim inter illum tumorem et argutam jejunitatem, ingreditur nobili animo, nobili sermone; ut magnopere mirer posse esse, qui non summis auctoribus Latii eum adscribant, qui unam solummodo ejus paginam legerint. Quod si Lucano et Papinio componere tantum scriptorem volueris, facile videbis quid illis supersit, quid huic non desit, ut constituatur ex tribus illis princeps, post Maronem, heroici operis et carminis in poesi latina.

IDEM AD THEB. XI, 92.

Val. Flaccus scriptor mihi unice carus ob inaffectatam, genuinam, Romanam dictionis majestatem, a qua in translationes peregrinas singulis paginis aufertur Papinius. .... Sane ego eum auctorem Argonautica scribentem legere malo, quam vel Ovidium, vel Papinium: quorum ille tenuem materiem lascivia utique violasset aut depudicasset, hic magniloquentia contrivisset.

IDEM AD THEB. XI, 209.

Postquam Famæ descriptionem, a Valerio, lib. II, consignatam, retulisset, subdit. Quæ cum sequentibus si apud Maronem legerentur, sane per multa jam sæcula adorabilia fuissent, nunc inanibus pædagogis aliter visum diu fuit. Nostrum ævum incipit de tanto auctore paulo melius sentire. Sed succedent vere docti cordatique homines, qui absolutam auctoritatem ei dabunt: non enim *restituent* licet dicere, quum romano ævo omnino non interfuerit Valerius, nostri nimirum judicio reservatus. Primus Angelus Politianus, vir maximus, vexillum velut ad protrahendum erexit, licet ante eum non nemini innotuerit. Certe Pomponius Sabinus, Virgilii interpres, eum non semel citat in testimonium. Priores tres Argonauticon libros, cum dimidio quarto in Sangallensi cœnobio reperisse jam dum Poggium, constat ex codice egregii viri Laurentii Pignorii, cujus subscriptionem manu Poggii recenset vir summus Ger. Vossius.

IBIDEM, V. 485.

Quo loco (I, 775) quæ sequuntur diræ et imprecationes, eloquentiam illius egregii poetæ docent, nulli toto Latio secundam, nitidiorem longe Papiniana.

IDEM AD ACHILLEID. I, 191.

Libentissime hujus egregii poetæ testimoniis utor, ut quem neglectum, et insuper injuriis affectum ab aliis, a prima usque pueritia dilexerim. Cujus affectus memoria undique per libros nostros servata est hactenus, et nos ad ipsum totum demerendum alicujus (forte unius aut duorum) mensis opera deligabit.

VOSSIUS DE POETIS LATINIS, CAP. 3.

C. Valerius Flaccus e Setia fuit, Campaniæ urbe, sed in Veneta regione sedem habuit; unde *spem Antenorei laris* vocat Martialis, lib. I, epigr. 79: reliquit octo Argonauticorum libros; sed imperfectos, unde Quintilianus conqueritur in ejus obitu multum fuisse amissum. Quam Martiali fuerit carus, liquet ex eo, quod ibidem vocet, *curarum pretium non vile* suarum. Pauperem fuisse, ex eodem epigrammate cognoscitur.

PATAVII IN PRÆTORIO SUB IMAGINE C. VALERII FLACCI HÆC LEGI TESTATUR NATHAN. CHYTRÆUS, IN DELICIIS ITINERUM IN EUROPA, P. 146.

C. Valerius Flaccus Patavinus, carmine heroico, labores Argonautarum decantavit, quod opus fato præventus imperfectum inemendatumque reliquit, cum sui magno desiderio illorum temporum studiosis, immo vel testimonio Fabii Quintiliani conquerentis, *nuper in Valerio Flacco*

multum amissum esse. Nec tacuit M. Valerius Martialis, tellurem Aponam non minus gaudere Stella et Flacco, quam suo Livio. Ad quem etiam scribens, alumnum et spem Laris Antenorei eum appellat. Floruit sub Vespasiano et Tito, pervenit et ad imperium Domitiani, eo genere carminis, ætatis suæ nemini secundus.

N. B. Non hic retulimus alia Testimonia, in quibus nihil novi, aut singularis occurrere visum est, quod non jam in Burmanni aliorumque præfationibus aut testimoniis emissum et disputatum fuerit. Pariter Gallicorum auctorum judicia omisimus, quum unus et alter de Valerio nonnulla attigerit, cæteri vix ac ne vix quidem illius meminerint; neque quisquam aliquid antea indictum protulerit. Ed.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER PRIMUS

LIBRI PRIMI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Livor agit Pelian, Phryxeo vellere fortem
Qui replet Æsoniden. Argo natosque deorum,
Divarum auxilio longum in discrimen Iason
Apparat; augurioqoe insignem lætus agresti
Persuadere fugam haud frustra conatur Acasto.
Æquoreum oblato placat libamine patrem
Æsonides; Mopsusque canit quæ certa tulerunt
Fata deæ. Miranda refert Phœbeius Idmon.
Ingemit Alcimede. Grandævus lætior Æson
Fert animum. Transtris scribuntur nomina. Acastus
Tollitur. Unda fremit. Desævit in Æsona crudus
Innocuum Pelias, matremque et pignora truncat.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER PRIMUS.

ANALYSIS LIBRI PRIMI.

Summam totius carminis exponit poeta, 1-4. Phœbi auxilium implorat, 5-7. Dedicat opus Vespasiano Ita, ut non ipsi solum, sed filiis etiam, Tito et Domitiano, adduletur, 7-21. Pelian, Thessaliæ regem, oracula jusserant cavere ab fratris, Æsonis, filio Jasone, qui fortitudinis jamjam aliquam collegerat famam. Hujus igitur e medio tollendi captum jam diu consilium exsequi optime sibi visus est, si juveni gloriæ cupido expeditionem maritimam demandaret. Blanda itaque, sed dolosa oratione, ut, quod per Phryxum olim et Hellen ad Colchos pervenisset, aureum vellus patriæ restitueret, suadet, postulat, jubet, 22-63. Sentit dolum juvenis, videt opus alea plenum; vincit tamen gloriæ cupiditas, ad quam explendam deas, Junonem et Minervam, fautrices sese sperat habiturum: ad has igitur dirigit preces, 64-90. Exaudiunt deæ, et Minerva quidem ad Argum naupegum se confert, navim jubet fabricari; ipsa comitatur in silvam: Juno autem per circumjacentes regiones divulgat, Jasonem in eo esse, ut intentatum adhuc iter egregia nave per mare faciat, 91-99. His auditis fortes et viri et juvenes Jasoni avent se comites addere, quos ipsi dii deæque agrestes, silvestres, fluviatiles instimulant, 100-106. Primus omnium advolat, quanquam invita Junone, Hercules, comite adolescente, armigero, Hyla, 107-119. Interea fervet opus; in singulis navis partibus elaborant artifices; Pallas ipsa antennas quærit, et absolutam tandem navem exornat picturis: prima Thetidis ad nuptias cum Peleo celebrandas per mare properantis; secunda epularum nuptia-

lium; tertia pugnæ Centauros inter et Lapithas consertæ, 120-148. Jason de his omnibus gaudet quidem, ut tamen Peliæ ægre faciat, Acastum, ejus filium, ducere secum constituit, qui conditionem accipit lætus, 149-183. Argonautæ navem humeris impositam in mare demittunt, et sacra faciunt diis marinis; Jason vero Neptunum inprimis propitium habere, eique sese excusare cupit eo, quod non sponte, sed a Pelia coactus maris vias tentet illicitas, 184-204. Interea Mopsus augur magna cum vociferatione accurrit, narratque, vidisse se deos marinos omnes Neptunum hortantes, ut jura sua defenderet, et deprecante quidem Junone deos tandem concessisse; multa tamen et in itinere, et in ipsa Colchide pericula Jasonem manere prædicit, 205-226. Contra hunc insurgit alius augur, Idmon, longe illo placidior, qui et ipse dura multa imminere Argonautis non negat, eosdem tamen omnia superaturos lætosque patriam revisuros, sibi vero eamdem lætitiam denegatam esse lacrymans vaticinatur, 227-239. Ita ad novam spem excitatus Jason, socios bono animo esse, et, quod reliquum sit diei, epulando fallere jubet, 240-254. Epularum lætitias auget Chiron centaurus, cum disciplinæ suæ alumno, Achille puerulo, adveniens, ut patrem Pelea, Argonautam, ante abitum salutet filiolus, 255-270. Vespere procedente Orpheus ad lyram canit Phryxi et Helles casum, 271-293. Tandem somno sese dant omnes, Jason vero in urbem regressus parentes consolatur; quo facto et ipse cubitum it; per somnum autem tutelam navis audire sibi videtur animum addentem, jubentemque ut abitum acceleret, 294-310. Summo igitur mane prosilit e lecto, invenitque socios in paranda ad solvendum nave occupatos, 311-314. Jam vero ultimum vale dicendum est parentibus; muliebriter dolet Alcimede mater, viriliter Æson pater, 315-349. Argonautæ suo quisque loco duobus ad remos considunt ordinibus, quorum alterum Telamon, alterum Hercules ducit; nomina singulorum vide in Indice v. *Argonautæ*, 350-461. Nonnulli tamen a remigio immunes aliis muneribus funguntur: astra observant; vela antennasque curant; socios hortantur, etc. 462-483. Advolat tandem, inscio patre Pelia, Acastus; anchora solvitur; matres in litore stantes oculis prosequuntur abeuntes, donec navis evanescat, 484-497. Jupiter ipse lætatur diique omnes, exceptis tamen Sole et Marte, quorum ille filio Æetæ, Colchorum regi, hic aureo sibi dedicato velleri timet, 498-530.

Ad horum querelas ita respondet Jupiter, ut constitutum inde ab initio rerum a se tempus dicat adesse, quo interior hominum consociatio merciumque amplior commutatio locum debeat habere; omninoque prænuntiet, orbis terrarum imperium per varios populos migraturum, 531-574. Interea Boreas, ab Thracia rupe navi per altum incedente conspecta, furibundus avolat ad mare Tyrrhenum, ubi ventorum rex, Æolus, sedem habebat, a quo petit, ut sibi aliisque ventis tam temerariam Græcorum navim mergere concedat, 575-609. Annuit senex: sæva oritur tempestas et Argonautæ animum fere despondent, 610-640. Neptunus, datæ Junoni et Palladi fidei memor, placat mare et serenitas redit cælo, Jason vero ad gratias agendas libat vino, seque suosque deo commendat, 641-692. His periculis erepto Jasoni alius de relictis domi parentibus oboritur metus, nec inanis, 693-699. Desiderato enim filio Pelias furit, vindictamque, quam a Jasone ipso non posset, a parentibus sumere constituit, 700-729. Alcimede per id tempus et Æson sacra diis inferis fecerant, manesque evocaverant majorum, ut, quæ fata carissimum filium manerent, exquirerent, 730-737. Apparet ex inferis Cretheus, Æsonis pater, et læta quidem Jasoni omnia felicemque in patriam reditum, ipsis vero crudele Peliæ consilium prænuntiat, quod voluntaria suadet morte prævertere, 738-751. Audito fremebundæ urbis clamore Æson cœptum in luco sacrificium interrumpit, et dubium animi ipsa excitat conjux, comitemque sese morituro libentissime fore profitetur. Ad sacra igitur perficienda mactatur adstans adhuc taurus, cujus tactis cornibus Æson deos, ut placidam sibi apud inferos sedem concedere velint, precatur, Pelian contra devovet diris. Tum vero hausto tauri sanguine calido concidunt utrique; missique a Pelia percussores, quum moribundos offendunt parentes, filiolum (Promachum) trucidant, 752-826. Describitur ampla Plutonis regia; duæ ibi portæ, latior altera, altera angustior, ducens ad campos elysios, in quibus gaudia et magna et multa ubique dominantur. Hos in campos mirantes lætantesque Æsona filium nurumque Alcimeden inducit Cretheus, 827-851.

Prima deum magnis canimus freta pervia natis,
Fatidicamque ratem; scythici quæ Phasidis oras
Ausa sequi, mediosque inter juga concita cursus

1. *Natis*. Sic Ald. post Scopp. et Pium. *Nautis*. Vat. et Bon. codd. et vett. edd. Ed.

1. Quæ epicis scripta lex est poetis, ut summam totius carminis statim ab initio exponant, ei et paruit Flaccus. Nec leve aliquod, in quo elaboraret, sibi sumpsit argumentum, immo magna omnia promittit et mira et periculosa et gloriosa eventu. *Magni deorum nati*, iique *primi freta pervia* faciunt, idque *navi fatidica*, quæ auderet *ad Colchos usque* pertendere, et per *concita juga* viam *rumpere*, tandemque *in Olympo consideret*. Sed singula brevibus videamus. *Prima*, adverbii loco posita (vide VI, 686; Virg. Æn. IV, 166), jungas τῷ *pervia;* primum igitur (et laus augetur, si quis quid primus audeat) viam sibi fecerunt Argonautæ *per freta, quæ longis fuerant impervia sæclis* IV, 711; de quo gloriaus inducitur Jason I, 169, *pelagus quantos aperimus in usus?* vide inpr. Ov. Met. VI, 721:

Per mare non motum prima petiere carina.

Magni deorum nati, dis geniti III, 504; divum progenies III, 669; deum genus V, 505; heroes sunt, qui genus ad deos deasve referrent. Orpheus, Οἱ μὲν γὰρ μακάρων, οἱ δ' ἡρώων γένος ἐσμέν. Pind. Pyt. IV, 20, ἡμίθεοι ναύται. Apollonio III, 366, ἀθανάτων υἷες καὶ υἱωνοί.

2. *Fatidicamque ratem*. Orpheus, εὔλαλος Ἀργώ. 242; εὔλαλος τρόπις, 707; unde sumpsit Lucian. de Saltat. t. V, ed. Bip. p. 153 et 472; Apollon. I, 9, 16; φωνῆεν ξύλον· IV, 581, αὐδῆεν γλαφυρῆς νηὸς δόρυ. Hanc vaticinandi facultatem habuit, quod ex Dodonæo excisa erat luco, non tota tamen, sed vel carina, vel malum, vel sic dicta tutela. De tutela accipit Noster I, 301-304, quem locum, utpote apprime huc facientem, adscribere liceat:

Visa coronatæ fulgens *tutela* carinæ
Vocibus his instare duci: Dodonida quercum
Chaoniique vides famulam Jovis; æquora tecum
Ingredior, nec *fatidicas* avellere silvis
Me nisi *promisso* potuit Saturnia *cælo*.

V. et Claud. de Bell. Get. v. 19, et ibi Gesn. p. 404. — *Scythici quæ Phasidis oras ausa sequi*, ausa, quod nulla ante eam navis (prima enim fuit, quæ *inexpertos tentasse parentibus austros* dicitur I, 97), Phasin tam longe remotum *sequi* (vide V, 482) petere, eo dirigere cursum.

3. Ante vero, quam eo perveniret, *medii cursus* erant *rumpendi*, magna cum contentione virorum atque remorum viam sibi patefacere debuit; quo sensu *rumpere* est etiam III, 241; VI, 139. — Per *juga concita* (saxa concita IV, 672), quæ perpetuo eoque celerrimo motu mox colliderentur invicem (juga illisa VI, 658), mox discederent; insulas nempe, vel scopulos potius (cautes cyaneas I, 630; VII, 41), Symplegadas, Planctas græco nomine dictas, de quibus præter Nostrum VI, 637, 698; vide locum classicum Ammiani XXII, 8.

4. *Flammifero tandem consedit Olympo*, inter sidera recepta, cælo debita VI, 692; composita V, 296. Manil. I, 422; *Servando dea facta deos*. Et illud est poematis exor-

Rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.
  Phœbe, mone, si cymææ mihi conscia vatis
Stat casta cortina domo; si laurea digna
Fronte viret. Tuque o, pelagi cui major aperti
Fama, caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, phrygios prius indignatus Iulos,

5. *Concita.* Bonon. cod. Bonon. I. — 7. *Fronde.* Bonon. cod. Bon. I et II. Ed.

dium; quod, prava lectione sc. *nautis* offensus Scaliger, refingere tentavit.

5. Nec etiam poetarum, epicorum inprimis, numen aliquod implorandi consuetudinem Flaccus neglexit. Phœbumque sibi elegit; tamen, ubi gravius aliquid magisque arduum incidit, Musas etiam (III, 216) vel Musam (V, 218; VI, 33, 516) Clio (III, 15) in auxilium solet vocare. Deum vero facilem sibi propitiumque reddit duobus argumentis: primo, quod sibyllinorum librorum custos sit fidus, altero, quod aliquam poeticam sibi laudem conciliasse videatur. *Mone* (VI, 34), doce, rege, adjuva me, *si cortina vatis cymææ conscia domo mihi casta stat:* sic enim ordinanda verba.

6. Et cymææ quidem, Romæ præ aliis Sibyllis notæ, *cortina*, proprie operculum tripodis (vide Virg. Æn. III, 92; et ibi Heyn. Græcis ὅλμος. Pollux X, 81) delphici, deinde tripus ipse, hic vero involucrum librorum sibyllinorum, *conscia*, quæ continet, inclusos habet istos libros (v. Heyn. ad Tibull. I, 7, 48), *mihi domo*, domi meæ, *stat casta*, solenni rerum et locorum sacrorum epitheto. Ex his igitur omnibus, quæ tamen non nimis premenda sunt, quum *cortinam* servatosque *domi* libros sibyllinos ignoret romana antiquitas, immo eosdem primum in Capitolio, ab Augusto vero sub Apollinis Palatini basi doceat conditos, Valerium Flaccum in XV viris sacris faciendis fuisse, admodum probabiliter interpretes collegerunt.

7. Tandem sui seculi morem, quo principibus carmina dedicarent poetæ (de quo vid. inpr. Schrader ad Musæum, pag. 1, et Ruperti ad Sil. Ital. III, 594), sequitur Noster, et ita quidem, ut non Augustum tantum Vespasianum, sed Cæsares etiam, Titum et Domitianum, adületur. *Pelagi cui major aperti fama;* placet, quod Argonautarum laudes laudibus jungat Augusti: aperuerunt illi quidem mare, tu vero majus adeo patefecisti.

8. *Caledonius*, scoticus, britannicus omnino; nam singulos populos pro tota natione ponere solent poetæ, *Oceanus tua vexit carbasa*, tuas vidit naves; vide Suet. Vespas. 4; Dio Cassius LX, 20, 30; Sil. Ital. III, 598:

Inque caledonios primus trahet agmina lucos,

qui *phrygios Iulos*, ex Phrygia et a Trojanis oriundos, Julium Cæsarem inprimis, qui Britanniam primus Romanorum tentaverat, ita *indignatus* (per prosopopœiam, uti Virgil. Æneid. VIII, 728, *pontem indignatus Araxes*), ut magnum navium ejus numerum fluctibus mergeret. Dio Cass. XXXIX, 50, 53; XL, 41.

Eripe me populis, et habenti nubila terræ,
Sancte Pater! veterumque fave veneranda canenti
Facta virum : versam proles tua pandet Idumen,
Namque potest, solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, et in omni turre furentem.
Ille tibi cultusque deum delubraque genti
Instituet, quum jam genitor lucebis ab omni
Parte poli : neque enim in tyrias Cynosura carinas
Certior, aut graiis Helice servanda magistris,
Seu tu signa dabis; seu te duce Græcia mittet,

12. *Pandit.* Vatic. et Bon. codd. Bon. I et II. Junt. *Pandat.* Ald. — 13. *Namque potest.* Sic Ald. post Piom et Hermol. *Potes.* Vatic. et Bon. codd. Bonon. I. *Potens.* Bonon. II. Maser. *Potis.* Junt. — 15. *Illa.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Gentis.* Bon. cod. — 16. *Cum genitor.* Vatic. cod. *Cum jam tu genitor.* Bonon. cod. sed expuncto *tu.* — 17. *Neque in Tyrias.* Vat. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. — 19. *Seu tu signa dabis, seu.* Vulgo, nullo sensu. Vid. not. ad hunc versum. Ed.

10. *Eripe me populis, et habenti nubila terræ*, in quibus Horatii *secretum populo*, Od. I, 1, 32; *cœtus vulgares, udamque humum*, Od. III, 2, 23, ob oculos habuisse videtur.

11. *Sancte Pater*, reverentiæ nomen Imperatoribus datum. Vide Propert. IV, 9, 71; Ov. Fast. II, 127. — Quæ sequuntur, ita cohærent : Fave veterum heroum facta canenti, res enim a te ipso gestas nolim culpa ingenii deterere mei, immo filius tuus, Domitianus, *potest enim* (nam, quem simulasse tantum artem poeticam verius tradit Suetonius Dom. c. 2, eum adulatores, Plinius in Præfatione, Quintilianus Instit. Proœm. et X, 1, 91; Statius, Martialis, etc. eximium, sc. prædicant vatem), *pandat*, hoc enim, blandius quippe et Domitiano honorificentius, reposui (v. not. ad v. 12) pro *pandet*, per orbem terrarum divulget, celebret *Idumen versam*, profligatum a te bellum judaicum, in quo sub auspiciis tuis perficiendo quum maxime elaborat *frater*, Titus, *nigrans pulvere*, non indecoro pulvere sordidus (Horat. Od. II, 1, 22); tormentis bellicis urgens Hierosolymam, ejusque *per turres*, quibus pluribus munita est, *furens*.

15. *Ille tibi cultusque deum delubraque genti instituet.* In diversa hic abeunt interpretes, quorum alii τὸ *Ille* ad Titum, alii ad Domitianum referunt. Quam litem, si tanti esset, ita componere possimus, ut Titum dicamus patri divinos omnino honores (ἀποθέωσιν) decrevisse, teste Plinio Panegyr. 11; Domitianum vero templum ei erexisse, auctore Suetonio Domit. c. 1 et 5. Sed tota quæstio inutilis : quum enim Vespasiano adhuc vivo ad plures abierit Valerius, non historicum egit, sed vaticinantem, eumque adulantem poetam. Quum hic locus mire criticos exagitaverit, de variis interpretandi modis, plura invenies ad cal-

Et Sidon, Nilusque rates; nunc nostra serenus
Orsa juves, hæc ut latias vox impleat urbes.
Hæmoniam primis Pelias frenabat ab annis,
Jam gravis et longus populis metus: illius amnes,
Ionium quicumque petunt; ille Othryn et Hæmum
Atque imum felix versabat vomere Olympum.
Sed non ulla quies animo fratrisque paventi
Progeniem, divumque minas: hunc nam fore regi
Exitio, vatesque canunt, pecudumque per aras
Terrifici monitus iterant: super ipsius ingens
Instat fama viri, virtusque haud læta tyranno.
Ergo anteire metus, juvenemque exstinguere pergit

23. *Populos.* Bonon. cod. Bonon. II. Venet. antiq. *Metus.* Abest in Bonon. cod *Amnes.* Sic Ald. post Sabell. *Omnes.* Vat. et Bon. codd. Bon. I et II. Junt. Ed.

cem hujus libri, in not. ad vers. 15.

20. *Serenus*, serena fronte, non, ut argutatur Burmannus, cum respectu ad sidus: nam Vespasiano voluit vivo placere poeta, non in deos relato.

21. *Ut.... vox impleat urbes*, per omne Latium carmen legatur meum.

22. Jam Valerius opus ipsum aggreditur. *Pelias*, Neptuni ex Tyro, Salmonei nata, filius, fratre Æsone expulso, inde a juventute Thessaliam rexerat, *gravis et longus populis metus*, hoc est, valde multosque per annos civibus metuendus: sic Senec. in Hippolyto, 29, *aprum* vocat *metum agricolis;* Noster II, 16, *metus deum*, pro loco metuendo. Vid. et IV, 201, 320.

23. Tum fines imperii describuntur more poetis solito, ut flumina et montes et fertiles campi pro tota regione ponantur. *Versabat vomere*, quod et ipsum poeticum, i. e. imperio ejus subditi erant, qui ad Olympi montis radicem agros colebant.

26. *Fratris* uterini, Æsonis, quicum matrem, nec tamen patrem habuit communem. Mater fuit Tyro modo memorata, quæ Pelian ex Neptuno, Æsonem ex Cretheo conceperat. Vid. Tab. geneal. I, 27.

27. *Hunc:* non est, quod ob præcedentem *progeniem* mutes in *hanc*. Eadem est ratio, quæ paulo ante v. 15, coll. v. 12.

28-30. *Pecudum terrifici monitus iterant* (*fibræ minaces* Virg. Georg. I, 484); exta plus vice simplici inspecta mala omnia portendebant. — *Super*, insuper, præterea. Sic sæpe Noster. — *Instat fama viri*, urget, urit, molesta est. Vide vers. 249, *virtus haud læta tyranno*, quæ ipsi metuenda esset.

31. *Anteire*, prævenire, prævertere *Æsonium juvenem*, viginti nempe annos natum. Pind. Pyth. 182, *exstinguere pergit*, perstat infr. IV, 221; pergit de eo interficiendo cogitare. Haud raro ita verba usurpant scriptores, ut non tam ipsam actio-

Æsonium, lethique vias ac tempora versat.
Sed neque bella videt, graias neque monstra per urbes
Ulla: cleonæo jam tempora clusus hiatu
Alcides; olim Lernæ defensus ab angue
Arcas; et ambobus jam cornua fracta juvencis.
Ira maris vastique placent discrimina ponti:
Quum juvenem, tranquilla tuens nec fronte timendus,
Occupat, et fictis dat vultum et pondera verbis:
« Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis,
Annue, daque animum: nostri de sanguine Phryxus

38. *Tum*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. *Tuens*. Sic Ald. post Pium. *Timens*. Val. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Eugent. — 39. *Dictis*. Vatican. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Maser. Eugent. Carr. Heins. Ed.

nem, sed voluntatem tantum et conatum velint intelligi; brevius tamen justo mentem expressit Valerius.

32. *Lethique vias ac tempora versat*, dubius, quomodo et quando e medio tollat.

34. E monstris præcedenti versiculo memoratis nunc afferuntur singula aliquot, nemeæus leo, hydra lernæa, duo fractis cornibus juvenci, quorum omnium victor fuit Hercules. Hoc exornat poeta: *Cleonæo* (ab oppido argolico, Cleonis, vel Cleone, non longe ab silva *nemeæa* sito), *jam tempora clusus hiatu Alcides*, qui exuviis illius leonis ad corpus tegendum, rictu usus est pro galea, qua ita involuta fuit facies, ut oculi vix conspicerentur.

35. *Lernæ angue*, hydra, paludis ad Lernam incola, terras non tam arcadicas, uti Valerius vult, quam argolicas infestante.

36. *Ambobus jam cornua fracta juvencis*, quorum alteri, Acheloo, deo fluviatili, Hercules secum luctanti cornu defregit (Ovid. Met. IX, 85, 86), h. e. quum duobus antea alveis incessisset, uno deinde coegit defluere. Alter juvencus sine dubio is est, quicum Pasiphae, ut fabula fert, concubuit, quemque ex Creta insula Mycenas vivum abduxit Hercules. (Hygin. Fab. XXX, Diodor. Sic. IV, 13.)

37. *Ira maris*, iratum, impetuosum mare (immania freta infra vid. 65), *vasti driscrimina ponti*, qui, quo amplior, eo periculosior est.

38. *Tranquilla tuens, nec fronte timendus occupat*, placida serenaque fronte alloquitur prior, *et fictis dat vultum et pondera verbis*, gravi ponderosoque vultu, vel, ut cum Quintiliano loquar XI, 3, 183, vultuosa pronuntiatione, blandis ad speciem simulatisque verbis vim addere vult fidemque facere.

40. *Veterum pulchrior actis*, quæ prioris ætatis res præclare gestas longe superet gloria.

41. *Daque animum*. Hoc difficilius explicatu, nec satis placent interpretes *Heinsius* et *Burmannus*, quo-

Cretheos ut patrias audisti effugerit aras.
Hunc ferus Æetes, Scythiam Phasimque rigentem
Qui colit, (heu magni Solis pudor!) hospita vina
Inter et attonitæ mactat solennia mensæ,
Nil nostri divumque memor: non nuntia tantum
Fama refert; ipsum juvenem tam sæva gementem,

42. *Audis.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Maser. Eugent. —43. Desideratur hic versus in Vatic. cod. Ed.

rum ille, quam antea proposuerat explicationem: *junge manum, fœdere inito promitte*, postea deseruit; et in Adversariis, p. 227, *revoca ad curas tuas;* Burmannus autem, *ostende, te nihil timere*, exponunt. Quum non semper tautologias respuat Valerius, erat, ubi *animum* pro *voluntate* positum autumarem, ut fere idem esset, quod præcedens *annue*. Vide infr. vers. 183, et III, 615. Aliud tamen postea temporis in animum venit. Quid? si legas: *daque animo*, scil. tuo (Græci δοῦναι ψυχῇ. Theocrit. XVI, 24), hoc sensu: indulge laudabili tuæ rerum fortiter gerendarum cupidini? Vide Horat. Od. IV, 7, 19, *amico quæ dederis animo*, et ibi Janius olim meus.

42. *Cretheos*, forma genitivi græca; sic *Perseos* infra v. 68, et sæpe alibi; *nostri*, quia communem stirpem ex Æolo trahebant Pelias et Jason. Vide Tab. gen. I. — *Patrias effugerit aras.* Athamas, frater Crethei, Phryxum et Hellen susceperat ex Nephele, qua in nubem conversa, Ino Cadmi filiam in thalamum recepit. Ista, novercarum more, privignis infesta, caritatis annonæ, cujus tamen ipsa causa esset, culpam in eos conjecit, legatosque ea de re ad oraculum delphicum missos subornavit, ut Apollinem dicerent mactandos Phryxum et Hellen jussisse. Diu reluctatus Athamas tandem concessit, sed Nephele mater, nube sua delapsa, liberis præcepit, ut ab ipsa subministrato, lana aurea vestito, trans mare fugerent ariete: cui male inhærens Helle decidit, nomenque fecit Hellesponto; Phryxus autem, ad Colchos delatus, vellus arietis, sed moribundus demum (V, 226), Marti consecravit.

44. *Heu magni Solis pudor!* heu filium, qui patri tanto dedecori est. Æetes enim *hospita vina inter*, quod crimen auget (nam hospitalitatis magna erat religio), *mactat*, trucidat inter *solennia*, lætitiæ destinata, attonitæ *mensæ*, ita ut ipsi convivæ ad tam dirum facinus stuperent, *nil nostri divumque memor*, nulla pietatis in cognatum deosque habita ratione. Admodum invidiose loquentem omniaque in majus augentem Pelian inducit poeta, Pindarum sequutus Pyth. IV, 289, 290, in eo tamen aliis discrepantem, quod ab Æeta interfectum criminetur Phryxum, qui tamen, ab eodem gener assumptus, quatuor filios ex Chalciope conjuge suscepit. Vide omnino V, 226.

47. *Sæva gementem* v. 230; *ipsum, ipsum* per emphasin repetitum.

Ipsum ego, quum serus fessos sopor alligat artus,
Aspicio, meque assiduis lacera illius umbra
Questibus, et magni numen maris excitat Helle.
Si mihi, quæ quondam, vires; vel pendere pœnas
Colchida jam, et regis caput hic atque arma videres.
Olim annis ille ardor hebet, necdum mea proles
Imperio et belli rebus matura marique.
Tu, cui jam curæque vigent animique viriles,
I, decus! et pecoris nephelæi vellera graio
Redde tholo, ac tantis temet dignare periclis. »
Talibus hortatur juvenem, propiorque jubenti

48. *Fesso.* Bon. cod. — 49. *Aspicio; lacera assiduis namque illius umbra.* Vat. et Bon. codd. Bon. I et II. Junt. Ald. — 55. *Annique viriles.* Bonon. cod. — 56. Hic vers. reperitur post vers. 64 in Vat. cod. — 58. *Proprior.* Vat. cod. Vide I, 547. Ed.

49-50. *Lacera* ad miserationem commovendam. — *Magni* (ornat, nil amplius!) *numen maris Helle,* II, 589; V, 200.

52. *Vel* adeo *regis caput hic atque arma videres.* Confidenter et superbe dictum.

53. *Olim annis ille ardor hebet.* Tò *olim annis,* an *ardori* jungere malis, nil refert. Nec hic laudum suarum immemor Pelias : pristina mea virtus, quam noruut omnes, non exstincta, obtusa tantum est. *Proles,* filius Acastus, nondum maturus imperio capessendo, bellis terra gerendis, periculis mari tolerandis.

55. Quum igitur ego nimis senex, filius nimis juvenis sit, *tibi jam curæ vigeant animique viriles,* tu, quidquid virili animo concipis, juvenili ardore persequaris, age, *i decus.* (Virg. *i decus, i nostrum,* Æn. VI, 546.) Pindar. Pyth. IV, 279 : Ἀλλ' ἤδη με γηραιὸν μέρος ἁλικίας ἀμφιπολεῖ· σὸν δ' ἄνθος ἥβας ἄρτι κυμαίνει. Jasonem viginti tum annos natum fuisse, idem tradit Pindarus ibid. V, 184.

56. *Pecoris nephelæi vellera,* vide ad vers. 42 dicta. Aliis locis : *æoliæ pecudis aurum,* VII, 54; *auratæ pecudis exuviæ,* V, 492. *Graio tholo,* fornici, parti templorum concameratæ, e cujus parietibus dona et spolia suspendebant. Vide Heyn. ad Virg. Æneid. IX, 408. *Redde,* cui debentur, Græciæ.

57. *Tantis temet dignare periclis.* Injurius in te ipsum esses, si hanc talem summæ periculis redimendæ gloriæ occasionem dimitteres. Eamdem dolosam orationem vide apud Pind. Pyth. IV, 279, 298, quem et hic et alibi ob oculos habuisse Valerius videtur.

58. *Propior* similior *jubenti,* ut jubere magis, quam blandiri et hortari videretur (aliis verbis idem effert Ovid. Metam. II, 397, *precibus minas regaliter addit*), finem quidem facit loquendi, sed *certus,* probe gnarus, quanto Jasonem periculo

Conticuit; certus scythico concurrere ponto
Cyaneas; tantoque silet possessa dracone
Vellera, multifidas regis quem filia linguas
Vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat,
Et dabat hesterno liventia mella veneno.
  Mox taciti patuere doli; nec vellera curæ
Esse viro, sed sese odiis immania cogi
In freta: qua jussos sic tandem quærere Colchos
Arte queat? nunc aerii plantaria vellet
Perseos, aut currum, ut sævos frenasse dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, et flava quercum damnavit arista.

63. *Externo*. Vatic. cod. Bonon. I. Carrionis cod. — 66. *Sectantem*. Vatic. Bonon. et Carr. codd. Bonon. I. Junt. — 68. *Aut curru sævos*. Vatic. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. *Et curru sævos* Bonon. cod. *Aut curru ut sævus*. Carr. cod. — 69. *Quo vomere*. Vat. cod. Bonon. I. Junt. *Cui vomere*. Ald. Ed.

in cyaneis rupibus objiceret, *siletque*, reticet vastum illum, velleris custodem horrendumque sibilantem, draconem, quem Medea ex latebris cantu ciboque excitatum, *melle* (vid. VIII, 97) inprimis, *hesterno veneno* pascebat *livente*, quod, quum pridie paratum esset, ex intrito veneno livorem contraxerat, succosque pestiferos penitius imbiberat.

64. *Mox taciti patuere doli*, cui? Jasoni. Recte, sed mallem nominasset poeta; unde factum, ut pro *taciti* fortasse *juveni* dedisse Valerium conjicerem; sed codices non addicunt.

66. *Qua jussos sic tandem quærere Colchos arte queat*. Variant libri, et pro *sic tandem* nonnulli præferunt *sectantem*, quod tamen incommodum satis fundit sensum; nisi cum Burmanno pro *quærere* malis *perdere*. Ego vulgatam lectionem recte habere crediderim, si cum *Heinsio* et *nova Biblioth. philol.* 1782, vol. I, p. 258, post *queat* signum ponas interrogandi, et *sic* non voci *tandem*, sed *jussos* jungas, et ita interpreteris: qua tandem (demum) arte Colchos petere queat, tam dura lege atque conditione, tot periculis propositis adire jussos?

67. *Persei plantaria* (*Perseus pennipes*, Catul. Carm. LV, 25), soleas alatas, quibus aera, ad Medusæ caput amputandum Andromedamque ab monstro marino liberandam, pervolaret, quis ignorat? *Currus* vero Triptolemi est, quem per periphrasin elegantem poeta dicit *sævis draconibus*, serpentibus alatis, a Cerere acceptis, vectum, quippe terras frumenti nescias agriculturæ prima elementa docuit (*imbuit*), *et flava quercum damnavit arista*, quæ adumbrata ex Virgilii Georg. I, 8:

Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Heu quid agat? populumne levem veterique tyranno
Infensum, atque olim miserantes Æsona patres
Advocet? an socia Junone et Pallade fretus
Armisona superet magis, et freta jussa capessat?
Si qua operis tanti domito consurgere ponto
Fama queat, tu sola animos mentemque peruris,
Gloria! te viridem videt immunemque senectæ
Phasidis in ripa stantem, juvenesque vocantem.
Tandem animi incertum confusaque pectora firmat
Relligio, tendensque pias ad sidera palmas:

74. *Fera jussa.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Ed.

Valerius exquisitiori voce *damnavit* usus, nec infeliciter. Vide *damnata proles*, II, 153. Effecit igitur Triptolemus, ut homines, quibus antehac vesci soliti fuissent, glandes præ frumentis repudiarent.—Persea Triptolemo jungit etiam Ovid. Amor. III, 6, 12, quem vide.

71. Quum igitur Persei talaria currumque Triptolemi optare quidem, sperare tamen non posset Jason, dubius animi fuit, *populumne levem*, inconstantem, *Patresque*, senatum (vide omnino infra 761), jam diu *Æsonis* ab imperii consortio exclusi sortem miserantes, in partes traheret suas, ut tyrannum, nisi solio dejicerent, ab injusto tamen jussu absterrerent; an dearum ope *magis* (pro *potius* positum, uti I, 176; III, 270) eumdem superaret, et *fera* (sic malim pro *freta*, præeuntibus *Heinsio*, *Crusio* in Probabb. crit. pag. 98, et *Heynio* ad Tibull. p. 189) *jussa capesseret*, aggrederetur.

75. Fieri tamen potest, sic secum cogitat, ut *domiti ponti*, superatorum maris periculorum, laudem mihi parem. *Gloria* enim, quæ *sola* dominans esse in juvenibus solet, eorumque *animos mentemque* (Homericum φρένα καὶ θυμὸν) *perurit* (similis locus apud Sil. Italic. VI, 352, *fax* mentis honestæ arripuit. Vide et Nostrum, I, 476), non animo tantum ejus obversatur, sed eamdem adeo conspicere sibi videtur *viridem immunemque senectæ*, nunquam senescentem, perpetua florentem juventute, *stantem in Phasidis ripa*, juvenesque invitantem ad res præclare gerendas.

80. Tandem fluctuantem animum *firmat* vincitque *religio*; dearum nempe, Junonis et Minervæ, fidei se commissurus, *tendit ad sidera palmas*, et Junonem propitiam habiturum sperat confidentius, quam ex aquis olim liberasset. Meministine! inquit, quum conjurationis in Jovem socia Palladi et Neptuno facta fuisses, *turbidusque Jupiter*, magna tempestate *atro cæruleum quateret imbre*, memet ipsum per Enipea, præcipiti nimbo tumentem, humeris te sublatam in campos extulisse sospitem? (Alii, v. g. Apollon. I, 14;

« Omnipotens regina, inquit, quam, turbidus atro
Æthera cæruleum quateret quum Jupiter imbre,
Ipse ego præcipiti tumidum per Enipea nimbo
In campos et tuta tuli; nec credere quivi
Ante deam, quam te tonitru nutuque reposci
Conjugis, et subita raptam formidine vidi;
Da Scythiam Phasinque mihi; tuque, innuba Pallas,
Eripe me : vestris egomet tum vellera templis
Illa dabo; dabit auratis et cornibus igni
Colla pater, niveique greges altaria cingent. »
Accepere deæ, celerique per æthera lapsu

82. *Æthere...imbrem.* Vat. cod. Bon. I et II. Ald. *Aere...imbrem.* Bon. cod. Ed.

et Apollodor. I, 9, § 8, 16; Junonem Jasoni favisse memorant odio Peliæ, qui in sacris faciendis eam neglexisset.) Nec deam te esse, anili enim specie assumpta ad fluvium consederas, animadverti prius, quam *tonitru te nutuque potenti reposceret conjux*, *inque* tuam meamque *formidinem* raperet secum. Idem narrat Apollonius, sed loco *Enipei* habet *Anauron* (I, 9, 10, 70; fusius III, 66 sq.): conciliari tamen cum Valerio ita potest, ut non proprium, sed appellativum nomen Anauri Apollonio sit : est enim ἄναυρος, *torrens*, *tumidus turbo*, uti effert Noster. *Schneider über Anacreon* S. 289, qui tamen in lexico græco-latino h. v. mentem, sine causa, videtur mutasse.

87. In implorando Palladis auxilio brevior est Jason, solamque *innubæ* (vide IV, 605) laudem ei tribuit, quo fortasse non tam perpetuam virginem, quam *viraginem*, quæ, ne a rebus fortiter gerendis arceretur, amoris illecebras sperneret, in mente habuit.

88. Promittit et suo et patris nomine aureum vellus, *colla* boum mactandorum *deauratis cornibus*, magnamque ovium multitudinem (*cingent*) aras circumstantium.

91. *Accepere*, audivere ratasque habuere preces divæ, *celerique lapsu* (solenne de deorum ad terras descensu) diversas petiere vias : *Tritonia*, quod nomen unde Minerva traxerit, ipsi Veteres ignorarunt, ideoque a variis duxerunt causis; quarum probabilissima hæc est, ut a τριτὼ, quod Æolibus caput est, appellata sit Τριτογένεια, e capite Jovis nata. Sic Heyn. ad Virg. Æn. II, 171; Hom. Il. IV, 515. Alii aliter. (Vide Allg. Lit. Zeit. 1803. Scidula 130.) *Thespiam* vel *Thespias* (utraque enim forma apud Veteres legitur), Thessaliæ urbem, ibique habitantem *carum* (artificem, quales artifices omnes caros habuit) petit *Argum* naupegum, quem ad fabricandam majorem navem *arbores demittere*, cædere, montibus deferre jubet, ipsaque *in peliacas*, montis Pelii *umbras*, opacas silvas comitatur.

Diversas petiere vias: in mœnia pernix
Thespiaca ad carum Tritonia devolat Argum.
Moliri hunc puppim jubet et demittere ferro
Robora, peliacas et jam comes exit in umbras.
At Juno argolicas pariter Macetumque per urbes
Spargit, inexpertos tentare parentibus austros
Æsoniden; jam stare ratem, remisque superbam
Poscere quos revehat, rebusque in sæcula tollat.
  Omnis avet, quæ jam bellis spectataque fama
Turba ducum, primæ seu quos in flore juventæ
Tentamenta tenent, necdum data copia rerum.
At quibus arvorum studiumque insontis aratri,
Hos stimulant, magnaque ratem per lustra viasque
Visi laude canunt manifesto in lumine fauni,
Silvarumque deæ, atque elatis cornibus amnes.
  Protinus inachiis ultro Tirynthius Argis

93. *Et carum*. Vat. et Bon. codd. Bon. I et II. — 95. *Umbras*. Sic Maser. post Sabellicum. Ald. etc. *Undas*. Vat. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Car. — 100. *Avet*. Sic Bonon. post Sabellicum. Maser. *Habet*. Vatic. cod. Bonon. I. *Abit*. Bonon. cod. Junt. Ald. *Fama*. Sic Ald. Carr. cod. *Forma*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. — 105. *Jussi*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. *Limine*. Bonon. I. Junt. En.

96. Juno per argolicas *Macedumque* (rectius *Macetum*, partis Macedoniæ, Macetiæ incolarum Lucan. II, 647; V, 22; Sil. XIII, 878); *per urbes* divulgat famam susceptæ a Jasone navigationis per maria nondum tentata, *jam stare* perfectam *ratem*, poscere, *quos* vehat et *revehat rebusque in sæcula tollat*, ob res præclare gestas seræ posteritati commendet. De Junone heroas convocante vide Pindarum, Pyth. IV, 328.

100. *Avent*, ardent et *viri*, quorum spectata jam bellis virtus esset, et *juvenes*, qui nondum oblata rerum gerendarum occasione intra tentamina sese continuissent.

103. *At insontis* imbellis *aratri* studiosi hos instimulant, diique adeo deæque *per lustra*, dryades, etc. *viasque* fauni, etc. *manifesto in lumine* (adoptatum e Virgilio Æneid. III, 151) apparent, *atque elatis cornibus amnes*, dii fluviatiles ex aquis prominentes. Apollon. I, 547, deos deasque e cælo spectantes inducit, cui Noster, suum ingenium sequutus, nihil cedit.

107. Nec mora, *protinus ultro*, non advenit, sed *advolat* Hercules *Tirynthius*; vide Ind. *Argis inachiis*

Advolat, arcadio cujus flammata veneno
Tela puer, facilesque humeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas: velit ille quidem; sed dextera nondum
Par oneri, clavæque capax. Quos talibus amens
Insequitur, solitosque novat Saturnia questus:
« O utinam graiæ rueret non omne juventæ
In nova facta decus; nostrique Eurystheos hæc nunc
Jussa forent! imbrem, et tenebras, sævumque tridentem
Jamjam ego, et inviti torsissem conjugis ignem.
Nunc quoque nec socium nostræ columenve carinæ
Esse velim, herculeis nec me unquam fidere fas sit
Auxiliis, comiti et tantum debere superbo. »

108. *Flammata*. Sic Vatic. et Carr. eodd. *Armata*. Bonon. eod. Bonon. I et II. Junt. Ald. — 117. *Nunc quoque*. Vat. cod. Bonon. I et II. Junt. Maserii. I. Ald. *Columenque*. Bonon. cod. Ald. Ed.

ab Inacho conditis *cujus arcadio* (verius thessalico, sed Valerium supra vidimus v. 23, Hæmoniæ, sc. Peliæ regno, et v. 36, Arcadiæ latiorem ambitum dare) *veneno tela flammata*, imbuta, ut ardorem in venis excitarent, et vulnus quodque letale facerent, *arcusque faciles*, flexiles, sequaces, gestavit puer Hylas *humeris gaudentibus* (rebus enim inanimatis et motus animi et actiones tribuunt poetæ; sic paulo post: docta bipennis); nec his contentus (vide alacritatem juvenilem!) vellet ipsam clavam portare, nisi imbecilla adhuc manus recusaret.

111. Utrosque, Herculem inprimis, odio inveterato *amens* Juno persequitur: Utinam non omnis græcæ juventutis flos atque *decus in nova*, ad intentata adhuc, *rueret facta!* Sic enim reposui, non uno cod. adstipulante, pro *fata* (morte), quæ sensum turbant; nam reliquos Argonautas perdere noluit Juno. Vide supra vers. 12. Utinam cum solo Hercule res esset, *novumque laborem* ei imposuisset *Eurystheus noster* (vide Ind.); tum enim Æoli *imbres et tenebras*, Neptuni fratris *tridentem*, *conjugisque* Jovis vel *inviti ignem*, fulmen, *torsissem*. Exempla aliorum deorum, qui fulmine Jovis usi, vel abusi sunt, congessit *Burmannus* in Jove fulgur. cap. 15, pag. 330. Vide *Lessing* in Laocoonte, p. 97, et *Heyn*. ad Virg. Æneid. I, 42. Valerius ipse Minervam, hoc sibi sumentem, sistit, IV, 671, et infra hoc ipso libro vers. 372, ubi de eadem Pallade sermo est.

117. *Nunc* (non *hunc*) *quoque*, etiamsi Jasoni Argonautisque faveo, *non fas sit*, immo me indignum, et in hoc opere, et unquam posthac Herculem socium habere. Et fidem fecit verbis; Hyla enim, ea instigante, rapto, Hercules, nimis in eo investigando moratus, a sociis relictus est. Vide III, 450 sq.

Dixit, et hæmonias oculos detorquet ad undas.
Fervere cuncta virum cœtu, simul undique cernit
Delatum nemus, et docta resonare bipenni
Litora; jam pinus gracili dissolvere lamna
Thespiaden; jungique latus, lentoque sequaces
Molliri videt igne trabes, remisque paratis
Pallada velifero quærentem brachia malo.
Constitit ut, longo moles non pervia ponto,
Puppis, et ut tenues subiere latentia ceræ

120. *Oras.* Bonon. cod. Bon. I et II. — 124. *Jungitque.* Vatic. et Bonon. codd. Vossian. teste Burmanno. Ed.

120. His dictis ad litora Thessaliæ oculos convertens Juno omnia ibi fervere videt. Ipse poeta rem præclare agit suam; omnia enim ad sensus revocantur. Videmus hominum multitudinem, audimus dolabrarum atque securium sonitum, singuli in singulis navis partibus labores ob oculos pinguntur. *Fervere cuncta virorum* trepidantium *cœtu*, *delatæ* (sic *deferunt* imbres montem, II, 523) congestæ undique non arbores, sed arborum silvæ (*nemus*)...*docta*, perite ducta *bipenni*, ascia, *litora resonant*...*gracili lamna*, cuneis, *dissolvit pinus* Argus, *Thespiades*...*junguntur latera*, *trabes sequaces molliuntur lento igne* ...*sequaces* ab effectu, ut sequaces, lenti fierent, h. e. ut extracto per ignem nativo humore majorem levitatem acciperent, nec, quod in humidis solet, facile dehiscerent, vel ut longiores asseres igne, quod etiam nunc fit, curvarentur...*malus erectus*, cui Pallas *brachia*, antennas, cornua v. 312, ipsa quæsiverat. V. Claudian. de bello Get. 15.

127. *Constitit ut longo moles*, magna et spatiosa navis, *non pervia ponto*, ad longum iter durabilis, contra intrantes aquas munita, et si qua forte *latentia lumina*, occultæ et vix conspiciendæ rimæ deprehenderentur, *ea tenues ceræ subiissent*, affusis ceris et pice (vide infra 480) obturatæ essent (de interiori etiam nave ornanda cogitavit non Pallas, sed, de qua sermo est inde a v. 120, Juno), *picturæ varios superaddit honores*, ornantes picturas. Uti vero navim Juno, ita Valerius carmen suum picturis solius ornamenti causa condecorasse, adversus temporum tamen rationem hic, uti aliis locis, videri possit peccasse, qui pingendi artem memoraverit, Argonautarum ætate longe recentiorem, quamque Homerus adeo adhuc ignoraverit; nam νῆες μιλτοπάρῃοι Iliad. II, 637, sunt naves ab exteriori parte minio vel rubrica oblitæ: sed picturas non voluisse proprie sic dictas, immo vero aliorum poetarum morem sequutus de sculptorio (anaglypho) opere, quod pictura longe antiquius est, sumpsisse censendus est. Vide Heyn. Exc. XV ad Virg. Æn. I. Cum poeta vero ne severe nimis agamus; illæ propius inspectæ placebunt.

Lumina, picturæ varios superaddit honores.
Hic insperatos tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis; æquora delphin
Corripit; illa sedet dejecta in lumina palla,
Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem.
Hanc Panope, Dotoque soror, lætataque fluctu
Prosequitur nudis pariter Galatea lacertis,

— 130. *Hic spectes etenim*. Correctum in Vatic. cod. an a prima manu dubium. *Hic sperata sedens*. Bonon. cod. Bon. I et II. Junt. Ald. *Hic insperato*. Carr. cod. Vatic. 3, teste Heinsio. — 132. *Corripit sedet*. Vat. cod. supra correctum : *corripuit residet. Corripuit, silet hæc*. Bonon. cod. Bon. I et II. Junt. Ald. — 134. *Jactataque*. Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. Ed.

130. Tres propositæ picturæ : Thetidis ad nuptias cum Peleo celebrandas proficiscentis ; quas nuptias, ut Græcos taceam, e Latinis inprimis cecinerunt Catullus epithalamio Pel. et Thetid. et Ovid. Metam. XI, 221 sq. *Insperatos thalamos*, non omnino ad mentem suam, deaque, Nerei filia, non admodum dignos. Nam quum, qui eam ambiissent, Neptunum ipsumque Jovem Themis (Pind. Isthm. XX, 4) ab hoc consilio deterruisset eo, quod filius e Thetide nasciturus fato destinatus esset patre quocumque major suo, suadentibus hortantibusque pluribus diis, conjuge tandem contenta fuit Peleo Thetis. Vehitur *tyrrheno pisce*, delphine frenato (Ovid. Met. XI, 237), *corripiente æquora*, celerrime undas tranante. Vide II, 501. Illa sedet *dejecta* (uti Medea, VIII, 204) *in lumina palla*, demisso flammeo tegit vultum, modestiæ, vel verius mœstitiæ causa, quod suadent sequentia, ubi *suspirat Jove majorem non nasci Achillem*. Fateor, totum hunc versiculum non satis placere : poetæ enim magis est, quam pictoris, qui, si suspirium tristitiamque quadam oris conformatione aliquatenus, animi tamen sensa in tabula neutiquam potuit exprimere. — Comitantur eam sorores nereides *Panope* (conf. II, 590), *Doto* (Virg. Æn. IX, 103), *Galatea*, *lætata fluctu nudis lacertis antra petens*. *Hemsterhusius*, vir olim summus, ad Luciani Dial. marin. I, ed. Bipont. t. II, pag. 348, pro *nudis* mavult *niveis*, et verba *antra petens*, mutata interpunctione, ad Cyclopem refert. De *nudis*, otioso in nereide epitheto, facile consentio; interpunctionis movendæ necessitatem non persuasit; multo minus accesserim *Heinsio*, qui *antrum* istud nuptiale Thetidis esse vult, non Galateæ. Ego vero de Galatea intelligo, mentemque poetæ hanc fuisse existimo : Galatea non statim ab initio comes fuit Thetidis, sed forte accidit, ut per idem tempus in æquore, ad corpus movendum, apricaretur (hoc vult *fluctibus lætata*) jamque in eo esset, ut in antrum rediret *suum*, et conspecta Thetide cum sororibus, adjungere se iis gestiit ; a qua voluntate *cyclops*, qui eam deperibat, Polyphemus *a li-*

Antra petens; siculo revocat de litore Cyclops.
Contra ignis, viridique torus de fronde, dapesque,
Vinaque, et æquoreos inter cum conjuge divos
Æacides; pulsatque chelyn post pocula Chiron.
Parte alia Pholoe, multoque insanus Iaccho
Rhœtus, et atracia subitæ de virgine pugnæ:
Crateres, mensæque volant, aræque deorum,
Poculaque, insignis veterum labor: optimus hasta
Hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Æson.
Fert gravis invito victorem Nestora tergo

137. *Viridi totus*. Bonon. I et II. — 141. *Rhætus Etracia*. Vatic. cod. *Rhæteus et Tracia*. Bon. cod. *Rhætus et extracta*. Carr. cod. *Rhætus Atracia*. Bonon. I et II. *Rhæteus Athracia*. Junt. *Rhæteus et Athracia*. Ald. — 144. Hic versus desideratur in Bon. cod. Ed.

tore, in litore stans, *revocat*, ut ad se veniret, invitat.

137. Altera pictura sistit epulas ipsas nuptiales: *contra*, e regione, vel juxta priorem suspensa tabula exhibuerat artifex *ignes* cibis parandis, *viridi de fronde toros*, lectos, quibus convivæ accumbebant, *dapes* fercula, *vina* pocula, Peleaque sponsum cum sponsa inter *æquoreos divos* (alii tamen et alios deos affuisse narrant), *pulsatque chelyn*, lyram, *post pocula Chiron*, centaurus, uti plurium artium peritus, ita et commode ad lyram canens ἀοιδός. Erat, ubi poetam suspicarer scripsisse *per pocula;* sed nihil opus: *post pocula* est *ad abacum*.

140. Tertia tandem cælatura repræsentat *Pholoen*, Thessaliæ saltum, ad quem habitabant Centauri et Lapithæ. *Rhœtus* (non *Rhœcus*, quod alii volunt: Rhœcus enim non centaurus, sed gigas; vide Ovid, Met. XII, 271; et Heyn. ad Virg. Georg. II, 456), *multo insanus Iaccho*, ad amentiam usque inebriatus.

141. *Subitæ de virgine atracia*, thessalica (vide VI, 447) Hippodamia, Pirithoi sponsa, *pugnæ*.

142. *Volant mensæ, et crateres*, majora vasa, miscendo et aqua temperando vino... *aræ deorum* portatiles, epulis, nuptialibus inprimis, adhiberi solitæ.... *pocula, insignis veterum labor*, vasa minora, calices, et arte ei antiquitate æstimabiles. — Inter pugnantes eminent *Peleus hasta*, *Æson ense furens*. Laudandus vero poeta, quod picturæ episodieæ Æsonem, quem sic filius Jason quotidie virtutis exemplum ob oculos haberet, addere voluerit.

145. *Nestor* (et ipse argonauta, soli tamen Valerio nostro) vicit *Monychum*, centaurum. Vide Rup. ad Juvenal. I, 11, et ibi laudatos. Hoc ita effert poeta: *Fert gravis amplo corpore Nestora victorem invito tergo*. Adumbratum ex Ovid. Met. XII, 345, ubi tergo Bianoris centauri insilit Theseus.

Monychus; ardenti peragit Clanis Actora quercu;
Nigro Nessus equo fugit; acclinisque tapeti
In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.
  Hæc quanquam miranda viris stupet Æsone natus,
Et secum: « Heu miseros nostrum natosque patresque!
Haccine nos animæ faciles rate nubila contra
Mittimur? in solum nunc sæviet Æsona pontus?
Non juvenem in casus eademque pericula Acastum
Abripiam? invisæ Pelias freta tuta carinæ
Optet, et exoret nostris cum matribus undas? »
  Talia contanti lævum Jovis armiger æthra
Advenit, et validis fixam erigit unguibus agnam.

147. *Acclivis.* Junt. *Tapetis.* Codd. et vett. edd. — 150. *Hæc.* Vatic. cod. deleta veteri lectione. — 151. *Animæ tales.* Bonon. cod. sed correctum a prima manu: *faciles.* — 156. *Conanti.* Codd. Bonon. I. Junt. *Contanti.* Bonon. II. Ed.

146. *Clanis Actora ardenti quercu*, titione, torre ex ara rapto *peragit.* Clanis si centaurus est, est autem Ovid. ibid. 379. *Aetor* numero erit accensendus Lapitharum, quem, quum etiam apud Ovidium Lapithæ non omnino indemnes discedant, adversarius *peragit*, non conficit, sed præ se agit; nam non ense, sed titione persequitur.

147. *Nessus*, itidem centaurus, *nigro equo fugit. Hippasus* denique, *acclinis tapeti in mediis*, in turba decertantium *caput condit auro vacuo*, cratere evacuato.

140. Movetur his quidem Jason, pericula tamen sibi imminentia ponderans, Acastum, Peliæ filium, in partes suas trahere constituit. *Hæc*, et pictura et tota navis, *quanquam miranda*, admirabilia, pulcherrima videbantur *viris*, Argonautis, et quotquot alii adessent, *Jason* tamen *stupet* magis, turbidique est animi (κατηφιόωντι ἐοικώς, Apollon. Rhod. I, 461), itineris casus volvens animo.

150. *Heu miseros nostrum natosque* (rectius sine dubio *matresque* cum Burm. et cod. Harles.) *patresque*.

151. *Nos animæ faciles*, nimis obsequiosi (*gutwillige Seelen*).

152. Acasto filio in eadem pericula abrepto, faciam, ut Peliæ ipsius intersit, navi nostræ *invisæ*, cui mala omnia imprecatur, tutam navigationem optare, eademque, qua *matres nostræ*, anxietate *undas*, deos deasque marinas fatigare precibus.

156. *Talia contanti*, consilii de abducendo Acasto adhuc dubio, *Jovis armiger*, aquila, *lævum*, a sinistro, quod Græcis lætum augurium habebatur, *æthra* (poet. pro *æthere*) advenit, et *validis fixam*, apprehensam *erigit*, in altum tollit *unguibus agnam*, et quanquam e remotis stabulis et pastores, et *fremitus canum*, canes frementes, allatrantes sequuntur, assequi tamen non possunt raptorem, qui in Ægæum mare prædam

At procul e stabulis trepidi clamore sequuntur
Pastores, fremitusque canum; citus occupat auras
Raptor, et Ægæi super effugit alta profundi.
Accipit augurium Æsonides, lætusque superbi
Tecta petit Peliæ: prior huic tum regia proles
Advolat, amplexus fraternaque pectora jungens.
Ductor ait: «Non degeneres, ut reris, Acaste,
Venimus ad questus; socium te jungere cœptis
Est animus: neque enim Telamon, aut Canthus, et Idas,
Tyndariusque puer, mihi vellere dignior Helles.
O quantum terræ, quantum cognoscere cæli
Permissum est! pelagus quantos aperimus in usus!
Nunc forsan grave reris opus: sed læta recurret
Quum ratis, et caram quum jam mihi reddet Iolcon,

166. *Candidus Idas*. Vat. cod. — 169. *Pelagum*. Bonon. I et II. Junt. Ald. Ed.

asportat. Robur aquilæ et persecutores ad naturam pinxit poeta.

161. *Accipit augurium* Jason, in quo hoc sibi invenisse videtur, uti aquilæ in Ægæum mare avolanti frustra et pastores et canes ovem eripere conati fuerint, ita et Pelian ereptum sibi filium e mari Ægæo, quod Argonautis transeundum erat, frustra repetiturum. Lætus *superbi*, impotentis, injusti, *Peliæ tecta petit*, ubi ultro obviam ei venit Acastus, *amplexus fraternaque pectora jungens*, consanguineo amore deosculatur.

164. *Ductor* Jason (sic sæpe *ducis* nomine occurreus, v. c. infra 184, 241, 296, etc.) *ait:* non huc veni ad *degeneres*, me teque indignos *questus*, immo, sic sine ambagibus mediam in rem rapit, dicitque, quod res est: *socium te jungere cœptis est animus*. Jam vero argumenta addit, sed ad juvenis indolem accommodata, quibus eum permoveat. Et primo quidem, ait, nemo, ne amicissimi quidem, *Telamon*, *Canthus*, *Idas*, *Tyndariusque puer*, uterque et Castor et Pollux (omnes Argonautæ), mihi vellere aureo dignior te est, ad quem gentilitio pertinet jure. Porro consideres velim, quot terras populosque cognoscere, *quantum cæli*, quantum in astronomia proficere, quam late extendere commercia queamus, *pelagus quantos aperimus in usus*. Grave nunc quidem et periculi plenum, quod suscepimns, opus tibi esse videri possit: sed quum *Argo me* patriæ *caræ Iolco*, urbi Thessaliæ, pro tota Thessalia positæ, olim reddiderit, perpende, quæso, quanto tibi tum pudori esset, exantlatos a mé labores audire tantum; quam alte tum suspirares, si, *quas* (sic enim reposui, suadente Burmanno, pro *quam*) ego viderim gentes, tibi domi otio torpenti enarrarem.

Quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores!
Quas referam visas tua per suspiria gentes! »
  Nec passus rex plura virum: « sat multa parato,
In quæcumque voces; nec nos, ait, optime, segnes
Credideris, patriisque magis confidere regnis,
Quam tibi; si primos, duce te, virtutis honores
Carpere, fraternæ si des accrescere famæ.
Quin ego, ne qua metu nimio me cura parentis
Impediat, fallam ignarum, subitusque paratis
Tunc adero, primas linquet quum puppis arenas. »
Dixerat; ille animos promissaque talia lætus
Accipit; et gressus avidos ad litora vertit.
  At ducis imperiis Minyæ monituque frequentes
Puppim humeris subeunt; et tento poplite proni
Decurrunt, intrantque fretum; non clamor anhelis

173. *Quas referam.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. Ed.

174. Interpellat mediam orationem gloriæ cupidus *rex* (filius regis: sic Medea infra sæpius *regina*, et Ariadne, Minois filia, Æn. VI, 28), Acastus. *Sat multa*, plura, quam necesse est, attulisti vel sic *parato* sequi, quocumque voces, nec patrio magis confido regno, quam tibi; nolo domi desidere, patris mortem exspectans, immo peto abs te, ut *primos, duce te, virtutis honores carpere*, prima fortitudinis documenta dare, et in tuarum, cognati, laudum communionem venire, *fraternæ accrescere famæ* liceat. Et, *ne cura parentis* pater nimis sollicitus me impediat, *fallam ignarum*, clam memet subducam, aderoque, ut primum demissam in aquas navim audiero.

184. Lætus ad socios *Minyas*, sic hic primum sæpiusque posthac nominantur Argonautæ, a Mynia, thessalicæ urbis rege, a cujus filiabus plerique erant oriundi, ἐπεὶ Μινύαο θυγατρῶν Οἱ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι ἀφ' αἵματος εὐχετόωντο Ἔμμεναι, Apoll. I, 230, redit, navimque ut in mare demittant, jubet monetque. Faciunt imperata, sed magna cum contentione, quam poeta ob oculos pingit præclare. *Puppim humeris subeunt*, quum vero declivis via tardius incedere cogeret, *proni decurrunt*, *nervis poplitum intentis* nituntur contra, ne ponderosa navis humeris excideret, quem laborem *non sine anhelitu* continuatum et ipsi sibi levant *clamore*, mutua adhortatione, acclamatione, κελεύσματι, et *Orpheus blandus testudine*, ad lyram canens: fusius hunc laborem describunt Orpheus, 253 seq. et Apollon. Rhod. lib. I, 371-387.

Nauticus, aut blandus testudine defuit Orpheus.
Tum læti statuunt aras : tibi, rector aquarum,
Summus honor; tibi cæruleis in litore vittis,
Et Zephyris Glaucoque bovem, Thetidique juvencam
Dejicit Ancæus; non illo certior alter
Pinguia letifera perfringere colla bipenni.
Ipse ter æquoreo libans carchesia patri,
Sic ait Æsonides : « O qui spumantia nutu
Regna quatis, terrasque salo complecteris omnes,
Da veniam; scio me cunctis e gentibus unum
Illicitas tentare vias, hiememque mereri;
Sed non sponte feror, nec nunc mihi jungere montes
Mens tumet, aut summo deposcere fulmen Olympo.
Ne Peliæ te vota trahant : ille aspera jussa
Repperit, et Colchos in me, luctumque meorum.
Illum ego... Tu tantum non indignantibus undis

199. *Mens tamen.* Codd. et vett. edd. *Mens tumet* Pii correctio est, non Engentini, ut Carrioni videbatur. — 202. *Ille meum tantum.* Vat. cod. Ed.

188. Tum læti sacrificant diis marinis, præ aliis omnibus *Neptuno*, cui *cæruleis*, maris colorem imitantibus, *vittis* (vide *Winkelmann, Hist. des Arts, t. II, p. 187, Huber.*) redimitum *bovem*, *Thetidi juvencam*, ut sexus magis congruat, *dejicit*, ferit (vid. II, 329; VI, 194; *dejectus* juvencus Phædr. Fab. II, 1, 1), *Ancæus*, ipsius Neptuni filius, popa, *quo non alius certior pinguia* (macilentas enim hostias afferre nefas habitum), crassa et firma *colla boum frangere* callebat *letifera securi*; sic Apollonius, I, 429, Ἀγκαῖος κατὰ πλατὺν αὐχένα κόψας Χαλκείῳ πελέκει, κρατεροὺς διέκερσε τένοντας.

193. Ipse Jason, *ter carchesia*, pocula, *libans* Neptuno, preces fundit : vide Pindar. Pyth. IV, 343. *Spumantia regna quatis*, mare tuum tridente conentis, ut spumet, *ignosce;* scio me illicita tentantem diguum esse, cui *hiemem*, tempestates immittas; sed *non ita mens tumet*, non ita stolide audax sum, ut *montes* montibus *jungere*, uti olim gigantes, *aut summo deposcere fulmen Olympo*, Jovemve cogere velle sustineam, ut Olympo cedat, fulmenque mihi permittat.

200. *Ne Peliæ te vota trahant*, noli illi contra me favere. Non sponte veni; Pelias est, qui mihi meisque luctuosum Colchos petendi consilium *reperit*, excogitavit.

202. *Illum ego* ... ellipsis fere eadem, quæ apud Virgil. Æn. I, 139. *Quos ego.* — Me irritum ejus consilium facturum spero. *Tu tantum non*

Hoc caput accipias, et pressam regibus alnum. »
Sic fatus pingui cumulat libamine flammam.
  Protulit ut crinem densis luctatus in extis
Ignis, et ascendit salientia viscera tauri;
Ecce sacer, totusque dei, per litora, Mopsus
Immanis visu, vittamque comamque per auras
Surgentem, laurusque rotat: vox reddita tandem,
Vox horrenda viris; tum facta silentia vati:
« Heu, quænam aspicio! nostris modo conscius ausis
Æquoreos vocat ecce deos Neptunus, et ingens
Concilium; fremere, et legem defendere cuncti

206. *Et ascendit.* Vatic. cod. Vide Heinsii not. — 211. *Modo concitus.* Vatic. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. Eugent. Carr. *Quoque conciliis.* Bonon. cod. *Conscius.* Vitiose Maserii II. Ed.

indignantibus undis (vide supra indignantem Oceanum v. 10) *hoc caput*, me, *accipias*, *et pressam regibus alnum*, navem heroibus, deorum natis, pleoam, obsessam. Regum nomine socios compellat etiam Jason apud Orphea vers. 279, βασιλεῖς, alibi ἄνακτες.

204. *Pingui libamine* oleo *cumulat flammam.* — In medio autem sacrificandi actu accedit augur Mopsus, et non admodum læta vaticinatur. Dum ignis *in altaribus luctans* prorumpere cupiens *in extis densis*, expinguatis carnium solidarum humoribus, *crinem*, flammularum radios (v. II, 42) *protulit*, sparsit. Apollon. I, 438, λιγνὺν πορφυρέαις ἑλίκεσσιν ἐναίσιμον ἀΐσσουσαν.

206. *Et ascendit salientia viscera tauri*, jamque superpositas carnibus interiores partes ita attingit, ut vi ignis sursum moveantur, leniterque exsiliant.

207. *Ecce* (exspectatio per totum locum apte intenditur), *ecce sacer totusque dei*, augur deo plenus, ὅλος τοῦ θεοῦ, vide Bergler. ad Alciphr. I, 13, *per litora*, e longinquo, *Mopsus* (jam videmus hominem), *immanis visu*, *vittam laureatam*, erat enim Phœbi ipsius filius, Phœbeus, III, 372; delius sacerdos, III, 432; *comamque per auras surgentem* non movet, sed *rotat*... Quid igitur monstri affers? eloquere.

209. *Tandem vox reddita* edita, sed *vox horrenda viris*, vociferatur in horrorem procul stantium; *tum facta silentia vati*, silentio imperato hæc tandem profatur.

211. *Heu, quænam aspicio! Neptunus nostris conscius ausis* (secundum casum frequentius adsciscit *conscius*, nec tamen dativum ipse Cicero respuit) *modo divum æquoreorum convocavit concilium; fremere omnes* indignabundi, *hortantur legem defendere* (sic *lex poli*, II, 357) jura sua tueri, institutumque primitus a natura ordinem, ut Oceano dissociabiles essent terræ.

Hortantur. Sic amplexu, sic pectora fratris,
Juno, tene: tuque o puppim ne desere, Pallas:
Nunc, patrui nunc flecte minas: cessere, ratemque
Accepere mari: per quot discrimina rerum
Expedior! subita cur pulcher arundine crines
Velat Hylas? unde urna humeris niveosque per artus
Cæruleæ vestes? unde hæc tibi vulnera, Pollux?
Quantus io! tumidis taurorum e naribus ignis!
Tollunt se galeæ, sulcisque ex omnibus hastæ,
Et jamjamque humeri: quem circum vellera martem
Aspicio? quænam aligeris secat anguibus auras
Cæde madens? quos ense ferit? miser, eripe parvos,
Æsonide; cerno en thalamos ardere jugales.»
  Jam dudum vates Minyas ambage ducemque

226. *Cerno et t.* Codd. Bonon. I *et* II. Junt. *En.* Ald. — 227. *Vates* abest in Vat. cod. Ed.

214. Jam vero mente commoti vatis ad Junonem et Palladem convertitur oratio, ut et ipsæ Neptunum movere velint: *Tu, Juno, sic, sic fratrem amplectere, tuque Pallas* ei palperis, *nunc, nunc patrui flecte minas*, iras.

216. Et, me felicem! pergit, *cessere* dii marini, *ratemque accepere mari*, transitum per æquora permisere. Nihilo minus tamen (ita nunc futura prædicere incipit, simul vero poeta, quæ deinceps in carmine persequi velit, indicat) quam multa *discrimina* video, quibus *vix me expediam: Hylam* video in deum marinum mutatum... Video *coronam arundineam ... urnam ... cæruleas vestes*. Video *Pollucem vulneratum... tauros ignivomos*, segetem e draconis dentibus surgentem pedetentim ita, ut primum *galeæ*, mox *hastæ* ex omnibus sulcis, *humeri* denique virorum emineant. *Pugnam* cum dracone ineundam video circa vellera. Et, en novum visum! *femina, nescio quæ, alatis anguibus auras secat cæde madens, et ferit ense parvulos: eripe, Jason, miser* (obscurius hæc effert consulto, nec aperte dicit: tuos ipsius, mi Jason, filios), *cerno en thalamos ardere jugales* Creusæ. Sic igitur, more epicorum inprimis poetarum, Valerius totius poematis œconomiam vaticinio exposuit.

227. His igitur *ambagibus* obscuris vaticiniis et Argonautas et Jasonem *terrificaverat* Mopsus. *Sed enim* (at vero; vide Ovid. Metam. I, 530; XI, 13), nunc alius *contra insurgit* augur *Idmon, Phœbi* et ipse filius, non tamen *pallore*, quem hominibus a numine afflatis tribuunt poetæ, et *horrore comarum*, ut Mopsus, terribilis, eo tamen non minus *plenus fatis*, augur futuri certus, *plenusque*

Terrificat; sed enim contra Phœbeius Idmon,
Non pallore viris, non ullo horrore comarum
Terribilis, plenus fatis, Phœboque quieto,
(Cui genitor tribuit monitu prænoscere divum
Omina, seu flammas, seu lubrica comminus exta,
Seu plenum certis interroget aera pennis)
Sic sociis Mopsoque canit: «Quantum augur Apollo
Flammaque prima docet, præduri plena laboris
Cerno equidem, patiens sed quæ ratis omnia vincat.
Ingentes durate animæ, dulcesque parentum
Tendite ad amplexus.» Lacrimæ cecidere canenti,
Quod sibi jam clusos invenit in ignibus Argos.
Vix ea fatus erat, jungit quum talia ductor
Æsonius: «superum quando consulta videtis,
O socii, quandoque datur spes maxima cœptis,
Vos quoque nunc vires animosque afferte paternos.

229. *Oris*. Engentin. post Pium. Vide Heinsii not. — 236. *Omina*. Vat. cod. *Vincet*. Codd. et vett. edd. — 242. *Quantisque*. Codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Ed.

Phœbi, sed *quieti*, placidioris, vaticinandi peritissimus, *seu flammas interroget* altarium (ignispicio, πυρομαντεία... ἐμπύροις σήμασι Apoll. I, 144. Vide inf. VIII, 247), *seu lubrica* tactu *exta* (extispicio), *seu plenum certis pennis*, avibus, *aera* (auspicio). Quam placide vero, quamque breviter hic loquitur! *Augur*, augurii omnis præses, *Apollo*, *flammaque prima*, extremitates flammularum dura quidem prænuntiant quædam, quæ patientia tamen omnia vincentur. *Durate* igitur (καρτερεῖτε), animum firmate, viri! spondeo vobis redeuntibus blandos parentum amplexus, quod mihi, proh dolor! non continget, qui, morte præripiendus, dulces Argos mihi fatis denegatos esse prævideo.

240. His deorum monitis utitur Jason ad sociorum animos confirmandos. Vos quoque vires *animosque afferte paternos*, avitos, majoribus vestris dignos. Nec adeo *Peliæ pietas* in Phryxum *culpanda*, incusanda mihi videtur, *nec suspecti* in memet ipsum structi *doli; deus ipse* Jupiter hanc a nobis suscipi jubet expeditionem, *ipse* in *suo voluit commercia mundo, et tantos hominum miscere labores*. Pulchre vero verbo *miscere* mutuæ mercium, proventuum, laborum permutationes efferuntur. *Ite mecum, viri*, et in ipsis periculis ea *evincite*, præstate, quæ et nos ipsos meminisse juvet, *nostrisque nepotibus instent*, quæ urant, urgeant eos, et ad æmulationem excitent. Vide supra 30.

Non mihi thessalici pietas culpanda tyranni,
Suspectique doli : deus hæc, deus omine dextro
Imperat; ipse suo voluit commercia mundo
Juppiter, et tantos hominum miscere labores.
Ite, viri, mecum, dubiisque evincite rebus,
Quæ meminisse juvet, nostrisque nepotibus instent.
Hanc vero, o socii, venientem in litore læti
Dulcibus alloquiis ludoque educite noctem. »
Paretur : molli juvenes funduntur in alga,
Conspicuusque toris Tirynthius; exta ministri
Rapta simul verubus, Cereremque dedere canistris.
 Jamque aderat summo decurrens vertice Chiron,
Clamantemque patri procul ostendebat Achillem.

244. *Impietas*. Bonon. II. Ald. Vide Heinsii not. — 250. *O* abest in Vat. et Bonon. codd. et vett. edd. *In* abest in omnibus codd. et edd. — 252. *Funguntur*. Vatic. cod. Vide Heinsii not. — 254. *Veribus*. Vat. et Burm. codd. — 256. *Ostenderet*. Vatic. cod. *Ostendebat*. Bonon. cod. *Ostentarat*. Bonon. I et II. Junt. Ald. Ed.

250. Age vero, noctem instantem transigamus hilariter. Paretur : inter juvenes *molli in alga*, ad littus algosum, *fusos*, *conspicuus toris*, amplo pectore latisque humeris, *Tirynthius* Hercules. Toros uti aliis, quorum musculosæ partes eminent, v. c. Amyco apud Nostrum, IV, 245; ita inprimis Herculi adscribunt poetæ; vide II, 510, et quæ congessit Heinsius ad Ovidii Metam. XV, 230. — *Exta ministri*, nam hos non defuisse Argonautis docet Pindarus Pyth. IV, 72; Apollonius δμῶας nominat, I, 234, 305, etc. Quanquam h. l. non expeditionis maritimæ comites intelligere malim, sed qui præsto essent ex urbe famuli, Jasoni dum adhuc in portu esset, ministraturi. *Exta* igitur, carnes, *rapiunt verubus*, *Cerereque* poet. ut sæpius, panibus implevere *canistra*.

255. Has inter epulas advenit *Chiron*, centaurus, celeberrimus antiquitatis pædagogus, aliquando tamen severior nostris, Achillem jam grandiorem verberibus probe coercens. Vide mihi Ovidium de Arte amandi, I, 11 seq. et Juvenalem, VII, 210. Præter Achillem disciplinæ alumnos habuit Patroclum et ipsum Jasonem. Vide infra 407, et Pind. Pyth. IV, 180, 205. — *Summo decurrens*, citato cursu, *vertice* Pelii montis *aderat*. Episodion profecto pulcherrimum, adumbratum illud quidem ad Homeri Astyanactem, Il. VI, 465; ita tamen, ut, quod imitandum sibi Valerius proposuisset, exemplari non inveniatur inferior. Eamdem scenam inducunt *Apollonius*, I, 553, sed brevius, latius *Orpheus*, 375 sq. quem, quanquam aliter rem narrat, comparasse

Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, et ingenti tendentem brachia passu,
Adsiluit, caraque diu cervice pependit.
Illum nec valido spumantia pocula Baccho
Sollicitant, veteri nec conspicienda metallo
Signa tenent; stupet in ducibus, magnumque sonantes
Haurit, et herculeo fert comminus ora leoni.
Lætus at impliciti Peleus rapit oscula nati,
Suspiciensque polum : « Placido si currere fluctu
Pelea vultis, ait, ventosque optare ferentes;
Hoc, superi, servate caput. Tu cætera, Chiron,
Da mihi : te parvus lituos et bella loquentem
Miretur : sub te puerilia tela magistro
Venator ferat, et nostram festinet ad hastam. »

operæ pretium erit. *Chiron* igitur, *Peleo* patri abitum paranti inopinatam lætitiam allaturus, filium *Achillem* advehit, *procul ostentat* (Virgil. Æneid. II, 674, « parvumqoe patri tendebat Iulum ») *clamantem*, quod puerorum est gaudentiom. Pater ad notam vocem *erectus*, excitatus, obviam procedit, sed *ingenti passu*, *tendensque brachia*. Puer *adsilit*, caraque *diu* pendet cervice. Pnerile ejusmodi osculum venuste pingit Tibull. II, 5, 91, *natusque parenti Oscula comprensis auribus eripuit.*

260. Propius accedont epulantibus, ubi nil curat puerulus *pocula valido spumantia Baccho*, nec tenetur, quibus teoera ætas magnopere alias delectatur, imagunculis, *signis*, quæ poculis inseri solebant, ἐμβλήματα, immo *stupet in ducibus* (omen futuri!) *magnumque sonantes haurit*, totus peodet ex ore eorum, cupide audit res a se gestas non tam narrantes, quam jactaotes, nec cohorret terribili leonis rictu, quo galeæ loco Hercules utebatur, immo propios accedit, *fert comminus ora leoni*.

264. Quibus visis pater, gaodio exsultans (Orpheus 445, lætitiæ addit lacrymas, δακρυόειν γελόων, quod tamen ab Homero sumptum, Il. VI, 484), brachiis collo filioli injectis, *rapit* oscula, oculis ad cælom conversis : dii, inquit, si mihi licet ventos optare *ferentes*, secundos, felicemque in patriam reditum, *hoc mihi caput*, tam præclara minantem filium, *servate*.

267. Cætera tibi, amicissime Chiron, commendo, qui filio tam egregius ductor contigisti : ita institoas, ut *parvulus* adhuc *lituos et bella* loquentem te *audiat* mirabundus, ut *puer tela*, sed *venatoria* tantum, te magistro, discat tractare, donec *adolescens ad nostram hastam*, ad arma bellica, *festinet*. Haud pœnitebit huc conferre Evaodrum, filiom Pallantem Æneæ fidei commendantem apud Virgil. Æn. VIII, 515 sq.

Omnibus inde magis calor additus: ire per altum
Magna mente volunt. Phryxi promittitur absens
Vellus, et auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit, et totum Minyis lætantibus undæ
Deduxere diem; sparguntur litore curvo
Lumina, nondum ullis terras monstrantia nautis.
Thracius hic noctem dulci testudine vates
Extrahit; ut steterit redimitus tempora vittis
Phryxus, et injustas contectus nubibus aras
Fugerit, inoo linquens Athamanta Learcho;
Aureus ut juvenem miserantibus intulit undis
Vector, et astrictis ut sedit cornibus Helle.
Septem Aurora vias, totidemque peregerat umbras

271. *Inde viæ.* Vatic. et Bonon. codd. et vett. edd. Scribendi modo *vie* pro *viæ* deceptus Heinsius *me* legit in primo Vatic. Ed.

quem ob oculos sine dubio hic, ut alibi, poeta noster habuisse videtur.

271. Argonautis *omnibus inde calor additus*, magno animo mare ingredi cupiunt, præmia laborum videntes *vellus absens* tanquam præsens *Phryxi*, *auratosque* in modum triumphi *navis corymbos*, ornamenta navium h. l. in prora et puppi (infra arctiori sensu de sola puppis extremitate, IV, 692; VIII, 194).

274. *Sol ruit*, vergit ad occasum, mox *undæ totum deduxere diem*, oceano conditur sol; *sparguntur litore curvo Lumina, nondum ullis terras monstrantia nautis*, accensa in domibus casisque ad litus habitantium, quæ oculis jam quidem jucundum præberent conspectum, nondum tamen navigantibus, qui tum nondum essent, lucem e longinquo præberent, cursumque eorum dirigerent. Possis etiam de ignibus accipere in montibus ad signa danda accensis, quales barbaris etiam nunc gentibus in usu sunt. Utramque interpretationem debeo Burman. prior tamen magis placet.

277. Ad tempus fallendum *Orpheus* promit lyram, carmenque canit, a consilio poetæ non alienum, de Phryxi Hellesque fatis, *ut steterit* ille *redimitus tempora vittis*, hostia destinata (vide omnino, quæ supra diximus ad vers. 42), *ut contectus* involutus *nubibus* Nepheles matris *aras injustas effugerit*.

280. *Inoo linquens Athamanta Learcho*, patris dilecti Athamantis usum atque consuetudinem concedere coactus fratri, ex noverca Ino nato, Learcho, *ut ab aureo vectore*, ariete, *miserantibus undis*, quibus affectus poetica ratione tribuitur, *illatus* sit; tum ut Helle timidiuscula, *adstrictis cornibus* firmiter ea tenens, *consederit*.

283. Septem jam dies totidemque

Luna polo; dirimique procul non æquore visa
Cœperat a gemina discedere Sestos Abydo.
Hic soror Æoliden, ævum mansura per omne,
Deserit, heu sævæ nequidquam erepta novercæ!
Illa quidem fessis longe petit humida palmis
Vellera, sed bibulas urgenti pondere vestes
Unda trahit, levique manus labuntur ab auro.
Quis tibi, Phryxe, dolor, rapido quum concitus æstu
Respiceres miseræ clamantia virginis ora,
Extremasque manus, sparsosque per æquora crines!
  Jamque mero ludoque modus; positique quietis
Conticuere toris; solus quibus ordine fusis
Impatiens somni ductor manet. Hunc gravis Æson,

284. *Jussa.* Vatic. cod. Bonon. I. Vide I, 105. — 285. *Discendere.* Vatic. cod. *Descendere.* Bonon. cod. Junt. Engent. Carr. Bonon. I. *Discedere.* Bonon. II post Sabellicum. Ald. — 289. *Bibula surgenti.* Vatican. cod. *Bibulæ surgenti pondera vsstis.* Ald. En.

noctes præterierant, quod poetice effertur ita : *Septem Aurora vias* (nam non prænuntia tantum erat solis, sed et per totum diem ad occidentem usque comitari jubent poetæ plures, de quo vide inprimis *Voss mythol. Briefe*, pl. 2, p. 66), *totidemque peregerat umbras Luna polo.*

284. Sensus est : urbes *Sestos* et *Abydos*, hæc Asiæ, illa Europæ, ex alto mari prospicientibus unam eamdemque civitatem conficere visæ, jam *geminæ*, duæ ab se distantes apparere cœperunt, brevi : ad fretum accesserunt, Hellespontum postea dictum. Hic enim *Helle fratrem Æoliden*, ab avo Æolo Phryxum, *deserit*, *ævum mansura per omne*, huic quippe ponto nomen in perpetuum datura, magnumque numen maris exstitura. Vide supra 50.

188. Vivis nunc coloribus ob oculos pingit poeta lapsum virginis ex ariete. Tendit quidem, quantum potest, longissime jam defatigatas manus ad *repetendum*, unde deciderat, arietem, sed undas trahunt *bibulæ vestes*, *manusque levi*, lubrico, *labuntur auro*, pelle arietis aurea. Vide V, 188. Felicior Phryxus, qui, quanquam et ipse *rapido concitus æstu* fluctibus, natando tamen vitam servat, sed respiciens *miseræ sororis ora clamantia*, tum *extremas manus*, tandem nil nisi fluitantes *crines* videt. Elegans gradatio !

294. Bibendi tandem, confabulandi, jocandi (vide Apollon. I, 457 seq.) finem faciunt Argonautæ, somno se daturi. Jason vero *ductor*, qui *solus* ex omnibus *impatiens somni manet*, ad paternam visit domum, supremum parentibus vale dicturus. Excipiunt *gravis pat.r materque vigil;* utrique *spectant tenentque plene*

Et pariter vigil Alcimede spectantque tenentque
Pleni oculos: illis placidi sermonis Iason
Suggerit affatus, turbataque pectora mulcet.
Mox, ubi victa gravi ceciderunt lumina somno,
Visa coronatæ fulgens tutela carinæ
Vocibus his instare duci: « Dodonida quercum
Chaoniique vides famulam Jovis: æquora tecum
Ingredior, nec fatidicis avellere silvis
Me nisi promisso potuit Tritonia cælo.
Tempus adest, age; rumpe moras: dumque æquore toto
Currimus, incertus si nubila duxerit æther;
Jam nunc mitte metus, fidens superisque mihique. »
  Dixerat; ille pavens, læto quanquam omine divum,
Prosiluit stratis. Minyas simul obtulit omnes
Alma novo crispans pelagus Tithonia Phœbo.

303. Hic versus post vers. 308 reperitur in Vatic. et Bonon. codd. Bon. I et II. Junt. suo loco reposuit Ald. — 308. *Mitte manus*. Vatic. et Bon. codd. Bon. I et II. Junt. *Metus*. Carr. — 310. *Mensas*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. *Minyas*. Ald. post Pium. En.

oculos, lacrymis obortis, quos tamen placido alloquio filius solatur.

300. Obdormit tandem ipse; audit vero per somnum *tutelam navis* (quam et l. V, 65 loquentem inducit) ita *instantem: dodonida quercum vides*, *Chaonii Jovis famulam* (erat autem Dodona oraculo Jovis inclyta urbs Chaoniæ, regionis Epiri), destinatam ad mare tecum trajiciendum, nec *fatidicis silvis* avellere me potuisset *Tritonia* Pallas (vide sup. 93), nisi inter astra locum mihi promisisset. Reposui *Tritonia* pro *Saturnia*, præeunte *Nodellio* Crit. Obss. libello, Campis 1781 edito, p. 41, cui adstipulantur Heyn. ad Apollod. p. 176; nam navis struendæ curam non Juno, sed Minerva susceperat. Vide supra 94-95. — Age igitur, sic pergit, rumpe moras, nihilque time; nam etiamsi omnia, quotquot sunt, maria nobis emetienda essent, licet cæli inconstantia multas nobis hiemes immittat, nil cura, *confide superis*, *confide mihi*.

309. Quo monito *pavens*, *magis tamen lætus* Jason, lecto prosiliit *primo mane*. Primum hoc mane præclare pingitur: *Alma novo crispans pelagus Tithonia Phœbo*, h. e. *alma*, benefica Aurora, *Tithoni* conjux, sub orientem solem, *novo Phœbo crispat*, levi horrore perstringit *mare*, exasperat, tremulam superficiem reddit. Rutil. Itiner. II, 13, *arridet placidum radiis* (solis) *crispantibus æquor*.

Discurrunt transtris : hi celso cornua malo
Expediunt; alii tonsas in marmore summo
Prætentant; prora funem legit Argus ab alta.
 Increscunt matrum gemitus, et fortia languent
Corda patrum; longis flentes amplexibus hærent.
Vox tamen Alcimedes planctus super eminet omnes;
Femineis tantum illa furens ululatibus obstat,
Obruat Idæam quantum tuba martia buxum.
Fatur et hæc : « Nate, indignos aditure labores,
Dividimur; nec ad hos animum componere casus
Ante datum, sed bella tibi terrasque timebam.
Vota aliis facienda deis : si fata reducunt
Te mihi, si trepidis placabile matribus æquor,
Possum equidem lucemque pati, longumque timorem;
Sin aliud Fortuna parat, miserere parentum,

312. Videt Jason socios admodum industrios : *discurrunt*, *cornua*, antennas (brachia sup. 126), in *summo malo expediunt;* alii *tonsas*, remos, *in marmore summo*, superficie maris, *prætentant*, in antecessum remigando se exercent; *Argus funem ancoræ ab alta prora legit*, in orbem colligit, glomerat. Hos varios labores vide etiam apud Orphea, 273 sq. et Virg. Æn. V, 762 sq.

315. *Matres* gemuut, *corda* adeo *patrum* fortiora *languent*, emollescunt : vix a mutuis amplexibus avelli possunt.

317. *Planctu* tamen Jasonis mater Alcimede ac *furore* et *ululatu* tantum superat reliquas matres, *quantum tuba martia*, bellica, *buxum*, tibiam. *Planctum* v. 317 non vitupero, sed vss. 318 et 319 non desideraveris, si abessent : Alcimeden enim nimis dolentem, nimisque vociferantem sistunt. Quanto magis placet, quæ sequitur, affectus veri plena oratio !

320. *Nate*, nihil merueras, ut hos tales labores per maria subires; sed fata volunt, ut *dividamur; nec ad hos animum componere casus ante datum*, ad alia omnia, quam quæ nunc instant, timenda animum poteram præparare; *timebam tibi* quidem *bella terrasque*, bella terrestria.

323. *Vota* jam *aliis*, marinis nempe, *facienda diis*, quos si tibi favere persuasum mihi possim habere, vitam diutius, etsi timoris et sollicitudinis plenam, toleraverim.

326. *Sin aliud Fortuna parat; miserere parentum*, *mors bona*, *dum metus est, nec adhuc dolor.* Hæc paulo obscuriora. Nonnulli codices post *parentum* incisum tollunt, probante Heinsio, imperativum *miserere* igitur jungunt morti : *miserere, o mors, quæ bona es...* quod ego quidem admittere non possum. Quid ? si *miserere* trahas ad Fortunam : *sin*

Mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor. Hei mihi! Colchos
Unde ego, et avecti timuissem vellera Phryxi?
Quos jam mente dies, quam sæva insomnia curis
Prospicio! quoties raucos ad litoris ictus
Deficiam, scythicum metuens pontumque polumque;
Nec de te credam nostris ingrata serenis!
Da, precor, amplexus, hæsuraque verba relinque
Auribus, et dulci jam nunc preme lumina dextra.»
Talibus Alcimede mœret, sed fortior Æson
Attollens dictis animos: «O si mihi sanguis,
Quantus erat, quum signifero cratere minantem

330. *Paucos*. Vat. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. *Raucos*. Ald. — 337. *Pontumque Cretamque*. Vatican. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. *Cytamque*. Maser. Pius. *Pontum Boreamque*. Ald. — 337. *Signiferam cratera sinain*. Vat. cod. mendosissime. *Nisantem*. Bon. cod. Bon. I et II. *Minantem*. Ald. — 338. *Tholum*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. *Pholum*. Ald. post Sabellic. Ed.

aliud Fortuna paras, miserere parentum; noli saltem ad nostras aures pervenire mortem nostrorum, nam *mors bona* est, *dum metus est*. Hæc ipsa sententia Seneca aliquo digna ob brevitatem argutiorque quam pro affectu loquentis videtur; nec alium sensum exsculpo, nisi hunc: *Mors, dum metus est*, quamdiu eorum, quos caros habemus, metuimus mortem, hoc saltem ea boni habet, ut tamen liceat sperare; si accidisse revera nuntiatur, tum nihil nisi dolor restat; sic ap. Ovid. Metam. XIV, 488, indignatur Agmon, quod Diomedes, ob Veneris metum, auxilium Rutulis neget: « Dum pejora timentur, Est in vota locus: sors autem ubi pessima rerum, Sub pedibus timor est, etc. »

330. *Quoties raucos ad litoris ictus*, fluctus litora nostra verberantes *deficiam*, sollicita ero, toties multoque magis *scythicum* et mare et cælum metuam. Quæ quum ita inclementia esse soleant, quidni, etsi serenitas in Thessalia nostra summa sit, tibi tamen *ingrata*, malum aliquod, eo ipso tempore accidere fortasse credam posse?

333. *Da, precor, amplexus*, non excident animo ultima vale mihi dicentis verba, et dulci *jam nunc*, ubi potes, *preme lumina dextra*.

335. Vale filio dicit etiam *Æson*, fortior tamen, non muliebriter querulus, sed gaudens, quod Jasoni suo rerum egregie gerendarum occasionem dederint dii; sed sperans, fore, ut iisdem diis auxiliantibus peragat jussa. Quod senes amant, temporis acti rerumque a se gestarum laudatores, idem facit Æson.

336. *O si mihi sanguis* (sanguis integer ævi, Virg. Æn. II, 638), vigor esset ille, qualis erat, *quum signifero*, cælato, *cratere minantem Pholum*, centaurum bibacissimum

Non leviore Pholum manus hæc compescuit auro!
Primus in æratis posuissem puppibus arma,
Concussoque ratem gauderem tollere remo.
Sed patriæ valuere preces, auditaque magnis
Vota deis: video en nostro tot in æquore reges,
Teque ducem: tales, tales ego ducere suetus,
Atque sequi: nunc ille dies, det Juppiter oro,
Ille super, quo te scythici regisque marisque
Victorem, atque humeros ardentem vellere rapto
Accipiam, cedantque tuæ mea facta juventæ.»
Sic ait; ille suo collapsam pectore matrem
Sustinuit, magnaque senem cervice recepit.
  Et jam finis erat, Zephyrumque ratemque morantes
Solverat amplexus tristi tuba tertia signo.
Dant remo sua quisque viri, dant nomina transtris.
Hinc lævum Telamon pelagus tenet; altior inde
Occupat Alcides aliud mare; cætera pubes

342. *Ut deque nostro.* Vatic. cod. *Video ut nostro.* Bonon. cod. *Videam nostro.* Bonon. I et II. Junt. *Videam ut nostro.* Ald. *Ut dent nostro.* Carr. cod. — 351. *Amplexu.* Vatic. et Carr. codd. Ed.

(unde *sitiens* audit Juvenali, Sat. XII, 45), *manus hæc* (δεικτικῶς) alio *non leviore*, non minoris ponderis, *auro*, cratere aureo, *compesceret* atque conficerel, *primus* profecto essem, qui navim tecum conscenderem.

341. Sed audivere dii preces pro filio fusas; video *tot reges*, egregios duces, heroas, horumque *ducem te*...:. *tales*, *tales*, et ego olim vel duxi, vel sequutus sum... Nunc *ille*, *ille* dies *super* (est); nihil mihi optandum amplius, quam ut splendente in *humeris vellere* excipiam filium, qui patrem ipsum, ut ætatis robore, sic virtute superaverit.

348. Tandem discedendum: in quo tamen et ipso poeta muliebrem mollitiem masculamque gravitatem servat. *Matrem collabentem* vix potest sustinere Jason, *pater* nil nisi filium amplectitur.

350. *His* aliorumque *amplexibus Zephyrum ratemque*, navem, cui nunc favebant venti, *morantibus*, facientibus, ut auris secundis uti negligerent, finem imposuit *signum tuba tertia* vice *datum*. Argonautæ, quorum cuique transtrum assignatum peculiare, consident. Primum ordinem ducit ex sinistra parte *Telamon;* alterum dextrum, *aliud mare altior* procerior *Alcides*.

Dividitur: celer Asterion, quem matre cadentem
Cristatus gemino fovit pater amne Cometes,
Segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus.
Nititur hinc Talaus, fratrisque Leodocus urget
Remo terga sui, quos nobile contulit Argos.
Hinc quoque missus adest, quamvis arcentibus Idmon
Alitibus; sed turpe viro timuisse futura.
Hic et Naubolides tortas consurgit in undas
Iphitus; hic patrium frangit Neptunius æquor,
Qui tenet undisonam Psamathen, semperque patentem
Tænaron, Euphemus; mollique a litore Pellæ

355. *Carentem.* Codd. et edd. omnes. *Cadentem.* Barthius. — 356. *Crestus.* Vatic. cod. *Cretæus.* Bonon. cod. Bonon. I. Maserii I. Junt. Ald. *Clenæus.* Bonon. II. Maser. II. — 360. *Ida.* Vatic. cod. *Idas.* Bonon. cod. Bonon. I. *Idmon.* Bonon. II. et aliæ. Ed.

355. Cætera pubes ita distribuitur: Post Telamonem ex ordine sedent. *Asterion, quem Cometa pater cristatus matre cadentem gemino amne fovit, segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus.* Obscuriora hæc lucem accipiunt ex Apollon. I, 35, 55, quem sequutus est Valerius; Asterion nempe patrem habuit Cometem *cristatum*, quo fortasse ad cometam, stellam crinitam, alludit non tam Valerius, quam sciolus aliquis librarius: nam Apollonius itemque Orpheus v. 161 pro eo habent *Piresium*, ab urbe Magnesiæ Piresia (vide Steph. Byzant. voc. *Pirasia*), qui filium *matre cadentem*, natum (vide Claudian. in Rufinum, 92), *fovit*, educavit, *ubi Enipeo segniori*, lenius, placidius defluenti sese immittit *Apidani vis* rapidior.

358. *Nititur hinc*, post hunc remos contentis viribus agit *Talaus*, ita, *ut fratris terga urgeat*, Leodocus, utrique Argivi. Eamdem patriam habuit *Idmon*, qui nec augurio, quod mortem prænuntiaret (vide supra 239), detentus adfuit, nam *turpe viro timuisse futura.*

362. Porro *consurgit in undas tortas* (vide, quam scite orationem variet poeta) Iphitus; *Naubolides*, vel a patre Naubolo, vel a patria Phocide, quam et Naubolen dictam fuisse docet Pausanias, X, 33.

363. Deinceps *frangit æquor patrium*, Neptuni quippe filius, *Euphemus, qui tenet undisonam Psamathen*, fontem ad Thebas, *Tænaronque*, promontorium et urbem Laconicæ, *semper patentem*, quoniam ibi antrum ita profundum, ut aditus crederetur ad inferos.

365. *Deucalion* cum fratre *Amphione*, *molli a litore*, leniter declivi *Pellæ*, non Macedoniæ urbis, quæ paululum distabat a mari, sed, quæ a conditore Pella nomen habebat, Arcadia Palleue. Vide Burmann. in catal. Argonautar. voc. *Amphion.*

Deucalion certus jaculis; et comminus ense
Nobilis Amphion, pariter quos edidit Hypso,
Nec potuit similes, voluitve ediscere vultus.
Tum valida Clymenus percusso pectore tonsa,
Frater et Iphiclus puppim trahit; et face sæva
In tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu,
Nauplius; et tortum non ab Jove fulmen Oileus
Qui gemet, euboicas nato stridente per undas;
Quique erymanthei sudantem pondere monstri
Amphitryoniadem tegeæo limine Cepheus

Alia difficultas est in Deucalione, quem solus habet Noster, cujus loco Amphioni fratrem dant et Orpheus et Apollonius Asterium, non confundendum cum Asterione, supra memorato. Quidquid sit, utrique erant et fortes, Deucalion *jaculo certior*, Amphion *comminus ense* nobilior, et gemelli, *pariter quos edidit Hypso*, ita similes vultu, ut dignosci invicem non possent, *nec potuit* (mater) *similes, voluitve ediscere vultus :* noluisset, etiamsi potuisset, ne forte alterum altero magis amare videretur. Similiter de Castore et Polluce Claudianus de Cons. Honorii, 209, *Juvat ipse Tonantem Error, et ambiguæ placet ignorantia matri.* Virgil. Æn. X, 392, de gemellis : *gratus parentibus error.* Vide Ruperti ad Sil. II, 636 sq.

369. Aliud fratrum par : *Clymenus* (Apollon. I, 86, Clytius), *percutiens remo pectus*, et *Iphiclus, puppim trahens.*

372. *Nauplius*, famosior bello trojano factus, quo tendit poeta : *face sæva in tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu.* Nam quum filii Palamedis, ab Ulysse fraudulenter interempti, necem ulturus ignem in Caphareo, Eubœæ promontorio, accendisset, Græcos a Troja redeuntes in errorem induxit, ut ibi appellerent, et naufragium facerent. *Oileus*, pater Ajacis, distinguendi ab altero ejusdem nominis, Telamonis filio, *qui tortum non ab Jove fulmen gemet*, quod itidem spectat ad belli tempora trojani. Oileo enim deploranda fuit mors filii Ajacis, qui, quum Troja capta Cassandræ, virgini regiæ eidemque vati, in ipso Palladis templo vim intulisset, ad hoc flagitium vindicandum in Euboico mari dira tempestate est oppressus, *et torto non ab Jove fulmine :* a quo igitur? nam in eo non consentiunt poetæ. Nihil quidem definit Valerius, sine dubio tamen Virgil. Æn. II, 42, 55 sequutus, Minervam in animo habuit.

373. *Nato stridente per undas.* Hærent etiam interpretes in *stridente*. Alii de gemente Ajace ipso, alii de fulmine, quo feriretur, alii de vulnere stridorem emittente intelligunt. Hoc ultimum placet Burmanno, cui et ego accedo. Vide inf. III, 278.

375. *Cepheus* et *Amphidamas*, fratres, quorum ille Herculem *erymanthei sudantem pondere monstri*.

Juvit, et Amphidamas; at frater plenior annis
Maluit Ancæo vellus contingere Phryxi.
Tectus et Eurytion servato colla capillo,
Quem pater aonias reducem tondebit ad aras.
Te quoque thessalicæ, Nestor, rapit in freta puppis
Fama, mycenæis olim qui candida velis
Æquora, nec stantes mirabere mille magistros.
Hic vates, Phœbique fides non vana parentis
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
Cassis, et in summo laurus peneia cono.
Quin etiam herculeo consurgit ab ordine Tydeus,

aprum erymanthium totum eumque adhuc vivum (vide Apollon. I, 125, 129, et Diodor. Sic. IV, 12) humeris portantem domi suæ in Arcadiæ urbe *Tegea* hospitio exceperat. De Amphidamante nil habet, quod narret, Valerius, alium vero utriusque fratrem non nominat, sed circumscribit (Lycurgo ei nomen fuisse ex Apollon. I, 164 discimus), qui *plenior annis*, non ætate provectior, sed *natu major*, Apollon. loc. laud. προγένεστερος; nam non ob ingravescentem ætatem domi mansit, sed ut parentem, Aleum senio confectum foveret. Suo tamen loco misit filium, *Ancæum*, quem patruis commendavit, ut gloriosæ expeditionis comitem adsciscerent.

378. *Eurytion*, distinguendus omnino ab Eurylo, qui infra occurrit v. 439, et alibi. Nostri Eurytionis non nisi hoc loco mentio fit. Fuit autem *tectus colla servato capillo*, comam aluit, *quem pater aonius*, bœoticus, *reducem tondebit ad aras*, ex voto, ait Burmannus, ut aleret, donec salvus rediret: ego vero malim explicare de sacerdote destinato, quod *aræ* videntur suadere.

380. *Nestor*, quem trojano bello accessurum sistit poeta: *mycenæis*, argivis, græcis, *olim qui candida velis æquora*, tantam navium multitudinem, ut præ candidis velis aquæ conspici non possint, *nec stantes* longo ordine *mirabere* adstupescens considerabis *mille magistros*, rem quippe nauticam dudum expertus, et egregiorum comes Argonautarum.

383. *Mopsus*, Phœbi filius, *nec vana fides parentis*, qui spem patris augur non fefellit, quem sacerdotali exornat poeta veste, *palla alba ad imos pedes*, talari, ita tamen, ut militem etiam quodammodo prodant *cassis*, galea, *conus*, cum crista, cujus summitati adnexa erat *laurus peneia*, a Peneo, Thessaliæ fluvio, quem laurea circumdederunt, ex quo Daphne ibi esset in laurum mutata, quæ et ipsa *Peneia* audit Ovid. Metam. I, 452.

387. Progrediamur nunc ad alterum navis latus, ubi ordines ducit

Nelidesque Periclymenus, quem parva Methone,
Et levis Elis equis, et fluctibus obvius Aulon,
Cæstibus adversos viderunt frangere vultus.
Tu quoque phryxeos remo, Pæantie, Colchos,
Bis Lemnon visure, petis; nunc cuspide patris
Inclitus, herculeas olim moture sagittas.
Proximus hinc Butes actæis dives ab oris;
Innumeras nam claudit apes, longaque superbus
Fuscat nube diem, dum plenas nectare cellas

Hercules. *Tydeus*, quem hic sine honore dimissum, infra contra Cyzicenos fortiter pugnantem videbimus.

388. *Periclymenus Nelides*, Nelei, Pyli regis, filius, Nestorisque frater, qui Pylii nomine eam ob caussam apud Homerum ubique obvius est. Tres autem sunt urbes Pyli, Eliaca, Triphyliaca et Messenia, ab uno eodemque conditore denominatæ, quarum quæque Nestora sibi vindicavit. Periclymenus igitur, ejusdem familiæ, dominus et ipse fuit nonnullarum illius ditionis urbium, e quibus tres Valerio memorantur, *Methone*, oppidum Messeniæ, *Elis* et regio et urbs, in cujus vicinia ludis posthac celeberrima Olympia, quo fortasse alludit *levis Elis equis*, agitandis equis apta (ingratum trium in *is* desinentium vocum concursum tollere possis, si cum Santenio ad Propert. pag. 928 scribas : *Dives et Elis equis*), et *Aulon* (Plin. IV, 5, *Aulona*) *fluctibus obvius*, cujus mœnia mari adluerentur. Nihil igitur aliud voluisse videtur poeta, quam Periclymenum per totam viciniam inclaruisse, metuendumque fuisse *cæstibus*, quibus *adversos* (adversariorum) *vultus frangere* calleret, de quo barbaro immanique pugnæ genere plura ad IV, 113 sq. disserendi dabitur locus.

391. *Philoctetes*, *Pœantis* filius, *bis Lemnum visurus*, nunc inter Argonautas, vide II, 79 seq. posthac bello trojano, ubi a Græcis ob fœtorem ulceris in pede oborti relictus, vitam in ista insula traduxit ægerrime, *nunc cuspide patris*, lancea ex hereditate patris accepta *insignis*, *herculeas olim moture*, vibrature, *sagittas*. Moribundus enim in Œta monte heros sagittas, lernæo sanguine venenatas, amico tradiderat, usumque earum edocuerat. Has itaque secum tulit ad Trojam, in Lemno tamen retinuit, donec Ulysses, quoniam urbs illa sine istis telis expugnari non poterat, dolo easdem eliceret. Consule, ut alios taceam, Homerum, et Sophoclis tragœdiam hujus nominis pulcherrimam.

394. *Butes ab actæis oris*, ex Attica, *dives* mellificio, *innumeras nam claudit*, alit alvearibus inclusas *apes*. *longaque superbus*, sibi ipse plaudens, *fuscat nube diem* (pulchre homini adscribitur, quod apum est), fuscat ipse *longa* nube diem longis examinibus, solem ipsum obtenebrantibus.

396. *Dum plenas nectare cellas pandit*, eximit favos, et *in dulcem*,

Pandit, et in dulcem reges dimittit Hymetton.
Insequeris, casusque tuos expressa, Phalere,
Arma geris; vacua nam lapsus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis;
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.
Tum cælata metus alios gerit arma Eribotes;
Nec Peleus fretus soceris et conjuge diva
Defuit: at prora splendet tua cuspis ab alta,
Æacide; tantum hæc aliis excelsior hastis,
Quantum peliacas in vertice vicerat ornos.
Linquit et Actorides natum Chironis in antro,
Ut socius caro pariter meditetur Achilli
Fila lyræ, pariterque leves puer incitet hastas;
Discat eques placidi conscendere terga magistri.
Et, quem fama genus non est decepta Lyæi,

apibus gratum ob florum copiam *Hymettum*, montem prope Athenas *reges (Weisel) emittit.*

398. *Phalerus. Casus tuos expressa geris arma*, clypeum; in clypeis enim fata gentilitia appingere solebant. Ad græcam rationem hæc dicta, quam amat omnino Noster, pro armis, in quibus casus tui expressi sunt. Sic paulo ante v. 385, *vittata frontem cassis;* sic paulo post vers. 402, *cælata metus alios arma;* sic v. 410, *immissus patrios de vertice crines;* sic libro II, 655, *pocula bellorum casus expressa recentum;* sic Virg. Ecl. III, 106, *inscripti nomina regum nascuntur flores.* Liberalior fui afferendis exemplis, ut brevior essem aliis locis. Qui vero *casus illi* fuerint, nunc exponitur. Puerulum Phalerum anguis ab *arbore vacua* (solitaria? sed mallem *cava*, vel *patula*) *lapsus circumvenit*, spiris suis involvere minatur, quo viso anxius pater Alcon (vide Anthol. gr. vol. II, pag. 152, edit. Lips. et Jacobs. Animadv. vol. II, pl. 2, p. 38, et qui ibi laudantur) stat procul, dubiusque, an arcum intendat. *Intendens dubium arcum* ait poeta, arcui tribuens, quod hominis est, qui intendit. Sic *dubiæ alæ*, IV, 527.

402. *Eribotes.* Orpheus et Apollodorus ignorant hominem. Apollonius I, 73, habet, sed et hic non magis, quam Valerius affert, quo cælati in clypeo *metus* illustrentur. Sine dubio terribilis quædam imago in orbe scuti fuit expressa.

403. *Peleus, fretus soceris*, Nereo et Doride, et conjuge diva, Thetide, *Æacides*, Æaci filius, cujus *hastam* poeta dicit tantum *splenduisse* præ cæteris, quantum arbor, e qua excisa esset, reliquas peliaci montis arbores proceritate superaverit.

407. *Actorides Menœtius*, qui na-

Phleias immissus patrios de vertice crines.
Nec timet Ancæum genitrix committere ponto,
Plena tulit quem rege maris. Securus in æquor
Haud minus Erginus, proles neptunia, fertur,
Qui maris insidias, claræ qui sidera noctis
Norit, et e clausis quem destinet Æolus antris;
Non metuat cui regna ratis, cui tradere cælum
Assidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto.
Taurea vulnifico portat cælataque plumbo
Terga Lacon, saltem in vacuos ut brachia ventos
Spargat, et œbalium pagaseia puppis alumnum
Spectet, securo celebrantem litora ludo.
Oraque thessalico melior contundere freno,

420. *Celera plumbo.* Vatic. cod. *Celer ærea.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. *Celer insita.* Venet. 1500. cod. regius. Bonon. II. Maser. Ed.

tum, Patroclum, Chironis disciplinæ tradiderat, ut cum Achille jam tum amicissimo lyra disceret canere, hastam vibrare, et ipsius *magistri placidi*, non inviti, *terga conscendere*, in eo equitare.

412. *Phleias, quem fama genus*, filium esse, *non est decepta Lyæi* Bacchi : nam non minus bene comatus, quam pater (intonsus) *immissus patrios de vertice crines*.

413. *Ancæus*. Hunc mater, Astypalæa, eo confidentius commisit ponto, quod ex Neptuno eum conceperat, *plena rege maris*. Alius Neptuni filius, ideoque æque securus Argonautis comitem se dederat; nempe *Erginus*, qui maris insidias, astra, ventique flatus cujusque, *e clausis quem destinet Æolus antris*, tam probe noverat, ut, si quando Tiphys ab astris observandis lassatus esset, huic vices suas permittere non dubitaret.

420. *Lacon*, i. e. *Pollux*. *Taurea terga*, non tota, sed lora tantum e corio bubulo (cæstus) *plumbo cælata*, quæ quanquam Burmannus, an quis unquam dixerit, dubitat, ego tamen retinuerim, intellexerimque de globulis plumbeis prominentibus, quibus cæstus erant distincti. Sic *cælata velamina*, V, 7, non alia possunt esse, quam quorum superficies non loris, sed figuris acu picta aspera est. Hos vero cœstus in usus servat futuros, nunc *in vacuos* tantum vibrat *ventos*, ut *pagaseia*, thessalica (ab portu et promontorio Pagasis), *puppis*, Argo spectaret *Œbalium*, spartanum (ab Œbalia, Laconiæ oppido) *alumnum*, adolescentem, inde a juventute patrio more luctæ (*œbaliæ arti*, IV, 372) assuefactum, et magna adstante miranteque multitudine (*celebrantem*) in litore *ludum*, animi tantum causa, *securum*, innoxium, non serio

Vectorem pavidæ Castor dum quæreret Helles,
Passus amyclæa pinguescere Cyllaron berba.
Illis tænario pariter tremit ignea fuco
Purpura, quod gemina mater spectabile tela
Duxit opus; bis Taygeton silvasque comantes
Struxerat; Eurotan molli bis fuderat auro;
Quemque suus sonipes niveo de stamine portat,
Et volat amborum patrius de pectore cycnus.
At tibi collectas solvit jam fibula vestes,
Ostenditque humeros fortes, spatiumque superbi
Pectoris, herculeis æquum, Meleagre, lacertis.

cœstum vibrantem. Huic jungitur perpetuus comes, gemellus frater.

424. *Castor*. Uti frater pugil, ita ipse eques egregius (Homer. Il. III, 237, et qui hunc exscripsit, Pseudo-Orpheus, 945, Κάστορα δ' ἱππόδαμον, καὶ πύξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα· Horat. Od. I, 12, 35, *hic equis gaudere, ille superare pugnis nobilis*. Vide eumdem Sat. II, 1, 26). *Ora* equorum *thessalico freno contundere*, compescere, *melior*, quum *vectorem pavidæ quæreretHelles*, ad vellus arietis aureum repetendum, Argonautis comitem se adjungeret, *Cyllarum*, equum suum (de quo vide Virgil. Georgic. III, 90; Stat. Theb. VI, 337), quod nulla ejus in mari utilitas esset, *herba* interea *amyclea* (laconica, ubi urbs Amyclæ) *pinguescere* passus est.

427. Hoc tam nobile par fratrum egregiis etiam vestibus exornare placuit poetæ: *Illis pariter*, utrisque *fuco*, succo murieis, *tænario* (laconico, vide infra V, 513, et Horat. Od. II, 18; VII, 8), *tremit*, per humeros volitat *ignea*, ardens, vividi coloris *purpurea vestis*, *opus spectabile*, visu miserabile, quod *mater*, Leda, *tela gemina*, bis, eaque simillima *duxerat* (verbum solenne de feminis fila trahentibus) bis agri spartani amœnitates, *Taygeton* montem, *silvasque in eo comantes struxerat* (videmus proceritatem arborum) bis *Eurotam* fluvium *fuderat* (vide lenem defluxum) *auro molli*, in filo extenuato. (Sic Ovid. Metam. VI, 68, *lentum filis immittitur aurum*.) Uterque equo albo, *niveo de stamine* vehitur, Cyllaro Castor, Xantho Pollux, uterque in pectore (thorace) gestat *cycnum (volat cycnus)*, cujus specie assumpta in gratiam Ledes sese insinuaverat Jupiter. — Locus elegantissimus, in quo nec Ledæ acum, nec poetæ elocutionem desideraveris, ita aptissime verba delecta, ita ad naturam omnia expressa sunt.

433. *Meleager*. Hic alio corporis habitu ob oculos pingitur. *At tibi collectas solvit jam fibula vestes*, fibulam solvis pallii ad remum commodius ducendum, *ostenditque* (melius tamen *ostendisque*) *humeros fortes*, *spatium pectoris superbi Herculeis æquum*, de quo non minus gaudebas, quam Hercules lacertis.

Hinc numerosa phalanx, proles cyllenia; certus
Æthalides subitas nervo redeunte sagittas
Cogere; tu medios gladio bonus ire per hostes,
Euryte; nec patrio Minyis ignobilis usu,
Nuntia verba ducis populis qui reddit, Echion.
Sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis;
Heu celerem scythica te mœsta relinquet arena,
Cessantemque tuo lugebit in ordine remum.
Te quoque dant campi tanto pastore pheræi
Felices, Admete; tuis nam pendit in arvis
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
Ah quoties famulo notis soror obvia silvis
Flevit, ubi Ossææ captaret frigora quercus,

436. Tres Mercurii filii, *proles cyllenia, numerosa phalanx : Æthalides, Eurytus, Echion.* Et *Æthalides* quidem *subitas nervo redeunte sagittas cogere*, quod obscurius elatum ita ego intelligo : vix emiserat sagittam, quum nervum remissum denuo statim attraheret, aliamque subito impositam collinearet, atque emitteret. — *Eurytus*, gladio magis fortis, quam sagitta. — *Echion* denique, qui, quam diis pater Mercurius, eamdem Argonautis filius operam præstaret : sæpius enim infra hab bimus vel præconem, vel legatum, qui mandata ad reges perferret.

441. *Iphis, non rediturus*, cecidit enim in pugna adversus Scythas, VII, 433; *dolebit* vero desiderabitque celerem, streuuumque in remigando, *cessantem* (vacuum) *lugebit remum* Argo.

444. *Admetus*, rex Pherarum, Thessaliæ urbis. Totus locus ita cohæret : *Delius* Apollo ob *Steropen*, Cyclopem, *arcu ingrato* (Jovi nempe, Jove indignante, nisi malis cum Broukhusio ad Tibull. II, 3, 17, *irato*) confossum Olympo ad aliquod tempus ab Jove exclusus, et Admeto pastor datus est (in quo Valerius sequitur Euripideum in Alcestidis Prologo, et v. 568 seq. nam alii aliter narrant); a quo liberaliter habitus, ad gratiam rependendam boves ita fecit fecundas, ut gemellos parerent omnes. Jam omnia ad intelligend. facilia : *tanto pastore*, Apolline, *felices campi*, res pecuaria, *pendens*, lueus, dans pœnas *Delius*, etc. Hanc fratris sortem inducit poeta dolentem *Dianam* : Ah quoties *obvia famulo* Admeti *flevit*, vel sub notis arboribus *Ossæ*, moutis in Thessalia, sese refrigeranti, vel egregiam alioquin comam, proh dolor ! *miseros crines* jam *Bœbeide*, lacu Thessaliæ (Βοιϐηὶς λίμνη Orph. 164), *perdenti*, deturpanti : vide paulo post v. 467. — Sic etiam *corrumpere*, apud Ovid. Amor. III, 6, 57 : « Quid fles, et madidos lacrymis corrumpis ocellos. »

Perderet et pingui miseros Bœbeide crines!
Insurgit transtris, et remo Nerea versat
Canthus, in Ææo volvet quem barbara cuspis
Pulvere; at interea clari decus adjacet orbis,
Quem genitor gestarat Abas; secat aurea fluctu
Tegmina chalcidicas fugiens Euripus arenas;
Celsaque semiferum contorquens frena luporum
Surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geræsto.
Et tibi palladia pinu, Polypheme, revecto
Ante urbem ardentis restat deprendere patris
Relliquias, multum famulis pia justa moratis,
Si venias. Breviore petit jam cærula remo,
Occupat et longe sua transtra novissimus Idas.

453. *Gestabat.* Codd. et edd. omnes ante Heinsium. Ed.

450. *Canthus, insurgens transtris et remo Nerea* (mare) *versans*, casurus in prælio ad urbem Æam. (VI, 317 sq.) *Interea*, dum remigat, pone eum jacet *clari decus orbis*, affabre factus clypeus, ab *Abante* patre olim *gestatus*, in cujus *tegmine aureo*, lamina aurata, exhibitus erat *Euripus chalcidicus*, nobile illud fretum Eubœam inter et Bœotiam, et *Neptunus* ab *Geræsto*, quod Eubœæ promontorium Neptuno sacrum erat, *ostrifero*, ubi magna conchyliorum copia, *celsa frena*, in curru sublimi stans, *semiferorum luporum*, belluarum marinarum lupinis capitibus *contorquens*, magna vi, robusta manu moderans. Plerumque et a poetis et ab artificibus priscis Neptuni currui junguntur duo, vel quatuor equi, iique equinis capitibus; lapidem tamen vetustum Romæ se olim vidisse testatur *Pius*, Valerii nostri editor, qui capita præferret lupina. Quo terrarum abierit ista gemma, equidem nescio; *Lippertus* saltem non habet, aliorumque, in quibus antiqua artis monimenta repræsentantur, librorum curta mihi supellex est.

457. *Polyphemus*, alius ab famoso illo ejusdem nominis Cyclope. Nostro destinatum fuit fato, hæc enim narrat poeta, ut in patriam eo ipso rediret tempore, quo famuli, diu ejus adventum præstolati, in eo essent, ut patrem, Elatem, rogo compositum concremarent.

460. *Idas.* Ultimum ordine transtrum occupat, ideoque non tam longe protendere potest remum, quam in medio collocati; *breviore remo mare movet*, eodem sensu, quo lib. V, 415; *brevior rota* tribuitur lunæ, quæ interiorem quam sol in cælo orbem circumscribit.

461. Sic enumeratis ad remum sedentibus Argonautis, addit Vale-

At frater magnos Lynceus servatur in usus,
Quem tulit Arene, possit qui rumpere terras,
Et styga transmisso tacitam deprendere visu.
Fluctibus e mediis terras dabit ille magistro,
Et dabit astra rati; quumque æthera Juppiter umbra
Perdiderit, solus transibit nubila Lynceus.
Quin et cecropiæ proles vacat Orithyiæ,
Temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
Nec vero odrysius transtris impenditur Orpheus,
Aut pontum remo subigit, sed carmine tonsas
Ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.
Donat et Iphiclo pelagus juvenumque labores

rius eos, quibus alii demandati essent labores, et primo quidem.

462. *Lynceum*, proxime præcedentis Idæ fratrem, Apharei et *Arenæ* filium, eumque tam acuti visus, ut *rumpere*, penetrare, *terras*, ut *deprehendere Styga tacitam* (ornans h. l. epitheton), nihil ut et ibi acumen ejus effugeret, ut *fluctibus e mediis terras dare*, terram continentem portusque monstrare *magistro*, ut *astra dare rati*, indicare situm astrorum, ad quem navis cursum dirigeret... ut, quanquam *æthera Jupiter umbra perdiderit*, serenitatem abstulerit, cælumque nubibus obduxerit (*perdiderit* contra *Heinsium*, qui emendandi omnino cupidior justo est, recte defendunt *Burmannus* et *Wakefield*, Sylv. crit. pl.V, p. 9, cujus ex Hom. Odyss. XIII, 399 allatum ὀλέσω τρίχας, *canitie adspergam*, mirifice placuit. Neutrum tamen miror meminisse ipsius Nostri, qui paulo ante vers. 451 eodem *deformandi* sensu τὸ *perdere* adhibuerat); solus tamen omnium has nubes posset prospicere. — Porro *vacat* a remigio immunis *Cecropiæ*, Atticæ, *proles Orithyiæ*, filii duo.

468. *Zetes, fraterque (Calais)* quibus injunctum erat hoc, *ut tremulos temperarent ceruchos*, h. e. uti recte post Pium explicat Burmannus, scanderent malum, antennas et vela curarent.

470. Nec *Odrysius* (Thrax) *Orpheus transtris impenditur*, bene delectum verbum, longe præstantior existimatus, quam cui vile remigandi munus demandaretur, sed *carmine tonsas ire docet*, mensuram lyra dat κιλευστὴς, ut eodem omnes tenore remos ducerent Apoll. I, 540, ὑπ' Ὀρφῆος κιθάρῃ πέπληγον ἐρετμοῖς Πόντου λάβρον ὕδωρ, *ne summo in gurgite pugnent*, inter se colliderentur. Vide *Böttiger, Archæol. Museum Heft*, I, S. 74. *Donat*, remittit etiam Jason juveniles labores.

473. *Iphiclo*, ex *Phylace*, Thessaliæ urbe, oriundo, ætate admodum provecto, utilem tamen operam præstanti eo, quod monitis regeret juniores, *majorumque laudibus* ad

Æsonides, fessum Phylace quem miserat ævo,
Non jam operum in partem, monitus sed tradat ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.
Arge, tuæ tibi cura ratis; te mœnia doctum
Thespia palladio dant munere; sors tibi, ne qua
Parte trahat tacitum puppis mare, fissaque fluctu,
Vel pice, vel molli conducere vulnera cera.
Pervigil arcadio Tiphys pendebat ab astro
Hagniades, felix stellis qui segnibus usum,
Et dedit æquoreos cælo duce tendere cursus.
  Ecce per obliqui rapidum compendia montis
Ductor avens lætusque dolis agnoscit Acastum,
Horrentem jaculis, et parmæ luce coruscum.
Ille ut se mediæ per scuta virosque carinæ

479. *Fessaque luctu*. Vatican. cod. — 487. *Ille ubi*. Codd. et edd. omnes præter Alardum. Ed.

imitandum propositis *ureret*, inflammaret, stimulosque iis adderet.

477. *Argo*, quem ipsi Palladi acceptum referebant Argonautæ, *sors erat*, hoc fuit demandatum, ut curam gereret totius navis, ut ne quam forte traheret aquam, rimasque, si quæ hiassent, pice, vel molli cera *conduceret*, exquisite, servato vocis etymo.

481. *Tiphys Hagniades*, Hagnii filius, *pervigil pendebat* attentus observator (*affixus cælo* Sil. Ital. VII, 362) *arcadio ab astro*, Boote. *Arcadium astrum* ideo, quod dum homo esset, Arcadis nomen gesserat. Erat autem Lycaonis scelesti illius filius, qui Jovi ad se devertenti hunc ipsum filium in frusta concisum edendum apposuerat; Jupiter autem innocentis pueruli misericordia adductus inter sidera retulit. *Felix* Tiphys, utilis nautis, laudeque dignus, quod primus docuit *usum stellarum segnium*, tardius sese moventium, nec tam cito, uti aliæ occidentium, unde *tardæ*, *pigræ* nominantur poetis.

485. *Acastus*, decepto, uti promiserat, patre, breviore *per obliquum montem* via advolat, *horrendus jaculis*, *parmæque*, clypei politi, *splendore coruscans*. Cujus adventu lætatus, dolisque gaudens suis Jason *ardenti ferro*, i. e. statim *retinacula solvi* jussit, haud secus ac *venator*, qui *teneras compressus pectore tigres*, quem onus premit raptorum tigridi catulorum, de quo græco idiomate vide supra ad vers. 398, *quas astu pavido*, astute quidem, nec tamen sine metu *rapuit*, *dominoque timentem* (pulchre!) *urget*, incitat, *equum*, domum avehere properat, priusquam *mater sæva* ex *Amano*, Ciliciæ *monte*, erat enim his aliisque

Intulit, ardenti Æsonides retinacula ferro
Abscidit; haud aliter saltus vastataque pernix
Venator quum lustra fugit, dominoque timentem
Urget equum, teneras compressus pectore tigres,
Quas astu rapuit pavido; dum sæva relictis
Mater in adverso catulis venatur Amano.
Ut pariter propulsa ratis, stant litore matres,
Claraque vela oculis percussaque sole sequuntur
Scuta virum; donec jam celsior arbore pontus,
Immensusque ratem spectantibus abstulit aer.
Siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
Cœpta tuens, tantamque operis consurgere molem,
Lætatur; patrii neque enim probat otia regni.

491. *Complexus.* Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. En.

feris frequens illa regio, *recurrens* insequatur. His ita a Valerio enumeratis Argonautis si addas *Herculem* et *Telamonem*, qui ordines ducerent, habebis *quinquaginta* numero. Adde ipsum *Jasonem*, et, si vis, qui postea temporis ad Thermodontem in urbe Sinope accesserunt, V, 115, *Autolycum*, *Phlogium* et *Deileonta*, tum LIV numerabis. Eumdem numerum, non eosdem tamen homines habent *Apollonius* et *Diodor. Sic.* IV, 41; *Orpheus* 50; Apollodorus 45, quos inter se comparare Nostrum nunc non est. Vide omnino *Bachet de Meziriac, Commentaires sur les Épîtres d'Ovide*, tom. II, p. 82; Heyn. ad Apollod. p. 177; Burm. Catalog. Argonautar. Valerio ejus præfixum, Krausii Apollonii Rhodii Catalog. Argon. Hal. 1798, etc.

494. Ut *pariter*, æquali remorum ictu per fluctus agitur navis, stant in litore matres, oculisque abeuntes prosequuntur, aliquamdiu cernunt adhuc *clara*, candida, *vela*, *percussaque sole*, radiantia, *scuta*, *donec jam celsior arbore*, navi vel adeo malo *pontus*. Pulchre profecto et ad naturam accommodate: quo longius enim per mare devexum navis progreditur, eo magis pontus ad litus stantibus altitudine crescere videtur.

498. Prospicit ex Olympo Jupiter, lætaturque Græcis tam arduam, tamque utilem generi humano expeditionem suscipientibus, *non enim probat otia patrii* Saturnii, *regni*. Una *gaudent superi* de lætis, *quæ mundo ventura* sint, temporibus, *Parcæque*, *quæ vias sibi crescere cernunt*, longe plura, quæ hominibus destinent, fatorum genera vident. Imitatus fortasse Valerium est Iscanus de bello trojano, I, 185, itidem de Argo navi loquens eodem sensu: *Atropon auxit.*

Una omnes gaudent superi, venturaque mundo
Tempora, quæque vias cernunt sibi crescere Parcæ.
Sed non et scythici genitor discrimine nati
Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces:
« Summe sator, cui nostra dies, volventibus annis,
Tot peragit reficitque vices, tuane ista voluntas?
Graiaque nunc undis duce te, nutuque secundo,
It ratis? an meritos fas et mihi rumpere questus?
Hoc metuens, et ne qua foret manus invida nato,
Non mediæ telluris opes, non improba legi
Divitis arva plagæ; teneant uberrima Teucer,
Et Libys, et vestri Pelopis domus; horrida sævo
Quæ premis arva gelu, strictosque insedimus amnes.
Cederet his etiam, et sese sine honore referret

508. *Fas est.* Vatic. cod. Bonou. I et II. Junt. Ald. Carr. *Fas sit.* Bonon. cod. — 513. *In sedibus.* Codd. et edd. *Insedimus.* Zinzerling. Ed.

503. Solus dolet *Sol*, *non intrepidus*, maxime sollicitus *de* filio *scythico*, Æeta rege Colchorum. Ad Jovem igitur accedens, quam bene meritus sit ab initio rerum, mereaturque quotidie (eodem fere modo, quo post Phaethontis casum apud Ovid. Metam. II, 381 sq.) exponit. *Tibi nostra dies, volventibus* (se) *annis, tot peragit*, transigit, emetitur, *reficitque vices*, is ego sum, qui tot totius anni diebus faciam, ut, quæ in mundo tuo peragantur, perspicere possis..... tu vero *Græcos* jam non foves tantum, sed adeo *ducis*.

509. Liceat et mihi *meritos*, non injustos, quos tacitus diu mecum continui, *questus rumpere*. Jam diu tale quid *metuens* atque præsagiens, et ne qua *foret manus invida nato*, ne invidiæ aliorum deorum exponerem, non in medio terrarum orbe, nec in *improbis*, fertilissimis (nam *improbum*, poetis inprimis, omne nimium est, modum excedens, copia abundans. Vide II, 631, *improba arva cæcis vadis intulit.*

511. *Teneant*, nec invideo, *teneant uberiora Teucer* (Trojani) *et Libys* (Afer, Africa, inprimis Ægyptus). *et vestri Pelopis domus* (Peloponnesus), ego filio *legi* elegi, assignavi campos *sævo gelu pressos* (quos malus Jupiter urget Horat. Od. I, 22, 20) *strictosque* glacie *amnes*. Vers. 513, pro *premis* malim *premit*, ut referatur ad præcedentem *plagam*.

514. *His* adeo *cederet* filius, et ulterius sese reciperet, sed ne posset quidem: nam *zona nube rigens*, perpetuis nebulis involuta, *nescia rerum*, quæ in reliquis orbis terrarum partibus gerantur, ab omnibus tam longe secreta hominibus, et ad ul-

Ulterius; sed nube rigens ac nescia rerum
Stat super, et nostros jam zona reverberat ignes.
Quid regio immanis, quid barbarus amnibus ullis
Phasis, et aversis proles mea gentibus obstat?
Quid Minyæ meruere queri? num vellere graio
Vi potitur? profugo quin agmina jungere Phryxo
Abnuit, inoas ultor nec venit ad aras;
Imperii sed parte virum natæque moratus
Conjugio, videt e graia nunc stirpe nepotes,
Et generos vocat, et junctas sibi sanguine terras.
Flecte ratem motusque, pater; nec vulnere nostro
Æquora pande viris; veteris sat conscia luctus
Silva Padi, et viso flentes genitore sorores.»

515. *Non conscia regum*. Bonon. cod. *Nescia regum*. Vatic. cod. Bonon. I. et II. Junt. *Rerum*. Ald. — 517. *Ullis*. Vat. et Bon. codd. Bon. I. et II. Junt. Ald. etc. —518. *Adversis*. Codd. et edd. omnes. *Aversis*. Heins. post Barth. et Pium. — 519. *Quod*. Vatic. et Bon. codd. — 521. *Annuit .. vultro*. Codd. et edd. ante Ald. Ed.

timos terrarum terminos repressa, ut *nostros reverberet ignes*, ut ipsi radii mei, ab ea repercussi, ad me redeant. (Ad τὸ *reverberare* vid. si placet, Ovid. Met. IV, 349, *opposita speculi* referitur *imagine Phœbus*:) et not. p. 318, t. III, nostr. Edit. Ed.

517. Non video, *quid Phasis barbarus*, quem homines inculti accolunt, aliis quibuscumque amnibus, quid *proles mea*, filius meus, *aversis*, longe remotis, *gentibus obstet*, impedimento sit. Quid *Argonautæ queri meruere*, quam causam justam afferre posse putant? Vide paulo ante 508. *Non vi potitus* est vellere aureo Aeetes, imo Phryxo auxilium petitum denegavit, *nec ad inoas aras venit ultor*, noluit ultionem sumere ab Ino noverca, quæ immolare eum voluerat, quum filia potius partem aliquam regni concessit, *videtque e graia nunc stirpe nepotes*, et *generos* (latiori sensu pro affinibus, nec desunt exempla, ubi pro *maritorum sororibus* generi ponuntur; v. Gesneri Thes. h. v.) *vocat* et *junctas sibi sanguine terras*.

525. *Flecte*, retro igitur converte *ratem*, *flecte motus*, vim reprime, quam filio inferre volunt Græci, nec *vulnere nostro*, in dolorem, detrimentum nostrum, *æquora pande*, aperias, *viris*.

527. *Veteris sat conscia luctus silva Padi, et viso flentes genitore sorores*. Jam olim mihi doloris auctor fuisti acerbissimi, cujus testes sunt *et Padus* (Eridanus) in quem filium Phaethontem fulmine dejeceras, et sorores (Heliades, Naiades) *viso genitore*, viso meo, patris, dolore *plorantes*.

Affremit his, quassatque caput, qui vellera dono
Bellipotens sibi fixa videt tentataque; contra
Pallas, et amborum gemuit Saturnia questus.
Tum genitor: «Vetera hæc nobis et condita pergunt
Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
Fixa manent: neque enim terris tum sanguis in ullis
Noster erat, quum fata darem; justique facultas
Hic mihi, quum varios struerem per sæcula reges.
Atque ego curarum repetam decreta mearum:
Jam pridem regio, quæ virginis æquor ad Helles
Et Tanain tenus immenso descendit ab Euro,

535. *Cur varios*. Vat. et Bonn. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. *Cum*. Pius. *Hæc mihi ut hinc*. Carr. e cod. Ed.

528. His Solis precibus, satis placidis et molli affectu plenis, suas addit *bellipotens* Mars, sed vehemens, ut semper, atque incitatus. *Affremit, quassatque caput, qui vellera dono sibi fixa videt, tentataque*. Editiones *tentataque* sequentibus adjungunt sic: *tentataque contra Pallas*, etc. Sed verissime Burmannus ad Martem refert, nec aliter fieri potest. Quid enim? Vellera videt Mars *fixa*? At *fixa* jam diu viderat: jam vero eadem videt *tentata*, de iis auferendis cogitari. Hinc illæ Martis iræ. Interpungendo igitur, lucem loco aliis obscurissimo viso affudisse nec nunc pœnitet.

529. *Contra Pallas et Juno questus amborum gemunt*, tacite secum, anxiæ adstant dubiæque, quid valituræ sint apud Jovem Solis et Martis querelæ.

531. Ad hæc Jupiter mentem expromit ita: Quæ nos *a principe cursu*, inde ab initio *rerum* instituimus, ea suo ordine *pergunt*, procedunt, *fixaque manent*; neque enim tum *sanguis*, liberi erant, *justique facultas hic*, illo tempore *erat*, non erat, cur partium studio tenerer, *quum varios struerem* (exquisite!) *per sæcula reges*, quum longam regum seriem per plura sæcula ordinarem. Vid. Virg. Æn. I, 57 sqq.

536. *Audite ergo*, sic pergit Jupiter et quidem vaticinans, *curarum decreta mearum*, quæ post diuturnam deliberationem apud animum constitui.

537. *Jam pridem*, pluribus sæculis, *immensa*, amplissima orientalis plaga ad Hellespontum usque et *Tanain tenus* (sic accusativo additum? unicus in omnibus scriptoribus locus; quapropter plures *Tanai* jusserunt reponi refragantibus tamen omnibus Valerii codd. genitivo jungitur apud Virg. Æn. X, 210) florentissima fuit; *undat*, abundat (vide Virg. Georg. II, 437), *equis virisque*, exercitibus; nec alia gens ausa est, bellis eam adoriri; nam

Undat equis, floretque viris; nec tollere contra
Ulla pares animos nomenque capessere bellis
Ausa manus; sic fata, locos sic ipse fovebam.
Accelerat sed summa dies, Asiamque labantem
Linquimus, et poscunt jam me sua tempora Graii;
Inde meæ quercus, tripodesque, animæque parentum
Hanc pelago misere manum: via facta per undas,
Perque hiemes, Bellona, tibi; nec vellera tantum
Indignanda manent; propior de virgine rapta
Ille dolor; sed nulla magis sententia menti
Fixa meæ; veniet phrygia nam pastor ab Ida,
Qui gemitus irasque pares et mutua Graiis
Dona feret. Qua classe dehinc effusa procorum
Bella! quot ad Trojam flentes hiberna Mycenas!

544. *Peremptum.* Junt. Ald. — 547. *Manent.* Codd. et edd. *Propior.* Bonon. cod. Bon. I et II. Junt. Ald. etc. Ed.

ipse ego *fata locosque fovebam*, regioni illi favebam, ut mihi ipsi constarem, qui felicitatem illi olim hanc decrevissem. Cæterum *fata locosque* posuit poeta pro *fata locorum*, uti infra IV, 557.

542. Sed *labat*, mox labetur *Asia*, *poscit sua*, sibi destinata, *me tempora Græcia*, quam *meæ quercus* (Dodonæ) *tripodesque* (Apollinis Delphici) *animæque parentum*, manes majorum ad hanc expeditionem excitarunt. *Nunc*, *Bellona*, animum explebis, *via facta per undas*, *perque hiemes*, per impetuosum mare: *nec vellera tantum indignanda manent:* non ob vellus tantum ereptum indignabitur Asia. (Burmanniana *indignanda: manet propior*, etc. Sed libri ante Carrionem omnes, ipse burmannianus, et editio bononiensis ita, uti dedi: *indignata manent;* addito colo; dedique eo confidentius, quod idem suasisse reperio Biblioth. novam philol. vol. I, fasc. II, p. 261.) *Propior* (non tam remotus loco), subintellecto *est*, *de virgine rapta* (Helena) *dolor; sed nulla magis sententia menti fixa meæ*, idque tam firmiter decrevi, quam quod firmissime; *veniet phrygia pastor ab Ida* (Paris) *qui gemitus*, irasque pares et mutua *dona* (fluctuant hic et libri et interpretes inter *dona et damna;* illud retinui, exquisitius quippe, et ironice accipiendum; hoc facilius est intellectu, sed magis prosaicum et vulgare) *afferet*, magnæ quidem et ipsis Græcis calamitatis auctor erit.—*Qua*, quanta *classe procorum*, Helenam repetentium, *bella effusa? quot hiberna castra*, quot per annos *Mycenæ flebunt* ad Trojam!

Quot proceres natosque deum, quæ robora cernes
Oppetere, et magnis Asiam concedere fatis!
Hinc Danaum de fine sedet, gentesque fovebo
Mox alias: pateant montes, silvæque, lacusque,
Cunctaque claustra maris; spes et metus omnibus esto
Arbiter. Ipse locos terrenaque summa movendo
Experiar, quænam populis longissima cunctis
Regna velim, linquamque datas ubi certus habenas.»
Tunc oculos Ægæa refert ad cærula, robur
Herculeum Ledæque tuens genus, atque ita fatur:
«Tendite in astra, viri; me primum regia mundo
Japeti post bella trucis phlegræque labores

563. *Mea primum.* Bon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. Eo.

553. *Quos* (non *quot*, consentientibus optimæ notæ codicillus, et obsequens *quæ*) *proceres*, regulos, *natosque deum*, *quæ robora*, fortissimos viros, *cernes* Bellona, *oppetere* mortem, *et magnis Asiam concedere*, succumbere, *fatis!*

555. *Hinc*, ex hac Trojæ expugnatione, *Danaum de fine sedet*, Græciæ potentiam frangere certo apud animum constitui; gentesque fovebo mox alias; pateat terra continens omnibus, pateant clausa hucusque maria, *spes et metus omnibus esto arbiter*, prout gens quæque terras in medio positas occupare posse speret, vel aliis concedere cogatur.

558. *Ipse*, *terrena summa movendo*, post translatam modo ad hanc, modo ad illam gentem majorem potentiam, *locos experiar*, obibo terras, uti paulo post v. 567 explorabo, quæ potissimum (nam adhuc dubius sum) digna sit, cui reliquæ omnes quam diutissime pareant, cuique summum imperium meum tuto committam. Miror, quod Romanos suos, quos in animo habuit, diserte non nominet Valerius, quos in cælum extollendi occasionem haud facile dimittunt augusteæ ætatis poetæ.

561. Tunc oculos convertit ad mare Ægæum. — *Robur herculeum*, βίαν Ἡρακλεῦς, Herculem ipsum, sed fortem eum et robustum, *intuens*, *et Ledæ genus*, filios, Castora et Pollucem, atque ita fatur: *tendite in astra viri*, idque meo ipsius exemplo, *quem regia* cæli, Olympus (reliqui dii, concilium deorum), *imposuit mundo*, summum deum, mundi gubernatorem esse voluit (vide infra 668, et Virgilii Georg. I, 503; Æn. VII, 210), sed post bella demum *cum Japeto*, Titane, *truce*, haud parum timendo, et cum Gigantibus *in campis phlegræis* confecta. Propertius, III, 9, 48, juga Phlegræa, et II, 1, 39, tumultus Phlegræos; Statius, Achil. I, 484, castra Phlegræa. Ed.

Imposuit; durum vobis iter et grave cæli
Institui; sic ecce meus, sic orbe peracto
Liber, et expertus terras remeavit Apollo.»
  Dixit, et ingenti flammantem nubila sulco
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum discessit iter, fratresque petivit
Tyndarios; placida et mediis in frontibus hæsit
Protinus amborum, lumenque innoxia fudit
Purpureum, miseris olim implorabile nautis.
  Interea medio sævus permissa profundo
Carbasa pangæa Boreas speculatus ab arce,
Continuo Æoliam Tyrrhenaque tendit ad antra

565. *Imposui*. Bonon. cod. Ed.

565. Locum et vobis in Olympo destinavi, sed labore et periculo defunctis. Sic *Bacchus meus orbe peracto*, toto fere, qua habitatur, terrarum orbe expeditionibus bellicis peragrato ... sic *Apollo, expertus*, qui aliquas saltem lustrans *terras*, aliquandiu abfuit ab Olympo; quod factum, vel, dum pastorem ageret apud Admetum (vide supra 444), vel, dum ad leniendum de Phaethonte filio dolorem Hyperboreos adiret (Apollon. IV, 611), vel, dum sedem oraculo quæreret; vide Hom. hymnum in Apollin. 214; Æschyl. in Eumenidum prologo; Pindari fragmenta, t. III, ed. Heynii, p. 87.

568. *Dixit*, et fulmen misit, quod egregie exornatum : *facem nubila flammantem ingenti sulco direxit per inane*, quod fulmen se divisit in duas flammulas, Castoris Pollucisque frontibus adhæsuras, splendentes illas quidem, sed innoxias, immo *miseris*, periclitantibus, *olim implorabiles nautis*, quibus conspectis serenitatem cælo mox redituram sperent. Locus adumbratus ex Virg. Æn. II, 680-684, et facile agnoscenda electrica materia, quæ per tempestates in malis navium apparet ludibunda (*feu Saint-Elme*).

574. Interea Boreas *ab arce pangæa*, Thraciæ promontorio, naves conspicit, quæ naves poetice efferuntur : *carbasa*, vela, *medio permissa profundo; continuoque*, statim et celerrime tendit ad *Æoliam* insulam Strongylen, hodie *Stromboli*, unam ex Æoliis, quas et Vulcanias et Lipareas appellant (vid. omnino Heyn. Exc. I ad lib. I Æneidos), in *Tyrrheno*, etrusco æquore sitam, et vim suam in via exserit per silvas, *omne nemus rapidis alis ingemit,...* exserit per campos, *strata*, nempe *Ceres*, segetes,... exserit per mare, *nigrescit pontus sub præpete motu* (melius *motu*; vide Bibl. philol. l. l. p. 262), quod, quum mirifice placeret, nihil hæsitabundus in textum recepi.

Concitus: omne dei rapidis nemus ingemit alis,
Strata Ceres, motuque niger sub præpete pontus.
Æquore trinacrio refugique a parte Pelori
Stat rupes horrenda fretis; quot in æthera surgit
Molibus, infernas toties demissa sub undas.
Nec scopulos aut antra minor juxta altera tellus
Cernitur; illam Acamas habitat nudusque Pyracmon.
Has nimbi ventique domos et naufraga servat
Tempestas; hinc in terras latumque profundum
Est iter; hinc olim soliti miscere polumque,
Infelixque fretum; neque enim tunc Æolus illis

585. *Latiumque*. Bonon. I et II. Ed.

579. Advenit, quo tetenderat, in *Æoli antrum*, in quo describendo Valerius profecit a Virgilio Æn. I, 52 sq. quem comparasse operæ pretium erit. *Æquore Trinacrio*, siculo, et *a parte* quidem *refugi*, olim abscissi ab Italia *Pelori*, promontorii Italiam spectantis. *Stat rupes horrenda, quot in æthera surgit molibus, infernas toties demissa sub undas.* Locus profecto et oppositis et sublimitate laudandus: mox fluctibus in tempestate retro cedentibus solito major nubes ferire, mox iisdem redeuntibus sub imas undas depressa, evanuisse videtur. Vide et hic Virgilii Georg. II, 290, 291, ubi de arbore: *Quantum vertice ad auras Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.*

582. Nec *proxima tellus*, insula vulcania (Hiera), quod suadent Cyclopes memorati, *scopulos aut antra minor* (græco more, omisso κατά), minores habet scopulos, aut antra, quæ inhabitant Cyclopes *Acamas, nudusque Pyracmon.* (In nominibus horum Cyclopum variant Mythologi. Virg. Æn. VIII, 425, præter *nudum membra Pyracmonem, Brontem* habet *Steropenque*. Unde noster *Acamanta* sumpserit, nescio; fortasse *Argen* voluit, quem habet Apollod. I, 2.)

584. Hic sedes proprias et imbres, et venti, et tempestates habebant *olim*, hinc in terras et maria libera potestas erat, *hinc olim polum infelixque fretum miscebant*, undas ad cælum usque erigebant, quum regem nondum haberent, donec *Oceanus advena Libya* (Africa) *rumperet*, abrumperet, *Calpen*, oppidum Europæ ad fretum gaditanum, Europam ipsam, *quum flens*, suo damno, *Œnotria* (Italia) *fines siculos*, Siciliam, sui antea partem *perderet*, *et mediis intrarent montibus undæ*, ipsorum montium obstantium molem frangerent. Vide de eadem re canentem Virgilium Æn. III, 417, *Venit medio vi pontus, et undis Hesperium siculo latus abscidit;* et Justinum, IV, 1: *Siciliam ferunt... diremptam velut a corpore*, etc.

Rector erat, Libya quum rumperet advena Calpen
Oceanus; quum flens siculos Œnotria fines
Perderet; et mediis intrarent montibus undæ;
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omnipotens, regemque dedit, quem jussa vereri
Sæva cohors: in monte chalybs iterataque muris
Saxa domant Euros; quum jam prohibere frementum
Ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit
Ipse volens, placatque data fera murmura porta.
Nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto:
« Pangæa quod ab arce nefas, ait, Æole, vidi!
Graia novam ferro molem commenta juventus
Pergit, et ingenti gaudens domat æquora velo;
Nec mihi libertas imis freta tollere arenis
Qualis eram, nondum vinclis et carcere clausus!
Hinc animi structæque viris fiducia puppis,
Quod Boream sub rege vident: da mergere Graios,

588. *Libyæ*. Bon. I et II. Vide Burmanni notam. — 593. *Cohorvis monte*. Vat. cod. *Montem Calibis*. Bon. cod. *Montemque Chalybs*. Bonon. I et II. Junt. Mascr. *Motosque Chalybs*. Ald. — 602. *Qualis erat nondum undis et carcere clusis*. Bonon. cod. *Clausum*. Bonon. I. Ed.

591. Tum vero Jupiter *pavidis*, ita ut paverent, *ventis intonuit, regemque* Æolum *dedit, cui parerent, et monte* (carcere Virg. Æn. I, 141, et noster v. 602) inclusit, in quo *chalybs iterataque muris saxa*, clathri ferrei, et duplex murus, undè non nisi concedente rege (*ipse volens*) et claustra refringente exire possent. Vide Virg. Æn. I, 55 sq.

597. Ad hunc igitur Æolum nuntius venit alte vociferans ita, *ut solio* regem *proturbaret, Boreas: Heus! magnum tibi nefas affero; Græci quidam juvenes* (contemptim) *molem magnam ferro* (securibus) *commenti*, juvenili audacia sibi excogitarunt; *ingenti velo gaudentes* per mare incedunt.

601. Utinam liceret, profecto *imis freta tollerem arenis*. Quam alius ego nunc ab illo! Hæc talis audacia ex eo orta, quod *Boream* (me, sed ἐμφατικωτέρως nomen proprium loco pronominis positum) *sub rege vident*.

604. Age igitur, *da mergere*, permitte ut mergam, *Graios*, *insanamque*, ad insaniam usque temerariam, *navem* (*insanæ aquæ* Ovid. Heroid. I, 16), cui, *nil* enim *me mea pignora tangunt*, quanquam

Insanamque ratem; nil me mea pignora tangunt;
Tantum hominum compesce minas, dum litora juxta
Thessala, necdum aliæ viderunt carbasa terræ. »
  Dixerat; at cuncti fremere intus, et æquora venti
Poscere: tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades: fundunt se carcere læti
Thraces equi, Zephyrusque, et nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus, crinemque procellis
Hispidus, et multa flavus caput Eurus arena;
Induxere hiemem; raucoque ad litora tractu
Unanimi freta curva ferunt, nec sola tridentis
Regna movent; vasto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceoque premit nox omnia cælo.

605. *Pectora*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. *Pignora*. Ald. post Sabellicum et Pium. — 609. *Validam*. Vatic. et Bonon. codd. — Ed.

filios meos, Zeten et Calain et ipsos vehat, non parcam. (Pro *pignora* mavult *viscera* Wakefield, Silv. crit. IV, p. 214. Nil opus.)

608. Cuncti intus cum fremitu poscunt in æquora emitti, Æolusque, *Hippotades*, Hippotæ Trojani ex filia Segesta nepos, *valido turbine portam impellit*, cardines versat, *fundunt*, effundunt *se* (vide ad II, 662) *carcere læti Thraces equi* (*Thraces*, nam Thracia omnino ventorum domicilium priscis habebatur, *equi*, Ζέφυρος ἱππεύσας Euripid. Phœniss. 220. *Eurus siculas per undas equitans*, Horat. Od. IV, 4, 44, ubi vide interpretes), *Zephyrus*, *Notus nocti concolor*, *nimborum cum prole*, filiis quasi originem ventis debentibus, *Eurus procellis crinem hispidus*, cui capilli ventis turbati, horridi sine ordine volitant, *et multa flavus caput arena*, erutis ex fundo maris arenis conspersum habuit caput.

614. Jam ingruit tempestas, ab his, *unanimis*, mota, *rauco tractu*, spiramine, *freta curva*, in altum, in montes curvata, sinuata, *ad litora ferunt*, compellunt, *nec sola tridentis regna* Neptuni *movent*, sed tonitrua etiam et fulgura excitant. Excussi manibus remi, *navis in obliquum*, versa resonat impulsu fluctuum, *vela super tremulum subitus volitantia* (fluitantia Ovid. Met. XI, 470) *malum turbo rapit*. Quam apte delecta epitheta, vivis picta coloribus omnia videmus! Quam imitatur Virgil. Æn. I, 102-105:

Stridens aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, et undis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ
mons.

Vid. not. nost. Ed. t. II, p. 75 sq. Ed.

Excussi manibus remi, conversaque frontem
Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus;
Vela super tremulum subitus volitantia malum
Turbo rapit. Qui tum Minyis trepidantibus horror!
Quum picei fulsere poli, pavidamque coruscæ
Ante ratem cecidere faces, antennaque lævo
Prona dehiscentem cornu quum sustulit undam!
Non hiemem missosque putant consurgere ventos
Ignari, sed tale fretum. Tum murmure mœsto:
« Hoc erat, illicitas temerare rudentibus undas,
Quod nostri timuere patres: vix litore puppim
Solvimus, en quanto fremitu se sustulit Ægan!
Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes?
Tristius an miseris supcrest mare? linquite, terræ,
Spem pelagi, sacrosque iterum seponite fluctus. »
  Hæc iterant, segni flentes occumbere leto.
Magnanimus spectat pharetras et inutile robur

619. *Latus*. Vat. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Vide Heinsii notam. — 629. *Et quanto . . . Ægon*. Codd. et edd. omnes. Ed.

621. Qui tum Minyis horror, *quum picei fulsere poli*, ex nigris nubibus eliduntur fulgura, et *antenna lævo cornu prona*, malo delapsa, *dehiscentem sustulit undam*, undam haurit, et in aera secum rapit ex fluctibus hiantibus.

626. Nesciebant vero Argonautæ, hanc hiemem a diis sibi immissam, sed *tale fretum* hanc maris esse naturam putabant. Tum mœsti secum: *Hoc erat, temerare illicitas undas;* meruimus, qui quod nefas esset (de temere enim illicita, res inprimis sacras (aggredientibus usurpant τὸ *temerare*), susceperimus, *quod nostri timuere parentes* sapientiores... vix enavigamus, *en quanto fremitu se sustulit Ægan*, Ægeum mare. Vide IV, 715. Hiccine jam *concurrunt*, pro simplici sunt, inveniuntur, sed cum respectu ad græcum συμπλέγαδες... *linquite terræ*, homines in continenti viventes, *spem pelagi, sacrosque*, quos tentare religio est, *seponite fluctus*, navigandi studium dimittite.

633. *Hæc iterant, segni flentes occumbere leto*. Segne letum Ovidio Metam. VII, 544; *iners* VIII, 518; *ignavum* Sil. Italic. XIV, 607; *ignobile*, nempe est, cui avertendo frustra vires intendas, quod fortiter oppetere non possis. Hoc doluit inprimis *magnanimus Hercules*, qui spectat pharetras, spectat lacertos,

Amphitryoniades; miscent suprema paventes
Verba alii; junguntque manus; atque ora fatigant
Aspectu tota in misero, quum protenus alnus
Solvitur, et vasto puppis mare sorbet hiatu.
Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus,
Nunc stridens Zephyris aufert Notus : undique fervent
Æquora, quum subitus trifida Neptunus in hasta
Cæruleum fundo caput extulit. « Hanc mihi Pallas,
Et Soror hanc, inquit, mulcens mea pectora fletu,
Abstulerint; veniant phariæ tyriæque carinæ,
Permissumque putent : quoties mox rapta videbo
Vela Notis, plenasque malis clamoribus undas!

637. *Aspectu in misero, tota.* Codd. et edd. ante Carr. Ed.

nulli jam usui futuros. — *Flebant* non propter mortem, sed propter mortis genus, ut Virg. Æ. I, 93. Ed.

636. Vulgo legebatur :

Junguntque manus, atque ora fatigant :
Aspectu tota in misero quum protinus alnus
Solvitur, etc.

Ex his ita positis, fateor, etiam post perlectas interpretum notas, me sensum aliquem idoneum elicere non posse. Plana, ut credo, erunt omnia, si præstantissimi Beckii (hunc enim harlesianæ editionis censorem in Biblioth. phil. fuisse, quovis pretio contenderim), p. 262, emendationem admiseris, qui, sublata post *fatigant*, posita post *misero* interpunctione, unius vero literulæ mutatione, *toti* enim legendum censet pro *tota*, clarissimam lucem affudit loco. Jam vero facillime fluent omnia : *Ora fatigant aspectu toti in misero*, in tam tristi aspectu solo occupati, *quum protinus*, etc.

638. *Alnus solvitur*, rimas agere incipit, easque ita patulas, ut magna undarum vis intret, ut *vasto mare sorbet hiatu*. Jactant jam venti navem, *verberat Eurus, stridens Zephyris aufert Notus*, pro pila quasi utuntur, *undique fervent æquora*.

641. *Neptunus* armatus *trifida hasta*, tridente (Ovid. Metam. I, 330, *tricuspide telo*), efferens caput sic fatur : Pallas et Juno precibus et lacrymis hanc eblanditæ sunt navem; addixi, promissis standum, *abstulerint*, habeant, ne tamen eadem alias libido incessat, *pharias*, ægyptias, *tyriasve* naves! Sed prævideo, proh dolor! plures eadem tentaturas, *plenas malis* miserorum *clamoribus* prævideo *undas*, *nec Orion meus* filius (v. II, 507, et not. ad IV, 123), nec, quæ aliis navigantibus gravia sidera habentur, *Taurus* et *Pleiades*, *mortis novæ* hucusque incognitæ *causæ erunt;* immo tu *Arge*, tuque *Tiphy*, quibus, meruistis enim, nulla mater locum *in elysiis campis*, *piorum* sedibus assignabit.

Non meus Orion, aut sævus Pliade Taurus
Mortis causa novæ; miseris tu gentibus, Argo,
Fata paras; nec jam merito tibi, Tiphy, quietum
Ulla parens volet Elysium manesque piorum. »
  Hæc ait, et pontum pater ac turbata reponit
Litora, depellitque Notos, quos cærulus horror,
Et madido gravis unda sinu, longeque sequutus
Imber ad æoliæ tendunt simul æquora portæ.
Emicuit reserata dies, cælumque resolvit
Arcus, et in summos redierunt nubila montes.
Jam placidis ratis exstat aquis, quam gurgite ab imo,
Et Thetis, et magnis Nereus socer erigit ulnis.
  Ergo humeros ductor sacro velatur amictu,
Æsoniamque capit pateram, quam munere gaudens
Liquerat hospitio, pharetrasque rependerat auro
Salmoneus, nondum ille furens, quum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Jovis, contraque ruentem

651. His dictis, Neptunus *pontum et turbata litora reponit*, quietem reddit, *ventosque depellit*, quos et terga vertentes terribiles videas; *horror cæruleus*, asperum adhuc et trepidum mare, *madido gravis unda sinu*, nubes undis gravidæ, *longeque sequutus imber*, quem diu adhuc oculis prosequi possis... sic igitur *simul tendunt ad æquora portæ æoliæ*; vide supra 579 sq.

655. *Emicuit reserata* (duæ, nec injucundæ, metaphoræ), *dies*, et *arcus* cælestis *resolvit*, reclusit, *cælum;* serenitatem reduxit. Navis placido mari exstat, ab ipsis diis marinis *Thetide* et *Nereo*, in gratiam Pelei Argonautæ, qui illam conjugem, hunc socerum habuit, *erecta*.

660. Jason, gratiam Neptuno acturus, *sacro amictu velatus*, *æsoniam* ab Æsone patre acceptam capit *pateram auream*, quam hospitale donum pro pharetris olim Æsoni dederat *Salmoneus*, *nondum ille furens*, nondum stulte impius, uti postea temporis, quum Jovis fulmina imitari sustineret.

662. Hoc nescio, an nimis docte et alieno loco sic extulerit poeta: *Quum fingeret quadrifida trabe* (*trabs* bene et σκωπτικῶς cum ipso fulmine comparata; fortasse et hominis stultitiam ridendam proponere voluit Valerius eo, quod, quum Jovis fulmen non nisi trifidum esset, quadrifida trabe Salmoneus uteretur) *ruentemque* tonantem (Horat. Od. I, 16, 12, *horrendo ruentem tumultu*), *Jovem contra Atho* (non *Athon*, uti vulgati, quod metro in syllaba posteriori repugnat; vide Heyn. ad

Aut Atho, aut Rhodopen; mœstæ.nemora ardua Pisæ,
Æmulus et miseros ipse ureret Elidis agros
Hac pelago libat latices, et talibus infit:
« Di, quibus undarum tempestatisque sonoræ
Imperium, et magno penitus par regia cælo,
Tuqne, fretum divosque, pater, sortite biformes,
Seu casus nox ista fuit, seu volvitur axis,
Ut superum sic staret opus; tollique vicissim
Pontus habet; seu te subitæ nova puppis imago
Armorumque hominumque truces consurgere in iras
Impulit, hæc luerim satis, et tua numina, rector,
Jam fuerint meliora mihi; da reddere terris

671. **Locus corruplus, sic forsan restituendus:** ***seu, volvitur axis Ut superum, sic stare et opus tollique vicissim Pontus habet.*** **Ed.**

Virg. Georg. I, 332, ubi et Athos et Rhodope itidem junguntur. Aliis tamen locis priorem syllabam semper corripit Noster. Quidni vero et hic brevem syllabam tueri liceat, si ultimam literam in Ἀθῳ non elidas, sed græco more ob sequentem vocalem corripias?) *aut Rhodopen*, sic Salmoneus, *Jovis æmulus*, in suas terras sæviret, *ardua Pisæ* (per prolepsin) *nemora et Elidis*, cujus rex erat, *agros ureret*. Ne longus sim, comparari velim Virgil. Æn. VI, 585, cui nonnulla sublegit Noster.

666. Ex hac igitur patera *libat latices*, vinum (laticem lyæum Virg. Æn. I, 600), Jason, bis additis precibus: *dii marini*, quorum *regia*, palatium, imperium (vide supra v. 563) non minus amplum, quam Olympi est, tuque, Neptune, cui sorte contigit mare, *divique biformes* (ut Scylla et alii aliæque), *seu casus nox illa*, quæ tantam nobis tempestatem intulit (hoc facile, non item, quæ sequuntur), *seu volvitur axis, ut superum sic staret opus* (et hoc fortasse exponi sic possit: fieri potuit, ut terræ motu concutiendus esset orbis, ut æquali ubique pondere libraretur), *tollique vicissim pontus habet;* hic vero hæret aqua, nam *vicissim* quo referam, non reperio, nec τὸ *habet* sensum fundit. Malim igitur cum *Oudendorpio* ad Frontini edit. sec. p. 66, cui et Cel. *Beckius*, l. l. accedit, sic interpungere et reponere: *seu volvitur axis vi superum, seu sidere opus, tollique vicissim*, hoc sensu: seu necesse sit, ut mare mox quiescat, mox moveatur. *Opus habet*, sic infinitivo additum singulare quidem est, quod recte monet Beckius; sed singularia amat Valerius.

672. *Seu* conspectus *navis armatæ subitus* ad iram te concitaverit, satis memet luisse putaverim; et *tua*, Neptune, *numina* (sic sæpe de *uno*

Has animas, patriæque amplecti liminæ portæ.
Tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
Pascet honos, ubicumque rotis horrendus equisve
Stas, pater, atque iugens utrimque fluentia Triton
Frena tenet, tantus nostras condere per urbes. »
Dixerat hæc; oritur clamor, dextræque sequentum
Verba ducis. Sic, quum stabulis et messibus ingens
Ira deum et calabri populator Sirius arvi
Incubuit, coit agrestum manus inscia priscum
In nemus, et miseris dictat pia vota sacerdos.
Ecce autem molli Zephyros descendere lapsu
Aspiciunt; volat immissis cava pinus habenis,
Infinditque salum, et spumas vomit ære tridenti:

617. *Limina*. Bonon. cod. et edd. ante Heinsium revocavit Wagner. pro *limine*. — 678. *Pascit*. Vatican. et Bonon. codd. *Equisque*. Bonon. cod. Bonon. I et II. et aliæ ante Carrion. — 679. *Stat*. Vatic. et Bonon. codd. In Bonon cod. *Stas* pro varia lectione. — 680. *Tantum*. Bonon. codd. et edd. *Concede*. Codd. et edd. — 681. *Dextraque sequentum*. Codd. et edd. *Dextræque sequuntur*. Ald. — 684. *Anxia*. Codd. et edd. ante Carrion. Ed.

deo poetæ; vide infra IV, 34), *jam sint meliora*, magis propitia.

677. Quod si facias, *meritas tibi aras plurimus pascet honos* plurimarum victimarum sanguine et carnibus onerabo altaria tua, et quantus in aliis urbibus *stas rotis equisve horrendus*, curru vasto venerabilis (sine dubio ob oculos habuit opus antiquum poeta), tantum et in urbibus erigam nostris.

681. Idem læti vovent Argonautæ, hoc enim est *sequuntur verba ducis*, non secus ac, quum gregibus et campis *Calabri populator Sirius arvi*, nimius solis æstus damnum intulit, *agrestum manus inscia* (magis placet *anxia*, quod præter alios codices Harlesianus etiam præfert, et placet eam inprimis ob causam, quod Argonautas cum *inscii*s, superstitiosis stupidisque agrestibus comparare voluisse Valerius vix credendus est) *in priscum*, antiquitate religiosum, *nemus coit*, et præeunte sacerdote vota nuncupat.

686. Placidi jam spirant venti, volat *immissis*, incitatis, *cava pinus habenis*, quas sæpe navibus dant poetæ; vide IV, 679-680, *infinditque salum*, sulcos trahit per æquor, et *spumas vomit ære tridenti*, rostris; vide Virg. Æn. V, 143, et Scheffer. de militia navali, II, 5, p. 126. Adumbravit locum ex Virg. Æn. I, 35, *spumas salis ære ruebant*, sed, quod imitatores solent, idem pulchrius efferre affectavit, nec infeliciter ad meum sensum, Noster: navis ære *tridenti*, rostro trifido,

Tiphys agit, tacitique sedent ad jussa ministri;
Qualiter ad summi solium Jovis omnia circum
Prona, parata deo; ventique, imbresque, nivesque,
Fulguraque, et tonitrus, et adhuc in fontibus amnes.
At subitus curaque ducem metus acrior omni
Mensque mali præsaga quatit, quod regis adortus
Progeniem, raptoque dolis crudelis Acasto,
Cætera nuda neci medioque in crimine patrem
Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis,
Ipse procul nunc tuta tenens; ruat omnis in illos
Quippe furor; nec vana pavet; trepidatque futuris.
Sævit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto
Vela videt, nec qua se ardens effundere possit;
Nil animi, nil regna juvant; fremit objice ponti
Clausa cohors, telisque salum facibusque coruscat.
Haud secus, ærisona volucer quum Dædalus ora

704. *Ira*. Vat. et Bonon. codd. Bonon. I et II. *Ida*. Junt. post Pium. Maser. Ald. Heins. *ora*. codd. Carr. et Burmanni. Ed.

vomit spumas, præ se agit atque propellit.

689. *Tiphys agit*, gubernat, *tacitique sedent ad jussa* remiges, omnes ei parent haud aliter ac Jovi, *ad cujus solium omnia prona*, prompta, festinantia, venti, imbres, etc. *amnes* adeo *fontibus inclusi*. Comparatio Tiphyi admodum honorifica.

693. At Jasonis animum *præsagientem* subit metus, quod *crudelis* ulciscendi cupidus atque *dolose* Acastum patri abduxerit, *cætera*, suos omnes, *neci nuda*, exposita, *medioque in crimine patrem liquerit*, quod post Maserium recte Burmannus exponit: *in criminis* suspicione, qui nempe, nisi auctor suasorque, conscius tamen rapinæ illius Peliæ fuisse videri possit, *ac nullis inopem*, senio confectum, *vallaverit armis*, præsidiis, quibus ab injuriis sese defenderet... *ruat omnis in illos*, patrem et matrem, *furor; nec vana pavet*, haud inanis est timor.

700. *Sævit atrox Pelias*, videt e vertice montis navem, non videt, qua ratione iram possit effundere. *Nil animi, nil regna juvant*, nil prodest, quod fortis, quod rex sit. Colligitur repente armata manus, eaque fremit quasi *obicem* sibi objectum mare, prosequitur tamen, *telisque salum facibusque coruscat*, arma facesque illustrant mare nocturnum, sed labor æque inanis, ac olim *Minois*, qui Cretæ rex, *Dædalum* fuga Siciliam assequutum navibus et bello frustra aggressus est. En.

704. Hæc pinguntur: *Quum Dæ-*

Prosiluit, juxtaque comes brevioribus alis,
Nube nova linquente domos, Minoia frustra
Infremuit manus, et visu lassatur inani
Omnis eques, plenisque redit Gortyna pharetris.
Quin etiam in thalamis primoque in limine Acasti
Fusus humi, juvenis gressus et inania signa
Ore premit; sparsisque legens vestigia canis;
« Te quoque jam mœsti forsan genitoris imago,
Nate, ait, et luctus subeunt suspiria nostri;
Jamque dolos circumque trucis discrimina leti
Mille vides; qua te, infelix, quibus insequar oris?
Non scythicas ferus ille domos, nec ad ostia Ponti
Tendit iter, falsæ sed captum laudis amore
Te, puer, in nostræ durus tormenta senectæ
Nunc lacerat: celsis an si freta puppibus essent
Pervia, non ultro juvenes classemque dedissem?
O domus, o freti nequidquam prole penates! »

721. *Nepotes.* Vat. et Bonon. codd. et Carr. codd. Junt. *Parentes.* Bonon. II. Ald. *Penates.* Balbus. Ed.

dalus ora ærisona, terra metallifera, nam ibi officinas habebant ferrarias Telchines, primum Cretæ, deinde Cypri, postea Rhodi incolæ, vide Strab. XIV, p. m. 966; *prosiluit*, subito effugit, evasit *volucer* alatus, *juxtaque comes*, Icarus filius puerulus, *brevioribus alis; nube nova*, umbra, quam utrique cælum pervolantes projiciebant, *linquente domos*, *minoia manus*, equites et pedites Minois, *consurgit*, sed pedites infremunt frustra, *equites lassantur inani visu*, tædet avolantes diutius non nisi oculis prosequi, sagittas, quarum usu maxime inclyti erant Cretenses, expedire non potest, *pharetras refert plenas* in urbem *Gortyna*. (Accusativus h. l. uti recte monet Heinsius. Nominativus est Gortyn, Gortys et Gortyna; vide Eustath. ad Dionys. v. 88.)

709. *Funditur humi Pelias*, in thalamis, ipsoque in limine domus, quam filius inhabitaverat, imagines ejus, locaque, ubi steterat, osculatur, fusis capillis legit vestigia.

712. Jam iu sermone ad filium absentem directo, non parcit quidem Jasoni, filio tamen et ipsi exprobrat quodam modo intempestivum laudis amorem. Vere si credidissem, *freta esse pervia*, laudi tuæ non invidissem, *ultro classem* classiariosque *dedissem*. *O domus, o freti nequidquam prole penates!* Sic, quam

Dixit, et extemplo furiis iraque minaci
Terribilis: « Sunt hic etiam tua vulnera, prædo,
Sunt lacrimæ carusque parens. » Simul ædibus altis
Itque reditque fremens, rerumque asperrima versat.
Bistonas ad meritos quum cornua sæva Thyoneus
Torsit, et infelix jam mille furoribus Hæmus,
Jam Rhodopes nemora alta gemunt; talem incita longis
Porticibus conjuxque fugit, natique Lycurgum.
Tartareo tum sacra Jovi Stygiisque ferebat
Manibus Alcimede, tanto super anxia nato,
Si quid ab excitis melius prænosceret umbris.
Ipsum etiam, curisque parem, talesque prementem
Corde metus ducit, facilem tamen, Æsona conjux.
In scrobibus cruor, et largus Phlegethontis operti

725. *Regumque.* Vatican. et Bonon. codd. Bonon. I et II. *Rerum.* Junt. Maser. Ald. etc. — 735. *Aperti.* Codd. et edd. ante Carrion. Ed.

de filio conceperam, spem egregiam, factam video irritam.

722. Sed jam ira redit ad Jasonem: *Sunt hinc etiam tua vulnera, tuæ lacrimæ* (Virgil. Æn. I, 462, *sunt hic etiam... lacrimæ rerum*), et ego tibi vulnera infligere, lacrymas tuas ciere possum; in manibus patrem habeo tuum.

726. Mortem igitur Æsoni intendit, sic tremens atque furens, uti olim *Thyoneus* (Bacchus a θύειν, *furere*, unde etiam Bacchæ Thyades), quum *cornua* (hæc enim addunt poetæ) *sæva ad Bistonas* (Thracas) *meritos*, non sine causa, *torsit*, et tota Thracia, quam silvis et montibus circumscribit Valerius, tremeret, maxime tamen *Lycurgum*, qui vites omnes per Thraciam cradicari jusserat, persequutus in furorem dedit, ut *conjux incita*, celerrime, et *nati* hominem longe fugerent.

730. Forte accidit, ut eo ipso tempore *Alcimede*, de filio Jasone anxia, *Tartareo Jovi*, Plutoni (Sophocl. Œdip. Colon. 1606, Ζεὺς χθόνιος. *Pater Tartareus* infra hoc lib. 828. *Jupiter tremendus*, III, 385. *Jupiter niger* Silio, VIII, 16. *Stygius* apud eumdem, I, 386) sacra faceret, *deosque Manes excitaret*. Non sine causa Valerius Alcimeden, nam feminæ futuri curiosiores esse solent, hæc sacra facienda demandavit; *Æsona tamen facilem habuit*, facile persuasit, qui non minus, quam ipsa, de filio esset sollicitus.

735. *In scrobibus*, fossis, has enim excavabant in sacris diis inferis faciundis, *cruoris largus honos*, ita largus, ut in fossis *stagnaret*, *funditur Phlegethonti operto*, apud inferos flumini.

Stagnat honos, sævoque vocat grandæva tumultu
Thessalis exanimes atavos, magnæque nepotem
Pleiones : et jam tenues ad carmina vultus
Extulerat, mœstosque tuens natumque, nurumque,
Talia libato pandebat sanguine Cretheus:
«Mitte metus: volat ille mari; quantumque propinquat,
Jam magis atque magis variis stupet Æa deorum
Prodigiis, quatiuntque truces oracula Colchos.
Heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror
Pergit! mox Scythiæ spoliis nuribusque superbus
Adveniet; cuperem ipse graves tum rumpere terras.
Sed tibi triste nefas, fraternaque turbidus arma
Rex parat, et sævos irarum concipit ignes.
Quin rapis hanc animam, et famulos citus effugis artus?

742. *Acta.* Codd. et edd. omnes. *Æa.* Gronovius. — 749. *Hinc animam.* Codd. et edd. omnes ante Alardum. Ed.

736. Adstans *Thessalis* Alcimede *grandæva* senex magno clamore provocat manes majorum, *magnæque nepotem Pleiones*, Mercurium, cujus et apud inferos magna fuit potentia, implorat, ut umbris concederet aliquantisper ad supernas regiones redire.

738. Jam *Cretheus*, Æsonis pater, his Alcimedea carminibus excitatus, *tenues* (nam apud inferos omnia sunt exilia, tenuia, levia, inania) *vultus effert*, filiumque nurumque ita affatur : Nolite timere de filio, *volat ille* per maria; Æa, urbs Colchorum, Colchisque tota trepidant. — *Quatiunt*, percellunt, timore implent (vid. II, 122; V, 273) prodigia omnes et oracula. — *Qui horror*, quam timendus, *pergit* in itinere! mox Scythiæ spoliis onustus, captisque feminis superbiens, rediturus, cui triumpho utinam ipse possim adesse.

747. Celare tamen non possum, *fratrem* patruelem Pelian dira omnia tibi, mi Æson, parare. Tu vero prævertas voluntaria morte, eaque cita, *rapias animam, et famulos effugias artus.* (*Famulos* refert Burmannus ad Pelian, hoc sensu : nisi prævenias, perpetuo te servitio ille addicet. Ego vero malim *animæ* jungere, cui, parti hominis diviniori, corpus terrestre debet parere; qui sensus melius adeo pateret, si pro *effugis* reponere velis *exuis*). Sic igitur, mi fili, facias. Exspectamus te, ego pater, et *Æolus*, non qua ventorum deus, sed avus, *volitans*, quatenus umbra est, in Elysiis campis.

I, meus es; jam te in lucos pia turba silentum,
Secretisque ciet volitans pater Æolus antris. »
  Horruit interea famulum clamore supremo
Mœsta domus, regemque fragor per mœnia differt
Mille ciere manus, et jam dare jussa vocatis.
Flagrantes aras, vestemque, nemusque sacerdos
Præcipitat, subitisque pavens circumspicit Æson,
Quid moveat. Quam multa leo cunctatus in arcta
Mole virum, rictuque genas et lumina pressit;
Sic curæ subiere ducem, ferrumne capessat
Imbelle, atque ævi senior gestamina primi;
An Patres, regnique acuat mutabile vulgus.

751. *Arvis.* Codd. et edd. ante Carrion. — 761. *An patres regni ac variis.* Bonon. cod. Ed.

752. Interea Peliæ regiam mœstam *clamore supremo*, alias conclamatione in mortuis, an forte in vitam revocari possint, usitata, *famuli ad horrorem* usque implent, de Acasto recuperando desperantes. *Fragor*, tumultus, *regem per mœnia differt*, rex tumultuose per vias omnes discurrit, *mille ciet manus*, jubetque, quæ civibus facienda sint. — Vid. ad calcem hujus libri not. 752 et 753, ubi sensum longe diversum reperies. Ed.

755. *Sacerdos* sacra faciens Æson *flagrantes aras, vestesque, nemusque præcipitat.* Interpretes omnes de sacrificio *parando* accipiunt. Nollem factum! Sacra fecit Æson v. 735. Nec lignorum multitudinem, quam in *nemore* invenisse sibi videntur, agnoverim ideo, quod *aræ jam flagrarent.* Ego igitur in alia omnia discedo, habeoque mihi persuasum, Valerium de *finiendo* sacrificio cogitasse. Properavit Æson, ut deflagrarent aræ, ut deponeret vestem sacram, ut nemore exiret. Sic vero, præterquam quod interpretatio mea v. 774, ubi *sacra novantur*, comprobatur, et h. l. omnia optime cohærent.

757. Tumultuarius urbis clamor Æsonis in nemore versantis aures feriebat; dubius est, quid faciat, *leonis instar*, qui, quum magno venatorum numero coarctatum se videt, *rictuque genas et lumina pressit*, quod non intelligo, nisi præeunte Columbo legere liceat *rictumque gemens* et interpretari, iram vultu præferens (*gemere* enim uti de quocumque sono, ita etiam de ira vultu expressa usurpare poetas, docuit me *Ruperti* ad Sil. Ital. I, 475), *pressit*, dentes collisit.... *et lumina pressit*, nictat, oculis argutatur. Similis locus, III, 739, *dolor attrahit orbes*.

759. Sic igitur dubius adstitit Æson, *imbellisne* senex *ensem juventutis* olim *gestamen* arriperet, an se-

Contra effusa manus, hærensque in pectore conjux:
« Me quoque, ait, casus comitem, quicumque propinquat,
Accipies; nec fata traham; natumque videbo
Te sine, sat cæli patiens, quum prima per altum
Vela dedit, potui quæ tantum ferre dolorem. »
  Talia per lacrimas; et jam circumspicit Æson,
Præveniat quo fine minas, quo fata capessat
Digna satis; magnos obitus natumque domumque,
Et genus Æolium, pugnataque poscere bella.
Est etiam ante oculos ævi rudis altera proles,
Ingentes animos et fortia discere facta
Quem velit, atque olim leti meminisse paterni.
Ergo sacra novat: veteris sub nocte cupressi

764. *Accipias.* Bonon. cod. Pins. Maser. — 771. *Ævum.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. *Ævi.* Bonon. II. Carr. cod. *Rerum.* Junt. Maser. Ald. Ed.

natum populumque in auxilium vocaret; v. supra 71.

762. Ita fluctuantem erigit Alcimede. Locus suavissimus, dulcissima conjugalis amoris imago. *Effusa manus*, græco more, pro effundens, protendens manus, maritum amplectitur. *Me quoque*, ait, cujuscumque casus comitem habebis, *nec fata traham*, protrahere vitam velim, *sat cæli patiens*, satis diu quæ vixi, *nec sine te natum* adeo, in quo mihi sunt omnia, *videbo*, videre velim, *quæ potui tantum ferre dolorem*, quæ vici dolorem ex abitu ejus conceptum, *quum primum per altum vela dedit*. Sic ordinata, nam structura verborum in contexto implicatior, clara sunt omnia.

767. Talia *per lacrimas*, lacrimans fata quum esset, Æson mori statuit, incertus *quo fine*, quod genus mortis eligeret sese dignum. *Natus* et *domus*, generis nobilitas, et avus *Æolus* et *bella pugnata*, res olim insigniter gestæ, *magnum obitum*, præclaram mortem postulant. Versatur etiam ob oculos *alter filius*, *ævi rudis*, puerulus adhuc (Promachus), quem morte voluntaria ad ingentes animos et fortia facta, *atque olim leti meminisse paterni*, ad necem patris ulciscendam malit excitare.

774. *Ergo sacra novat*. vid. v. 755. *Veteris sub nocte*, umbra, *cupressi*, *sordidus et multa palleus ferrugine*, ferrei coloris, fuscus, *stabat adhuc* ex interrupto sacrificio *taurus*, *cui ceruleæ*, nigræ (v. Virgil. Æn. III, 64, et infra III, 400), *per cornua vittæ*, *et taxi* (cujus arboris succus et rami apud inferos etiam in usu erant: nam, si Statio credimus, Theb. VIII, 9, furiæ faces ex hac arbore parabant) *frons hirta comis*,

Sordidus, et multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc, cui cæruleæ per cornua vittæ,
Et taxi frons hirta comis; ipse æger, anhelans,
Impatiensque loci, visaque exterritus umbra.
Hunc sibi præcipuum, gentis de more nefandæ,
Thessalis in seros Ditis servaverat usus.
Tergeminam tum placat heram, stygiasque supremo
Obsecrat igne domos, jamjam exorabile retro
Carmen agens: neque enim ante leves niger avehit umbras
Portitor, et cunctæ primis stant faucibus Orci.
Illum ubi terrifici superesse in tempore sacri

corona taxea (fuscus taurus, nigræ vittæ, taxi corona, omnia in sacris adhibita, quæ diis inferis fierent); *impatiens loci*, maluisset aufugere, *visaque exterritus umbra* Crethei.

779. In his versiculis me offendit *nefandæ;* nam si Thessalis non est saga quædam, quæ præter Æsonem et Alcimeden adesset, quod Vossio placuit, sed Alcimede ipsa, uti ego existimo, non satis honorifica huic vox illa videtur, quæ quamquam non ipsi, sed *genti* jungitur, nihil tamen inde ad excusandam Alcimeden efficitur, quæ nefandæ gentis moribus sese accommodare non debuit; ideoque malim post *more* incidere, et aliud loco *nefandæ* substituere verbum, quod tamen non statim occurrit.

781. *Tergeminam tum heram*, Hecaten triformem, *placat*, *stygiasque domos obsecrat*, deos inferos obtestatur, *jamjam exorabile retro carmen agens*, quod ego ita accipio: agit (vid. IV, 87; *movet*, V, 100) *carmen* interruptum antea, quod suadere τὸ *jamjam* videtur, *retro*, denuo incipit (retro enim de tempore etiam usurpari notum est), et *exorabile* quidem, quod optaret exaudiri; nec aliter explicuerim *non inexorabile*, *quod petimus*, infra V, 321. Video Burmannum Gesnerumque in Thes. h. v. active hoc verbum sumere nostro loco; nec me fugit *medicabile carmen*, V, 87, quod ibi active sumi necesse est, h. l. non item.

783. *Neque enim ante leves*, tenues, exiles, *niger avehit umbras portitor*, quod mihi non ad solum carmen pertinere videtur, sed ad totum sacrificandi actum: cymba non ante excipit eas Charon, quam deos inferos propitios inferiis sibi reddiderint, *et cunctæ*, quotquot sunt, *primis stant faucibus Orci*, ad limina regni Plutonii consistendum omnibus est. Erat, ubi pro *cunctæ* conjicerem *functæ*, vita defunctæ, mortuæ, quæ vox hoc sensu apud aureæ ætatis poetam Albinovanum, 393, legitur, sed et hoc frigere animadverti.—Vide ad calcem hujus libri, not. 782. Ed.

785. *Taurum ubi terrifici sacri in tempore conspexit*, opportune ad sa-

Conspexit, statuit leto; supremaque fatur,
Ipse manu tangens damnati cornua tauri:
« Vos, quibus imperium Jovis, et non segne peractum
Lucis iter, mihi conciliis, mihi cognita bellis
Nomina, magnorum fama sacrata nepotum;
Tuque, excite parens umbris, ut nostra videres
Funera, et oblitos superum paterere dolores,
Da placidæ mihi sedis iter, meque hostia vestris
Conciliet præmissa locis. Tu, nuntia sontum
Virgo Jovi, terras oculis quæ prospicis æquis,
Ultricesque Deæ, Fasque, et grandæva Furorum
Pœna parens, meritis regis succedite tectis,
Et sævas inferte faces; sacer effera raptet
Corda Pavor: nec sola mei gravia affore nati
Arma, ratemque putet; classesque, et pontica signa,
Atque indignatos temerato litore reges
Mente agitet, semperque metu decurrat ad undas

800. *Classes et.* Vatic. cod. Ed.

cra inferis facienda adstantem morti eum destinat, tactisque cornibus, ante obitum manes majorum invocat.

788. *Vos, quibus non segne peractum lucis iter*, vita laboribus fortiter transacta, *consiliis*, prudentia *bellisque cognita mihi nomina, magnorum fama sacrata nepotum*, quæ nepotes, et ipsi magni, posteritati commendarunt.

791. *Tuque excite parens* (Cretheum putat) *umbris, ut nostra videres funera*, calamitates, *et oblitos*, ex quo Lethes aquas bibisti, *superum*, viventium (τῶν ἄνω; vid. 827, res supernas), *paterere labores, da mihi placidæ sedis iter*, fave meo ad inferos itineri.

794. Jam vero insurgit in Pelian oratione, iræ, indignationis et dirarum plena. *Tu nuntia sontum virgo Jovi* (Astræa; vid. II, 363, ubi *flagitat iras in populos*), *ultricesque deæ*, furiæ, *Fasque*, Justitia, *et grandæva Furorum Pœna parens*, furia maxima, v. 817 (vid. VII, 147), *meritis regis* Peliæ *succedite tectis* (pro *meritis* Heinsius et Marklandus maluerunt *meriti*, quod facilius, illud magis poeticum); *sacer*, terribilis, *Pavor* (vid. II, 204-287), *effera raptet corda*, subito totum occupet animum, ut non unam Jasonis mei navem, sed classes regum Ponti, indignantium, quod ratem ipsis *temere* immiserit, metuat... ut mori optet, nec tamen possit, donec Jasonem vellus reportantem viderit.

Arma ciens; mors sera viam tentataque claudat
Effugia, et nostras nequeat præcurrere diras;
Sed reduces jamjamque viros, auroque coruscum
Cernat iter; stabo insultans, et ovantia contra
Ora manusque feram : tum, vobis si quod inausum,
Arcanumque nefas, et adhuc incognita leti
Sors superest, date fallaci pudibunda senectæ
Exitia, indecoresque obitus : non marte, nec armis,
Aut nati precor ille mei dignatus ut unquam
Ense cadat; quin fida manus, quin cara suorum
Diripiat, laceretque senem, nec membra sepulcro
Contegat : hæc noster de rege piacula sanguis
Sumat, et heu! cunctæ, quas misit in æquora, gentes. »
Adstitit, et nigro fumantia pocula tabo
Contigit ipsa gravi furiarum maxima dextra;
Illi avide exceptum pateris hausere cruorem.
Fit fragor; irrumpunt sonitu, qui sæva ferebant

808. *Incondita.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Pius. *Incognita.* Junt. Maser. Ald. — 811. *Nati* abest a Vatic. cod. — 812. *Quæ fida manus quæ.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. *quem ... quem.* Bonon. II. Maser. — 815. Hic versus reperitur post vers. 822 in Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. En.

806. Tum vero *stabo insultans* tibi ego, exsultans præ gaudio; tum vos, dii deæque scelerum vindices, si quod habetis mortis genus inauditum adhuc, incognitum et turpe, huic inferte fallaci seni... ne cadat in prælio (*magno obitu*, supra 768), nec manu Jasonis, quo honore indignus esset.... ipsi ejus milites et cognati diripiant, lacerent, insepultum projiciant.

814. Hoc, hoc *piaculo* pascat oculos Jason meus, hoc *cunctæ*, quas maris periculis exposuit, *gentes*, familiæ Argonautarum.

816. *Adstitit*, statim præsto fuit, *furiarum maxima* (Virg. Æn. II, 152; VI, 605; erat enim alia major natu, alia minor) *tangit gravi manu taurino fumantia pocula tabo*, sanguine (vid. II, 212; IV, 749), quem avide hauriunt Æson et Alcimede. Hoc proprie, de Æsone saltem, accipi debere, jubent Diodor. Sic. IV, 50, et Apollodorus, I, 9, 27: Αἴσων θυσίας ἐπιτελῶν ἀδεῶς τοῦ ταύρου αἷμα σπασάμενος ἀπέθανεν.

819. *Fit fragor, irrumpunt* a Pelia missi *sonitu* (mire languet, ait loco sæpius laudato Beckius, p. 262,

Imperia, et strictos jussis regalibus enses.
In media jam morte senes, suffectaque leto
Lumina, et undanti revomentes veste cruorem
Conspiciunt; primoque rudem sub limine rerum
Te, puer, et visa pallentem morte parentum
Diripiunt, adduntque tuis: procul horruit Æson
Excedens, memoremque tulit sub nubibus umbram.
  Cardine sub nostro, rebusque abscisa supernis
Tartarei sedet aula patris; non illa ruenti
Accessura polo, victam si solvere molem
Jupiter, et primæ velit omnia reddere massæ.
Ingenti jacet ore Chaos, quod pondere fessam

827. *Adcisa*. Vat. et Bonon. codd. In margine Bonon. cod. *excisa* semota. *Accisa*. Junt. *Abscissa*. Ald. Carr. cod.—829. *Volvere*. Codd. et edd. ante Burmann. — 830. Hic versus abest a Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. Adscriptus erat margini in Carr. cod. Illius loco duos sequentes habet Ald. ex Pii commentariis: *Senserit, atque gravi totam subsidere motu Fata velint, si summa dies subverterit orbem*. Horum posterior tantum legitur in Engentini Argent. Colin. Gryp. etc. Ed.

quum præcesserit *fragor*: emendant *foribus, domini, senibus*; miror nemini in mentem venisse *subito*, quod videtur maxime accommodatum), inveniunt in agone mortis senes, *suffecta leto lumina*, suffusa pallore ora. (Sic Virg. Æn. II, 210, *suffecti sanguine oculi*; Valer. II, 105, *maculis suffecta genas*; Ovid. Metam. IV, 145, *oculi morte gravati*) *conspiciunt*, et *undanti revomentes veste cruorem*, magnam sanguinis copiam emittentes; v. sup. 688.

823. Diripiunt igitur *primo rudem sub lumine rerum*, primos vitæ annos agentem, puerulum Promachum, *visa parentum morte pallentem*, quibus eum dant comitem moribundis. Cujus nefandæ cædis Æson spectator *procul horruit, memoremque tulit sub nubibus umbram*, ulciscendi cupiditatem ad inferos secum abstulit.

827. Finem imponit poeta huic libro describendis inferorum sedibus. *Tartarei sedet aula patris*, domus Plutonia, tam longe remota, *supernis rebus abscissa*, ut, etiamsi Jupiter *victam*, detritam, *molem*, mundi superioris compagem, *solvere, et primæ velit omnia massæ reddere* rudi illi et indigestæ, ruina tamen ipsa eam non attingeret.

831. *Jacet*, amplitudinem pingit, *Chaos*, h. l. non memorata modo rudis et indigesta moles, sed aula Plutonis ipsa, quo sensu apud nostrum, II, 86, et alibi, sæpe apud alios, græcos etiam, poetas occur-

Materiem, lapsumque queat consumere mundum.
Hic geminæ æternum portæ: quarum altera, dura
Semper lege patens, populos regesque receptat;
Ast aliam tentare nefas, et tendere contra:
Rara et sponte patet, si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens, galeis præfixa rotisque
Cui domus, aut studium mortales pellere curas,
Culta fides, longe metus atque ignota cupido;
Seu venit in vittis, castaque in veste sacerdos.
Quos omnes lenis plantis, et lampada quassans
Progenies Atlantis agit: lucet via late
Igne dei; donec silvas et amœna piorum
Deveniant, camposque, ubi sol, totumque per annum
Durat aprica dies, thiasique, chorique virorum,

845. *Chori virorum.* Vatic. cod. Ed.

rit; v. Hesiodi Theog. v. 700, pater Noctis et Erebi; Virg. Æn. VI, 265; — *ore* tam *ingenti*, ut *pondere fessam materiem*, si fractus delabatur orbis, totum eum possit, non excipere, sed *consumere*.

833. Hic *duæ æternum*, inde ab initio rerum, *portæ*, quarum altera, *dura* immutabili *lege semper patens*, *populos regesque*, summos et imos, *receptat;* alteram *tentare nefas et tendere contra*, intrare vi adeo adhibita volentibus non licet, *rarius* patet, sed *sponte*, lubens accipit egregie in hac vita meritos, fortes heroas, *vulnera gerentes* (in) *pectore*, non tergo, *quibus galeis præfixa rotisque domus est*, qui spoliis, exuviis curribusque hostium (v. Sil. Ital. VI, 434, in primis Virg. Æn. VII, 184, ubi Heynius non ipsos currus, sed fictilia signa eorum suspensa fuisse recte existimat) domos exornarunt.

838. Quibus *studium mortales pellere curas*, qui vitam humanam minus molestam, jucundiorem novis inventis fecerunt... quibus *culta fides*, probitas, καλοκαγαθία... *quibus longe metus, atque ignota cupido*, qui pravis animi affectibus abripi se non passi... denique pii deorum ministri, *seu venit in vittis, castaque in veste sacerdos.*

841. Hos omnes *lenis*, propitius, hilari vultu *plantas* (sic lego, commate post *lenis* posito, pro *plantis*)... *plantas* igitur, alas talares *et lampada quassans progenies Atlantis* Mercurius *agit*, unde ψυχοπομπὸς, ψυχαγωγὸς; vid. Horat. Od. I, 10, 17; I, 24, 28.

842. *Lucet* tenebricosi Erebi aditus, *late igne*, face, lampade dei,

Carminaque, et quorum populis jam nulla cupido.
Has pater in sedes æternaque mœnia natum,
Inducitque nurum: tum porta quanta sinistra
Pœna, docet, maneat Pelian; quo limine, monstrat.
Mirantur tantos strepitus, turbamque ruentem,
Et loca, et infernos almæ virtutis honores.

donec (ad) *silvas et amœna* (loca) *piorum*, campos Elysios, *deveniant*, ubi *sol durat*, nnmquam occidit, et *aprica dies*, cæli serenitas per totum annum dominatur... *thiasique*, lætæ saltationes, *chorique*, cœtus, *virorum*, *carmina... et... quorum populis jam nulla cupido*, tam multa alia læta atque jucunda, ut hominum in terra viventium spem omnem atque opinionem adeo excedant.

847. *Has* igitur *in sedes*, easque *æternas* in perpetnum *Cretheus* et filinm inducit et nurum, simul vero edocet, quantæ pœnæ maneant Pelian, portam ingressurum sinistram. (De dnplici apnd inferos porta vid. Virgil. Æn. VI, 540 sq.) Admirantur novi advenæ magnam piorum lætantium multitudinem, loca amœnissima, ampla virtutis apud inferos præmia.

IN LIBRUM PRIMUM

ARGONAUTICON

NOTÆ

NOVI EDITORIS.

V. 1. *Prima deum magnis canimus freta pervia natis.* — Magna olim doctos inter viros de illo versu controversia : dum alii scriptorum anctoritatem propugnarent, *nautis* præferentium ; alii *natis* legi juberent. Posteriorem hanc lectionem primus omnium Aldus recepit an. 1525 ; cæteri vero post illum neglexere editores. Imo Carrion in illa, quæ prodiit an. 1565, Flacci editione, expressa ad fidem unius codicis, ut rebatur, vetustissimi, antiquam lectionem restituit, suaque auctoritate confirmavit. Tandem Heinsius Aldinam emendationem revocavit an. 1680, Nostroque vindicavit, multis collatis locis, ubi Argonautæ vocantur: *Proceres natique deum*, I, 553 ; *divis geniti*, IV, 438 ; *deum genus*, V, 504, etc. Quamvis autem duo codd., Vaticanus et Bononiensis, cæterorum omnium principes, quos paucis abhinc annis, mihi mea manu pervolvere contigit, *nautis* præferant, eorumque fidei sæpius adhæserim, nisi quid necessario corrigendum fuerit, iis tamen hoc loco accedere non sustinui ; nullum enim sensum elicere me potuisse fateor ex hac loquendi forma, *deum nautis*. Nec me fugit Maserium veteresque interpretes *nautas deum* dici voluisse, quia Argonautæ erant in tutela Junonis et Palladis; sed altera ex parte Mars et Apollo acerrime eos persequebantur. Imo etiam qui vero simile sit, poetam nostrum, poematis initio, dum carminis argumentum exponeret, illud tam durum ac tenebricosum affectasse? Recte contra *natos deum* appellat, quorum sane major pars aut diis geniti, aut divinæ stirpis habebantur, efficitque ut inde majora magnificentioraque exspectemus. Quod autem veteribus et vulgatis libris tamdiu pessima lectio inhæserit, id unum ex multis argumentum esse dicam, Vaticanum codicem omnium esse principem, cujus ad exemplar descripti mendum cæteri latius propagavere. Hoc primum; addam ex ipso operis titulo errorem a principio proficisci potuisse. Scilicet librarius, qui modo *Argonauticon* exaraverat, forte, aliud agens,

nautis pro *natis posuit*, ob verborum similitudinem; quin illi in mentem venire potuit poetam carminis sui titulum de industria repetivisse, *nautas* primo versu proferendo, secundo vero *fatidicum ratem*, quod idem atque *Argo* sonat; Ovidii nimirum exemplo, qui Metam. lib. I, v. 1:

> In nova fert animus mutatas dicere formas
> Corpora.

Quæ mera est græci vocabuli interpretatio. Vossium non fugiebat, ut ex ipsius nota apparet, Argonautas dici posse *natos deum*, sed ipse volens ab hoc sensu deflexisse videtur, plurimis locis deterritus, ubi et *nautæ* vocantur (vid. Pindar. Pyth. IV, 22; Virgil. Eclog. VI, 43 et 44; Stat. Theb.V, 395).

Prima freta pervia, id est, maria tum primum trajecta, scil. Pontum Euxinum, quem Argo prima ex navibus aperuit; ideoque canit Valerius, IV, 711, postquam Bosporum cyaneasque rupes transierant Argonautæ:

> Tum freta quæ longis fuerant impervia sæclis
> Ad subitam stupuere ratem.

Dicere non vult poeta eos fuisse primos qui navigaverint, sed qui confecerint iter cæteris adhuc Græcis insuetum. Inde non mirum quod alias in Ponto naves obvias Argonautis faciat.

V. 2. *Fatidicamque ratem.* — Recte *fatidicam* dicit Noster, cujus prora, sive, ut alii volunt, puppis, sive etiam carina, ex Dodonæa quercu erat; Dodonæas autem quercus oracula edere habitas, nemo est qui ignoret. Erravit hoc loco Scaliger, qui sic in Poetic. l.VI, p. 775, ed. 1607: « Quod autem *fatidicam* dicit, neque exstat in toto opere, id factum est fati culpa; etenim morte affectus, non explevit fabulam; at loquitur apud Apollonium. » Mirum sane quod vir tantæ eruditionis locorum oblitus fuerit, ubi *Dodonida quercum* poeta loquentem inducit, nempe Jasoni per somnum instantem, I, 300; et *Erginum* sibi magistrum, *monente fato*, *vocantem*, V, v. 65.

V. 3. *Ausa sequi.* — Durum hoc censet Scaliger, loc. sup. laud. « Neque enim præibant oræ. » Hanc vero censuram egregie confutaverunt J. Fred. Gronovius (observ. lib. IV, cap. 12) et Burmannus, hoc ipso loco, qui plura exempla protulit ubi *sequi* eodem sensu sumitur. Hæc adjici possunt ex Virgilio, quæ tironem etiam non fugiunt, Æneid. IV, 361, *Italiam non sponte* sequor; ibid. 381, *I*, sequere *Italiam ventis;* V, 629, *Italiam* sequimur *fugientem;* XII, 892, *opta ardua pennis astra* sequi.

V. 4. .... *mediosque inter juga concita cursus,*
Rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.

Sic et infra, IV, 672:

> . . . illa volans tenui per concita saxa
> Luce fugit.

Videtur poeta græcorum vocabulorum ita vim exprimere voluisse : Συμπληγάδες, συνδρομάδες, σύνδρομα πετράων, Apoll. II, 346. Ovidio Amor. II, 11, 3, *concurrentes.... cautes* dicuntur. Quanquam in enodandis poetæ difficultatibus præcipuam navavero operam, non potui quin hoc loco τοῦ *cursum rumpere* vim et elegantiam notarem, licet jam hanc locutionem contra Barthium Heinsius Burmannusque recte vindicaverint; quorum prior : « Eleganter, ait, subjungitur : *flammifero tandem consedit Olympo*, perinde ac si de portu post peractam navigationem agatur, quomodo apud Maronem, Æneid. III, v. 377 :

> Quo tutior hospita lustres
> Æquora, et ausonio possis considere portu. »

Libentissime Heinsio suffragamur verborum vim ac delectum optimo jure laudanti; imo et Scaligero, qui tametsi sanum rectumque judicium de poematis exordio, a primo versu, mendosa lectione turpato, ferre non potuit, certe numerum et elegantiam laudibus extulit : « Sonus, ait, loc. l. carminis multus, et ipse artifex non vulgaris »; et mox de primo versu : « septem dictionibus explevit versum, sonorum sane, etc. » Cur autem celeb. Heynius ad Virg. Æn. lib. I, v. 418, *corripuere viam interea*, etc. ubi de verbo *rapere* disserit, locum hunc Valerii memoret, nescio; ejus in nota *rumpere* legendum suspicor.

V. 5-6. *Si Cymææ mihi conscia vatis.*— Hic Vatic. cod. jam melior Bononiensi, qui dat *concita;* errore manifesto, ex versu præcedenti orto. *Conscia* Pius interpretatur : *divina, vaticina, quæ novit deorum secreta*, perinde ac si absolute poneretur. *Conscia* ad *Cymææ vatis* referendum putat Burmannus; recte quidem : sed quæ laudat, huic loco parum facere, mihi videntur; malim illud Tibulli repetivisset, Eleg. I, 9, 3 :

> Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum.

Stat casta cortina domo. — Ex his apparet, quod ante Heinsium Pius animadverterat, Flaccum nostrum unum ex iis fuisse, quibus sibyllinorum carminum cura commissa fuerat. Cortinam autem quindecimviris muneris insigne fuisse testantur plurima veterum scriptorum loca, et nummi in quibus tripus, seu cortina cum delphino et corvo exprimitur, addita inscriptione : XV VIR SAC FAC. Conf. Serv. ad Virg. Æneid. III, 92; Burmann. ad Ovid. Metam. XV, 635; Gifan. Ind. in Lucret. voc. *præstringere*. Tibullus, Eleg. II, 5, 17, ad Messalinum, in quindecimvirorum collegium nuper adscitum, deum postquam novi gratia antistitis invocavit, addit :

> Phœbe, sacras Messalinum sine tangere chartas
> Vatis, et ipse, precor, quid canat illa, mone.

Mox gratulatur amico, triumphum portendit, spondetque se illius nomen brevi decantaturum. Sic et Statius, Silv. I, 2,175, Stellæ, romano juveni, prænuntiat, illum, favente Domitiano, legitimum ante tempus

consulem fore, qui jam ex prætoribus et quindecimviris unus exstiterat. Unde licet conjicere brevi ad summos honores evehi solere, qui jam sacro illo munere functi fuerant.

Casta...domo. — Venustissime ac fere similiter Virgilius, Georg. II, 524 : *Casta pudicitiam servat domus*. Putat Heinsius hic poetam sese unum ex quindecimviris fuisse manifesto designare; castos enim sæpe apud poetas sacerdotes nominari; teste Virgilio, Æneid. VI, 661 :

Quique sacerdotes casti, dum vita manebat.

Sed notum est poetas ipsos castitatem suam jactitare solitos; Catull. XVI, 5 :

Nam castum esse decet pium poetam—Ipsum.

Tibull. Eleg. III, 4, 13 :

Salve, cura deum; casto nam rite poetæ
Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent.

Frequenter etiam se Musis et Apollini sacros; artemque suam veluti quoddam sacerdotii genus prædicant. Hor. Od. III, 1, 3 : *musarum sacerdos* vocatur. Virg. Georg. II, 495 :

Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
Quorum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant.

Ovid. Am. III, 8, 23 :

Ille ego Musarum purus Phœbique sacerdos.

Propert. Eleg. III, 1, 3 :

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos.

Nempe censebant veteres tum maximam esse poeseos vim et excellentiam, quum animos hominum a terrestribus ad cælestia raperet, imbueret grato pioque religionis sensu, doceretque rationem recte ac probe vivendi. Porro Virgilius, qui præ cæteris quantum arti suæ dignitatis inesset, quoque modo potissimum tractari deberet, intellexisse videtur, nullis vatibus Elysii aditum patere finxit (Æneid. VI, 662), nisi quibus et casti mores, et casta fuisset pagina :

Quique pii vates, et Phœbo digna loquuti.

Et mox Orphei discipulum, Musæum sistit, qui nullam rem carminibus tractandam susceperat, nisi quæ ad morum sanctitatem cultumque deorum pertineret.

V. 7. *Fronte.* — Sic Vatic. cod. melior Bononiensi, qui dat *fronde*, ut et Bononiensis, I et II. *Fronte* restituit Junt. Florent. ann. 1503 et 1517. Sic quoque Pius et Maserius, quorum posterior *fronde* rejicere videtur, ut vitiose correctum, forsàn in edit. parisiensi an. 1512, quæ Bononienses secuta est.

Tu que o. Vespasianum intelligit, qui, principe Claudio, in Britanniam transvectus, an. Chr. circiter 43, tricies cum hoste conflixit, duas

validissimas gentes, superque viginti oppida, et insulam Vecten, Britanniæ proximam, in ditionem redegit (Sueton. Vespas. cap. 4). Quod initium venturæ mox fortunæ fuit, et monstratus fatis Vespasianus (Tacit. Agricol. cap. 13). Quam magnifice de illa expeditione Romani senserint, testantur triumphi pompa et apparatus, *Britannici* cognomen a senatu principi delatum, nummi hac inscriptione signati, postremo navalis corona, fastigio palatinæ domus fixa, trajecti et quasi domiti Oceani insigne. His tam præclare gestis alludit Silius, Jovem ipsum de Flaviana gente sic loquentem inducens, III, 597:

Huic pater ignotam donabit vincere Thulen,
Inque caledonios primus trahet agmina lucos.

Aperti.— Eodem verbo utitur Pomponius Mela, Valerio coævus, lib. 3, cap. 6: « Quippe tam diu clausum *aperit* ecce principum maximus. » Eodem et Tacitus, de Britannis romanam classem, Agricola duce, Britanniæ oras circumvectam expaventibus, Agricol. cap. 25: « tanquam *aperto* maris sui secreto, ultimum victis perfugium clauderetur ».

V. 8. *Caledonius*. — Proprie qui Caledoniæ, seu Scotiæ oras alluit: hic laxiori sensu, ut sæpe apud poetas, pro Britannico ponitur. Sic apud Lucan. Phars. VI, 68:

Unde Caledonios fallit turbata Britannos.

Nempe non constat Vespasianum in Caledoniam arma tulisse, licet Eutropius, divique Hieronymi chronic. tradant insulas, quas *Orcadas* nunc vocant, Claudio imperante, in Romanorum ditionem redactas. Legimus apud Florum, III, 10, 18, J. Cæsarem, quum Britanniam iterum invasisset, fusos hostes ad Caledoniam usque silvam insecutum fuisse, quanquam ex ipsius Cæsaris testimonio constat, eum nonnisi paulo ultra Tamesin progressum. Unde fit ut credamus a populo quodam Britannico totam regionem sæpe Caledoniam vocari.

V. 9. *Iulos*. — Nempe Jul. Cæsarem et cæteros ejusdem gentis imperatores. Romani, ante Vespasiani tempora, Britannos bis aggressi multis vicerunt præliis, sed ita vicerunt, ut victoriæ laudem potius, quam victoriam ipsam reportarint; nec immerito dixerit Tacitus (Agricol. cap. 13) Jul. Cæsarem Britanniam ostendisse posteris, non tradidisse. Augustum, si D. Cassio credamus, bis a Roma profectum, ut pertinacem hostium frangeret audaciam, a proposito deterruit, primo Dalmaticum bellum, deinde seu vera, seu ficta, per legatos Ariminum missos, Britannorum deditio. Hoc illud est destinatum bellum, propter quod cecinit Horatius, Od. I, 35, 29:

Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos.

Vulnit et ipse Caius imperator jugum detrectantes armis subigere; sed conchyliis, spoliorum instar, adverso in littore collectis, ne visa quidem

Britannia, bellator egregius, triumphans Urbem rediit (Sueton. Caius, cap. 36).

Vossius, suffragante Burmanno, ad infaustam Jul. Cæsaris in Britanniam expeditionem respici hoc loco censet, pluralemque numerum pro singulari per ἔμφασιν fuisse positum; sed falso. Si quis enim paratum ab Augusto bellum, ridiculamque Caii expeditionem meminerit, intellexerit plane nostrum jure dixisse, Oceanum hactenus Iulos, id est, imperatorum gentis Juliæ dominationem indignatum fuisse. Censet Heinsius hic alludi expeditionibus Jul. Cæsaris, Claudii et Neronis; equidem an unquam de intranda Britannia Nero agitaverit, prorsus nescio. Similiter Silius Flavianam gentem Juliæ conferre voluit, lib. III, 595:

> . . . Et sacris augebit nomen Iulis.

V. 10. *Eripe me populis, et habenti nubila terræ.* — Amore laudis, et supra cæteros eminendi cupidine semper flagrarunt poetæ, ut ipsi ultro fatentur. Virgil. Georg. III, 8:

> . . . Tentanda via est, qua me quoque possim
> Tollere humo.

Prop. Eleg. III, 1: *Quo me fama levat terra sublimis.* Ovid. Metam. XV, 148, iisdem fere ac Noster translatis verbis Pythagoram loquentem inducit:

> . . . juvat terris, et inerti sede relictis
> Nube vehi.

Horatius, Od. I, 29:

> Me doctarum hederæ præmia frontium
> Dis miscent superis; me gelidum nemus,
> Nympharumque leves cum satyris chori
> Secernunt populo.

Idem de virtute, Od. III, 2, 23:

> Cœtusque vulgares, et udam
> Spernit humum fugiente penna.

Quum autem dicit Noster: *Eripe me*, etc. nihil aliud voluit quam rogare Principem, ut sibi vires adderet, afflaret spiritus, canenti faveret (vid. infra vers. 11). Quare miror cel. Dodwello ita hujus loci sensum caligasse, ut Vespasianum jam vita defunctum crediderit, tempore quo suum illi poema Flaccus dedicavit: « Quomodo, ait, Valerium ille potuit terræ eripere, si ipse adhuc versaretur in terris? » Et mox ad seq. versum: *Sancte pater.* « Invocat, inquam, sed sanctum jam, consecratum videlicet. » Dodwell Annal. Quintil.

V. 11. *Sancte pater; veterumque fave veneranda canenti*
Facta virum.

Sancte pater; ad patris patriæ appellationem respici credimus, quam ab

Augusto primum receptam, cæteri postea principes obtinuere. Cæterum solennis iata invocationis formula. Horat. ad Augustum, Od. I, 2:

Hic ames dici pater atque princeps.

Et Ovid. Fast. II, 127: *Sancte pater patriæ.*

Quam autem acer fuerit Augustus in veteri tuendo deorum cultu, firmandis legibus, moribus emendandis, testatur Suetonius (Aug. cap. 31-34). Augusti secutus exemplum Vespasianus nihil antiquins habuit, quam ut frænaret luxuriam, coerceret libidines, jndiciis fidem ac dignitatem restitueret (Suet. Vespas. 8-11), dignus sane moribus, qui *sanctus* poetæ nostro diceretur. Nec tamen inficias eo, patrem eum hic appellari potuisse, qnod filios haberet Titum et Domitiannm, de quibus paulo infra Valerius; quo in sensu *sancte* etiam non repugnat. Scimus et scripsisse Suetonium (Vespas. cap. 12) illum nonnisi sero tribunitiam potestatem, patrisqne patriæ appellationem recepisse; sed veteres nummos a primis principatus ejus annis hoc titulo signatos etiam nunc volenti cuilibet inspicere est. — *Veterumque fave veneranda canenti facta virum;* sic et Apollonius, I, 1:

Ἀρχόμενος σέο, Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν
Μνήσομαι.

V. 12. *Versam proles tua pandet Idumen.* — Nihil dubii est, quin hoc loco poeta adulari voluerit Domitiano, Vespasiani natu minori filio, quem Suetonius testatur, dum pater fraterque viverent, poetices studium simulasse, insuetum antea, postea spretum et abjectum; publiceque etiam, alieno forsan formata ingenio recitasse. Quantis cum landibus, postquam imperium obtinuit, velut eximium poetam coævi scriptores extulerint, nemo est qui ignoret. Vid. Quint. XVI, 1; Stat. Achil. I, 15; Sil. Ital. III, 618; Martial. passim. Ex his infert Vossius reipsa a Domitiano carmen institutum fuisse τῆς Ἰουδαϊκῆς ἁλώσεως. Verum qui credibile sit Domitianum omni alienæ virtuti ac gloriæ invidentem, fraternas laudes celebrandas suscepisse? Vero similius est poetam nostrum talem hanc materiam principi juveni proposuisse, ut ipse abiret excusatus, quod eam non tractaret; imo ut Vespasiano assentaretur, quum unam ex rebus, ipso imperante, præclarissime gestis memorando; tum laudando felicem Domitiani venam; tum etiam huic carminis argumentum proponendo, quod tanto magis ipsi imperatori esset approbandum, quanto magis delectatus fuisset, si filius, invidus, ut erat, ac zelotypus, paternas fraternasque laudes canere non dedignatus fuisset.

Pandet. — Vatic. et Bonon. codd. *Pandit.* Nescio qua auctoritate fretus Heinsius dixerit: « *Pandet* est in scriptis, non *Pandit* ». Subjicit Burmannus Pii, Maserii, Juntæ, Gryphii edd. idem hoc *pandet* præferre; sed falso; omnes *pandit* habent. Cæterum quum in veteribus codd. *e* et *i*

permutari sæpissime soleant, critico viro licet, quæ maxime placeat, lectioni adhærere; equidem *pandet* potius habeo; Wagnerus *pandat*, ex veteri cod. ed. Ald.

V. 13. *Namque potest.* — Vatic. Bonon. codd. Bononiensis I, *potes*, nullo sensu. Fac compendii notam omissam fuisse, legendum erit: *potens*. Sic Bononiensis II et Maser. Ex solemni τοῦ *e* et *i* permutatione, posset quoque legi *potis* (subaud. *est*), et sic habet ed. Florent. 1517, Juntæ. Pius et Hermolaus, *potest* emendaverunt; quibus accedere non dubitamus, quanquam *potens*, et *potis* eumdem sensum præferunt. Pro *namque potest*, Gronovius (Observat. lib. IV, cap. 12), legendum censebat: *jamque potest*; ratus hic tempus indicari, quo poeta noster suum Vespasiano carmen obtulit, scilicet quum jam Titus in eo esset, ut Solymam expugnaret. Istam vero conjecturam refellit Heinsius, multisque exemplis probat formulam hanc, *namque potest*, frequenti in usu fuisse, ut designetur, si quis quid facere possit. Fallitur autem vir eruditissimus, quum *versa Idume*, pro *versam Idumen*, contra scriptorum fidem legi jubet. Recte notavit Zinzerling. hic esse quoddam schema; *asyndeton* grammatici vocant, quod etiam nonnullos acutissimi ingenii viros fefellit; scilicet Scaliger hic aliquid desiderari putat; *Solymoque* pro *Solymo* Carrion et Gifanius edendum censuere.

Solymo nigrantem pulvere fratrem. — Sic et Horatius, Od. I, 6: *Pulvere troico Nigrum Merionen.*

V. 14. *Spargentemque faces, et in omni turre furentem.* Vividiori simul ac breviori modo Solymi τὴν ἅλωσιν depingi posse non arbitror; duobus enim versiculis, quot quantaque essent urbis propugnacula, poeta ponit ante oculos, lymphaticumque Judæorum furorem, qui Romanos ad id adegere, ut quod servatum vellet princeps humanissimus, ferro flammisque funditus everterent.

V. 15. *Ille tibi cultusque deum.* — Sic Vatic. cod. Bononiens. vero et vett. editt. *illa*: perperam. Scioli cujusdam certe emendatio est, qui ad *prolem* referendum esse pronomen putavit. *Ille* refertur ad Titum, quem pater ita carum habebat, ut jam in imperii administrandi partem adscitum, hæredem quoque sibi destinaret. Noster autem quum vellet innuere spem illam non fore vanam, Titumque patri successurum esse, pollicetur Vespasiano ipsum a suo filio in deos esse referendum, quæ idem prorsus significant. Porro ad istum morem alludens ipse Vespasianus lethali morbo prope confectus, non illepide aiebat, ut puto; deus fio (Suet. Vespas. cap. 23). Vespasianum autem, statim ut vita excessit, in deos fuisse relatum, ex veteribus nummis constat, hac inscriptione signatis: Divus Augustus Vespasianus ex S. C. testaturque Plinius junior in panegyrico, cap. 11: « Dicavit cælo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen indueret; Claudium Nero, sed ut irrideret; Vespa-

sianum Titus; Domitianus Titum, sed ille ut dei filius, hic ut frater videretur. » Cæterum Noster, quum imperatori divinos honores prænuntiat, dum ipse adhuc viveret, Virgilium, Horatium, Lucanumque sequitur (1).

Delubraque genti instituet. — Delubra illa imperatoribus cælo dicatis institui notum est; quare miror Heinsium hoc loco templum Hierosolymitanum designari putasse; *gentis* nimirum pro *genti* legi jubet, ita ut intelligatur Titum divo patri templum illud esse consecraturum. Quo sane nihil durius, aut a vero longius (2). Burmannus quidem nihil mutat, sed duriorem etiam interpretationem hanc affert: « Vis enim illius dativi *tibi* est, ut Titus sub auspiciis patris, et in ejus honorem et gloriam instituturus sit deorum cultum, quem Judæi credebantur, ubicumque poterant abolevisse, et ipsi nullos deos colere putabantur a Romanis et aliis gentibus, unde *impiam gentem* vocat Florus, III, 5, etc. » Invitus ista retuli, sed timui ne celeb. vir. Heinsii Burmannique nomina quibusdam fucum facerent, darentque errori locum.

V. 16. ... *Quum jam genitor lucebis ab omni*
Parte poli.

Quum genitor. — Vatic. cod. et supra *tu* scriptura recentiori. *Quum jam tu*, Bonon. cod. cum duobus punctis τῷ *tu* subjectis, quasi expungendum sit. Unde patet pro verbo in Vatic. cod. omisso, alios *tu*, alios *jam* substituisse. Quæ lectio posterior ex Bonon. I, in cæteras omnes editt. defluxit. Pro *ab omni parte poli*, conjiciebat Heinsius, *ab alta arce poli*, propterea quod, sup. v. 14, legebatur *in omni turre*. Sed multa hujuscemodi apud Valerium repetita occurrunt, illiusque loquendi formæ, *ab omni parte*, non infrequens usus apud poetas: Ovid. Met. I, 34:

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.

Senec. Hercul. fur. v. 1202:

Nunc parte ab omni genitor iratus tona.

V. 17. ... *Neque enim in tyrias Cynosura carinas*
Certior, aut graiis Helice servanda magistris.

Neque in tyrias. Vatic. Bonon. codd. et Bonon. I. Quum autem non constaret versus, huic, ut, præcedenti, verbum unum, nempe τὸ *enim*, metri causa interpolandum fuit (3); Pius, vir ille in dispiciendis veteribus

(1) Virgil. Georg. init. Horat. Od. I, 2; Lucan. I, 45 seqq.

(2) Vide igitur ne ab ipsius Valerii manu sit *Ille tibi cultusque deum, delubraque gentis instituet*, ut delubra gentis non Flaviæ, sed Idumeæ innuat; ac templum Hierosolymitanum, toto orbe celeberrimum, abrogato veteri cultu divino, Vespasiano in deorum numerum, post mortem, referendo, dedicatum iri a filio Solymorum victore, designet. Heinsius.

(3) Heinsius dicit Vatic. cod. præferre *neque enim*; sed hoc loco, ut multis aliis,

scriptis exercitatissimus, legebat *ne quæ;* quam lectionem, licet in Vatic. codice *quæ* et *que*, propter scripturæ compendium, sæpe confundantur, huic loco minime facere arbitror. Quod si versu precedenti legas *quum tu genitor,* forte hic reponendum esset *neque jam in tyrias*, quanquam *in* parum hoc loco proprium, meraque oscitantis librarii culpa mihi videtur. Censeo igitur pro *in* aut *enim*, legendum esse *erit;* et pro *tyrias carinas* substituendum *tyriis carinis;* ita ut levi mutatione planior expeditiorque sensus oriatur : *quum lucebis ab omni parte poli, neque erit Cynosura tyriis carinis certior, neque Helice*, etc. Jam Heinsius *erit*, totumque locum ita restituerat : *Neque erit tyriæ Cynosura carinæ certius, aut graiis*, etc. At *certior* mutari nihil opus est, offenditque singularis numerus plurali oppositus. Burmannus, dum *certior* defendit, nolens ipse demonstravit quam necesse esset, post adjectivum, tertium casum poni, non quartum : namque in omnibus, quæ affert, exemplis, dativus post sequitur; unum hic referre satis erit : Lucan. Phars. III, 219 :

> Has ad bella rates, non flexo limite ponti
> Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.

Phœnices ursam minorem, sive Cynosuram, Græci vero majorem, sive Helicen, navigationis ducem habebant; vid. Lucan. loc. sup. laud. Ovid. Fast, III, 107 :

> Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
> Sidoniis; Helicen graia carina notet.

Id. Epistol. Leand. ad Her. v. 149 :

> Non sequor aut Helicen, aut, qua Tyros utitur, Arcton.

V. 19. *Seu tu signa dabis, seu te duce Græcia mittet*
Et Sidon Nilusque rates.

Sic omnes editt. Quum autem duæ illæ loquendi formulæ idem omnino significent, aliquid hic mendi latere ut crederem merito adductus fui. Quid si legatur :

> Sed tu signa dabis, sed te duce Græcia mittet.

Et sane multa similia tum apud cæteros poetas, tum apud Valerium ipsum occurrunt, lib. IV, v. 604 :

> Sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo.

Lib. VIII, v. 348 :

> Sed pice, sed flammis, et olentes sanguine crines.

quum codic. illum citat, memoria fallitur. Notare vero æquum doct. virum amissis per furtum notis, quas ipse collegerat, amicorum auxiliis uti coactum fuisse. Vid. præf. Heins. ad Valer. edit. 1680.

6.

Ovid. Metam. V, 17:

> Sed grave Nereidum numen, sed corniger Ammon,
> Sed quæ visceribus veniebat bellua ponti
> Exsaturanda meis.

Licet quæ ad poematis exordium ac dedicationem pertinerent, exegerimus, extremum hoc animadvertendum credimus, poetam nostrum, ut mos tunc invaluerat, principi quidem, sed parcius ac moderatius adulatum fuisse. Immo etiam id non sine mira quadam ingenii sagacitate factum videbitur, si quis meminerit Vespasianum, Claudio principe, Britannicum mare, quod extremum orbis finem Romani habebant, feliciter peragrasse. Equidem, ut libere quod sentio dicam, credo Nostrum scite magis ac verisimilius cecinisse nautas stella Vespasiani duce olim navigaturos, quam Virgilium finxisse Cæsaris stellam uvis ac messibus maturitatem allaturam, Eclog. IX, 46:

> Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
> Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum;
> Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo
> Duceret apricis in collibus uva colorem.

V. 22. *Hæmoniam primis Pelias frænabat ab annis,*
Jam gravis et longus populis metus.

Thessaliam sæpe Hæmoniam vocari, ab Hæmone, Pelasgi filio, Thessalique patre, testantur et locus Rhiani poetæ, ab Apollonii scholiaste servatus, lib. III, v. 1089, et Strabo, lib. IX, pag. 443. — *Gravis* τῷ *populis* jungunt Heinsius ac Burmannus; equidem hoc verbo provectam Peliæ ætatem significari censeo; *quoniam gravis ipse senecta*, ait Ovidius, Metam. VII, 299; sic et Noster, lib. I, 296:

> . . . . . Hunc gravis Æson
> Et pariter vigil Alcimede spectantque tenentque.

Populis. — Sic Vatic. cod. Bonon. I, et Sabellicus. *Populos.* Bonon. cod. Bonon. II et Venet. I; inconcinna sane cujusdam interpretis emendatio, sensum loci non capientis, *populos*que referentis ad *omnes*, ut olim extremo versu legebatur. — *Omnes.* Sic omnes codd. et vett. editt. *amnes* Sabellicus; prima est eruditissimi viri emendatio inter plures alias, quæ quantum de Nostro meritus fuerit testatur. E contra Carrion ex suo codice, *omnes* edidit; nullo sane judicio. *Omnes* quoque Vatic. cod. errore manifesto.

V. 24. *Ille Othryn et Hæmum.* — Othrys, mons Thessaliæ celeber, meridiem versus (1). Errat Burmannus qui Thraciæ illum esse montem putat. Hæmus nomen est montis late continui, ea Thraciæ parte quæ septemtrionem spectat; non tamen Valerium puto, quantumvis Peliæ regna

(1) Herodot. lib. VII, cap. 129.

verbis amplificautem, Thraciam quoque uuiversam iis adscribere; immo quemdam Thessaliæ montem hoc nomine appellare. Apud Lucanum non semel occurrit mons Hæmus, tanquam vicinus Olympo, Pindo, Ossæ, Pelio, quos Thessaliæ quidem esse montes nemo uegat (1). Quinetiam *thessalicum* vocat Hæmum, lib. X, v. 449:

Audax thessalici nuper qui rupe sub Hæmi.

Tum Servius iu Virgiliano commentario ad montem Hæmum in Thessalia vallemque Tempe referendum censet hoc poetæ votum, Georg. II, v. 488:

. . . O qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!

Vide quoque Servium, Georg. I, v. 492.

V. 33. *Graias neque monstra per urbes Ulla.* — Senec. Herc. fur. v. 40: *Monstra jam desunt mihi.* Hæc verba sunt Junonis querentis monstra sibi deesse, quæ Herculi opponat.

V. 34. *Cleonæo jam tempora clusus hiatu Alcides.* — Cleona, oppidulum Argolicæ vicinum Nemeæ. *Clusus* pro *clausus*. Celeberrimi Vossius Heinsiusque credunt in usu fuisse *cludo* et *claudo*, haud secus ac derivata *concludo*, *includo*, *etc.* Sæpe quidem occurrit primitivum in mss. ita scriptum, haud scio an mendose. Eodem sensu verbum *claudo* et *cludo* usurpavit Statius: Theb. IV, 204: *Quum tu cludare minaci Casside.* Seneca audaciori nsus metaphora dixit de nemeæi leonis pelle qua tegebatur Herculis caput, Herc. Œt. v. 1932: *Vallantque feri tempora dentes.*

V. 36. *Ambobus jam cornua fracta juvencis*, quorum unus Achelous est, qui tauri formam cum Hercule pugnando induit; alter creticus taurus, quem ab Hercule prostratum nonnulli traduut, quos secutus est Virg. Æneid. VIII, v. 294: *Tu cressia mactas Prodigia;* alii vero in Græciam ab Hercule adductum, dictumque postea Marathonis taurum. Vid. Hyginum, fab. 30 et 31.

V. 41. *Daque animum.* — Heinsius hanc vocem suspectam habens malit *daque manum*. Quam mutationem rejiciens Burmannus merito adnotat « singularia multa apud Valerium occurrere, aliter atque apud antiquiores posita. » Revera *dare animum* non potest eo loco idem valere quod *addere animum*, apud Ciceronem cæterosque, tum apud Virgilium, Æneid. IX, v. 717: *Animum viresque Latinis Addidit. Daque animum* sic explicat Maserius: *tuumque animum mihi dede et da votis meis.* Malim *tuumque animum huic militiæ dede, adjice.* Posset quoque τὸ *dare animum* absolute adhibitum, idem esse atque *adesse animo; favere; præsenti* »

(1) Lucan. Pharsal. lib. VII, vers. 174 et 480.

forti esse animo. Rei dilucidandæ parum idoneus est Valerii versus quem affert Burmannus, lib. I, v. 182 :

> . . . . Ille animos promissaque talia lætus
> Accipit.

Vide potius, I, 243 :

> Vos quoque nunc vires animosque afferte paternos.

Quod exemplum, quanquam diversum, aptius tamen et minus alienum esse videtur.

V. 43. *Hunc ferus Æetes.* Nota cum Stephano Byzantio hoc nomen (*Æetes*) ductum esse a quadam Colchorum urbe in qua sedem habebat Æetes.

V. 53. *Olim annis ille ardor hebet.* Sunt qui censeant *olim* et *annis* jungi debere, per hyphen (ὑφ' ἕν), quemadmodum in hoc Virgilii versu, Eclog. I, 7 : *Namque erit ille mihi semper deus.* Sed Heynius merito dicit : « in *semper-deus* nugantur grammatici. » Mihi videtur hic esse ellipsin : *ille* qui erat *olim ardor hebet annis.*

V. 55. *Animique viriles.* Bononiensis codex habet *anni* (ānī). Pius affert hanc lectionem, meo quidem judicio veram : primi editores in compendiis erraverunt habentes *ānī*, quod compendium est *anni*, pro *āī*, quod compendium est *animi.*

V. 56., *I decus ! et pecoris nephelæi.* — Sic Virgilius, Æn. VI, v. 546 : *I, decus, i, nostrum.* Hic subaudi potest *nostrum* vel *tuorum.* Hæc igitur emendatio quam proponit Heinsius : *In decus i, pecoris....* incassum recidit ; Burmanni vero sensus nimis est ab eo quem Virgilii locus indicat diversus, quam ut admittatur.

Pecus nephelæum est aries quem mythologia fert Nephelen matrem Phryxi et Helles liberis in salutem misisse.

V. 69. *Creditus.* — Occurrit sæpe hæc vox simili sensu adhibita. Vid. Valer. lib. IV, v. 150 : *Neptuni credita proles ;* Virg. Æneid. II, v. 196 : *Credita res ;* item, Æneid. II, v. 247 :

> Ora, dei jussu non unquam credita Teucris.

Ovid. Metam. lib. VII, v. 98 :

> Creditus, accepit cantatas protinus herbas.

V. 76. *... tu sola animos mentemque peruris,*
Gloria : te viridem videt immunemque senectæ
Phasidis in ripa stantem, juvenesque vocantem.

Eximiam hanc imaginem imitatus est Malherb. lib. I, Od. ad Ludovicum XIII obsidionem Rupellæ molientem :

Certes, on je me trompe, ou déja la victoire
Qui son plus grand honneur de tes palmes attend,
Est aux bords de Charente en son habit de gloire,
Pour te rendre content.
Je la vois qui t'appelle, et qui semble te dire:
. . . .
Il est temps de marcher.

« Hæc dea, inquit *Balzac*, Ludovicum in ripam Carantoni vocans, illam æquiparat certe *Phasidis in ripa stantem, juvenesque vocantem.* » Nobis aliter videtur: imago quidem apud utrumque eadem fere est, species vero ac splendor non idem. Apud romanum poetam nihil non grande ac heroicum: juvenes scilicet principes parati insuetum iter tentare, mare immensum trajicere, bellum barbaris gentibus inferre, sanguinis graii pœnas repetentes; dum contra gallicus poeta regem canit adversus populares suos infesta arma moventem, ipsumque ad pugnam præeuntem. Verum, ne sit hoc quidem, quanto præstantiorem Phasidis longinquitas imaginem exhibet! nempe hoc gloriæ numen stans in prospectu longinquo, nescio quid habet speciosum ac sublime.

V. 89. *Dabit auratis et cornibus igni colla pater.* — Pius sic interpretatus est: « Pater Æson dabit igni et holocausto victimas auratis cornibus. » Sic quoque Waguerus, vid. not. pag. 15. Rectius vero Maserius, qui ad hanc vocem *pater auratis cornibus* notavit « taurus signatur. » Heinsius legendum proponit: *Dabit auratis sua cornibus igni colla pater.* Burmannus sic versum resolvit: « Pater auratis cornibus dabit colla igni. » Apud Ovidium, de Arte amandi, lib. I, v. 522, hircus vocatur *virque paterque gregis. Dabit colla* est pro *præbebit colla ferienda*, quemadmodum in hoc loco, Ovid. Fast. lib. I, v. 83:

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci.

Igni est pro *ad aram.* Ille locus affinis est huic e Virgilio, Georg. lib. II, v. 146:

Hinc albi, Clitumne, greges, et maxima taurus
Victima.

V. 91. *Accepere deæ, celerique per æthera lapsu*
Diversas petiere vias.

Valerius statim ab initio fabulæ geminas profert deas quæ favent Jasoni. Pallas ædificandæ navi operam dat: Juno per urbes Græciæ famam susceptæ navigationis divulgat, virilesque animos ad consociationem rei stimulat: idem per agros faciunt fauni, silvarum deæ, diique fluviatiles: omnes epicæ adhibentur machinæ ad id ut quinquaginta bellatorum manus in navigium cogatur. Apollonius contra callidior artifex, opem propriam initio dissimulat, machinisque parcius utitur, ad graviora scilicet reservatis. Cujus medio fere poemate, tunc primum in-

terest Juno : Argonautæ vero, nullo molimine, belli laudisque cupidine accensi, tum Jasonis respectu, ad eum ultro conveniunt.

V. 104. ... *magnaque ratem per lustra viasque*
Visi laude canunt manifesto in lumine fauni.

Omnes manuscripti veteresque editiones habent *jussi :* pro quo reponere *visi* placuit Heinsio nempe hunc Virgilii locum intuenti, Æneid. lib. III, v. 150 :

. . . . . visi ante oculos adstare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine.

At *jussi* sensum maxime congruentem præbere mihi videtur, immo necessarium : hæc enim agrestia numina, quorum nihil intererat Argonautas proficisci, cur quidquam agerent nisi a Junone *jussi?*

V. 107. *Protinus inachiis ultro Tyrinthius Argis*
Advolat.

Ultro significat Herculem ad hanc militiam proficisci sponte sua, non Eurystheo jubente.

V. 106. *Inviti torsissem conjugis ignem.* —Vox *inviti* miram vim habet, violentiamque Junonis apprime effingit, quippe quæ fulmen non modo per se, sed invito etiam Jove, jaculandum minitetur. Carrion mallet legere *invicti* ex suo codice; quam mutationem acerbe respuit Vossius : « Putidum est, inquit, de sinceritate vulgatæ lectionis dubitare. »

V. 121. *Fervere cuncta virum cœtu, simul undique cernit*
Delatum nemus, et docta resonare bipenni
Litora ; jam pinus gracili dissolvere lamna
Thespiaden ; jungique latus, lentoque sequaces
Molliri videt igne trabes, remisque paratis
Pallada velifero quærentem brachia malo.

Hæc naupegiæ perita et elegans descriptio vivo quodam oculos recreat spectaculo. Videaris audire securium sonitu repercussa litora, acutum stridorem serræ felici imitatione expressum per crebrum litteræ *i* sonum : *jam pinus gracili dissolvere lamna.* Nec minori artificio describitur usus ligna calefaciendi, ut curventur : *lentoque sequaces molliri videt igne trabes,* rimasque cera obturandi, v. 128 : *ut tenues subiere latentia ceræ lumina.*

V. 129. *Picturæ varios superaddit honores.* — Egregie excogitatum : hæ scilicet picturæ, ductis e Thessalia argumentis, Pelei, unius Argonautarum, connubii, rerumque fortiter gestarum ab Æsone, Jasonis patre, spectantes admonebant.

V. 135. *Prosequitur nudis pariter Galatea lacertis*
Antra petens ; siculo revocat de litore cyclops.

Heinsius censet hæc verba *antra petens* ad Galateam spectare, idque

antrum esse, in quo mox a Peleo compressa est, Ovidio descriptum, Metam. lib. II, v. 235:

> Est specus in medio natura factus, an arte,
> Ambiguum; magis arte tamen: quo sæpe venire
> Frænato delphine sedens, Theti nuda, solebas.

Mihi quidem probabilior sensus videtur referenti *antra petens* ad Polyphemum, qui interea dum antrum repetit, subinde respectat Galateam exorans, ut ad se redeat. Vid. Theocr. Idyll. II, v. 44. Vid. quoque Virgil. Ecl. IX, v. 39:

> Huc ades, o Galatea. . . . .
> . . . . . . Hic candida populus antro
> Imminet.

V. 140. *Parte alia Pholoe, multoque insanus Iaccho*
Rhœtus, et atracia subitæ de virgine pugnæ.

Pholoe mons est Arcadiæ a Centauris habitatus, quibuscum Hercules pugnavit (1). Thessaliæ quoque mons est hoc nomine, Centaurorum sedes (2). *Atrax*, nomen et urbis Thessaliæ ad Peneum positæ, et fluvii qui influebat in Peneum ad eumdem locum; derivatæ voces *Atracius*, *Atracides*, *Atracis*, apud poetas idem sunt ac *Thessalus* (3).

V. 145. *Fert gravis invito victorem Nestora tergu*
Monychus.

Jocosum sane spectaculum Nestor in Centauri tergo equitans. Ita et apud Ovidium Theseus (Metam. lib. XII, v. 345)

> . . . . . tergo . . . . Bianoris alti
> Insilit, haud solito quemquam portare nisi ipsum:
> Oppositque genu costis: prensamque sinistra
> Cæsariem retinens, vultum, minitantiaque ora,
> Robore nodoso, præduraque tempora fregit.

V. 147. .... *acclinisque tapeti*
In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.

Virgilius Nisi et Euryali casus narrans pingit Rutulum latentem post magnum cratera, Æn. IX, v. 346:

> Sed magnum metuens se post cratera tegebat.

(1) Apollodor. lib. II, cap. 5, sect. 4.
(2) Vid. Lucan. et Stat.
(3) Ovid. Metam. lib. XII, v. 209; Heroid. XVII, v. 248.

V. 149. *Hæc quanquam miranda viris stupet Æsone natus*
Et secum.

Heinsius conjicit legendum esse *at secum;* malim *hæc secum*, legendo in præcedenti versu *quæ quanquam* sive *sed quanquam*. Ille locus de hoc Virgilii nos admonet, Æn. lib. I, v. 498:

> Hæc dum dardanio AEneæ miranda videntur,
> Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno.

V. 151. *Haccine nos animæ faciles rate nubila contra*
Mittimur?

Faciles intelligendum est non tanquam *viles* cum Heinsio scilicet hunc Virgilii locum intuenti, Æn. lib. XI, v. 372:

> Nos animæ viles, inhumata infletaque turba;

sed *quæ facile cedunt, non repugnant*, quemadmodum in hoc Valerii, lib. I, v. 733:

> Ipsum etiam, curisque parem, talesque prementem
> Corde metus ducit, *facilem* tamen, AEsona conjux.

V. 153. *Non juvenem in casus eademque pericula Acastum*
Abripiam?

Jason reputans quæ et quanta sibi immineant pericula, instituit animo secum Acastum abducere, ut Pelias de salute filii timens, vota pro incepto faciat. Quæ ratio levis ac nugatoria videtur: cui enim usui sint hæc Peliæ vota? præterea rei dignitati repugnat. Jasonis consilium aliquid habet vile ac herois animo indignum. Apud Apollonium contra, juvenis Acastus cupidine gloriæ tum cæterorum exemplo stimulatus, ultro se Argonautis adjungit. Ille ardor nullius instinctu excitatus, illa Peliæ nati generositas, tyranni cum indole si conferas, mirum in modum discrepant.

V. 156. *Talia cantanti lævum Jovis armiger æthra*
Advenit, et validis fixam gerit unguibus agnam.

Hæc aquila interim agnam rapiens, dum Jaso cogitaret de abripiendo Acasto, Jasoni prænuntiabat consilium feliciter cessurum: equidem ingeniose. Si quid profecto apud Valerium peccat operis totius dispositio, singularum certe partium concinnitate elegantiaque abunde pensatur. Cæterum illud commentum e Virgilio desumptum est, Æn. lib. XII, v. 247.

V. 169. *Pelagus quantos aperimus in usus!* — In prima edit. Bononiensi legitur *pelagum*. Quod mendum in sequentes omnes usque ad Carrionis editionem transmissum est. Hoc freti grammatici contenderunt *pelagus* esse masculini ac neutrius generis.

V. 172. *Quis pudor heu! nostros tibi tunc audire labores!*

Hæc oratio Jasonis ad Acastum callida est, et movendo juvenili animo aptissima. Hoc tantum offendit quod Jasonem videas utentem dolo ad-

versus adolescentem ipsi prorsus inutilem, quemque abduxisse postea ipsum pigeat. Vid. infra v. 695.

V. 196. ... *Scio me cunctis e gentibus unum*
Illicitas tentare vias, hiememque mereri.

Qui fit, ut Jason hiemem, i. e. tempestates jam nunc cognoscat, quum Argonautæ, ipso Valerio auctore, quid omnino essent tempestates, prorsus ignorarent? lib. I, v. 625:

Non hiemem, missosque putant consurgere ventos,
Ignari, sed tale fretum.

Eadem vox *hiemem* in utroque loco adhibita efficit, ut auctorem secum ipsum pugnare magis sentias.

V. 200. *Ne Peliæ te vota trahant.* — An tandem putat Jason Peliam non posse vota facere pro nave, quamvis filium vehente? Causam enim idem ipse tollit, qua modo impulsus Acastum abducere optavit.

V. 205. *Protulit ut crinem densis luctatus in extis*
Ignis.

Exstat in hunc locum Scaligeri nota, Poetic. lib. VI, cap. 6: « Nescio an sint per metaphoram illa dicta *ignis crinem*, an vero sint eruta e libris aruspicum. » Vossio non bene hunc locum intellexisse videtur Julius Scaliger. Seneca, quum pingeret flammam sursum nitentem, usus est voce *coma*, Œdip. v. 311:

Et summam in auras fusus explicuit comam.

V. 211. *Heu, quænam aspicio! nostris modo conscius ausis*
Æquoreos vocat ecce deos Neptunus.

Illa Mopsi oratio insigni laude conspicua est: non poterant magis apposite adhiberi exclamationes, interrogationes, apostrophæ, repetitiones. Potest conferri cum Nerei Vaticinio, Horat. lib. I, Od. 15:

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera dardanæ
Genti!

Pro *conscius* legendum est *concitus*, quod habent cum omnes manuscripti, tum pleræque veteres editiones. *Conscius*, quod in secunda editione Maserii reperitur, typographi mendum esse videtur. Hanc tamen lectionem assumpserat Heinsius. Burmannus, quamvis potiorem haberet lectionem *concitus*, Heinsii editionem hoc loco non emendavit, posterioresque editiones retinuerunt quoque *conscius*.

V. 216. *Nunc patrui, nunc flecte minas.* — Ovidius dicit de Ulysse, Minervæ ope, ab ira Neptuni servato: Trist. lib. I, Eleg. 2, v. 10:

Eripuit patruo sæpe Minerva suo.

V. 228.... *sed enim contra Phœbeius Idmon*
Non pallore viris, non ullo horrore comarum
Terribilis, plenus fatis Phœboque quieto.

Hoc loco duo genera divinationis videre est, quorum unum placidum ac quietum, alterum agitatione furoreque turbidum. Prioris exemplum est apud Virgilium Heleni divinatio, Æn. III, v. 373; posterioris, Sibyllæ, Æn. VI, v. 46; quorum utrumque alteri opposuit ex industria Valerius.

V. 244. *Non mihi thessalici pietas culpanda tyranni.*

Hic *tyranni* significatio nihil habet invidiosi. Sic Latinus ad legatos Æneæ, ducem invitans ut secum ad colloquium congrediatur, ait, Æn. VII, v. 266:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

V. 253 .... *exta ministri*
Rapta simul verubus, cereremque dedere canistris.

Per errorem impressum est *verubus*. Codex vaticanus et Burmanni editio habent *veribus*; tum Balbus, in nota quam refert Burmannus, probat debere dici *veribus*; ita et Pierius censebat (vide Pierii notas in Virgilium). Vossius (de analogia, lib. II, cap. 18) unam tantum auctoritatem affert pro *verubus*, et hanc quidem haud incontroversam.

Heinsius notat ministros Argonautis fuisse nusquam legi. Potest hujus vocis ratio probari, si quidem Argonautæ, nondum ingressi navem, poterant etiamnum propriorum Jasonisve servorum uti ministerio. Apud Apollonium, Jasonis famuli tauros immolandos adducunt, servique inter epulas pocula ministrant. Hæc nostra videtur probabilior Burmanni interpretatione, qui *ministros* vocari putat Argonautarum juniores.

V. 255. *Jamque aderat summo decurrens vertice Chiron,*
Clamantemque patri procul ostendebat Achillem.

Chironis adventus puerum Achillem suum alumnum adducentis, ut patri Peleo valedicat, gratissimum efficit ἐπεισόδιον. Parvulus ille Achilles toreumata paterasque vino spumantes nil curans, attente vero et curiose hunc heroum cœtum pellemque nemeæi leonis intuens, jam nunc Lycomedis transfugam prænuntiat. Achillis pueri interventum prior excogitavit Apollonios, nisi quod ille, suo more, ornamentorum parcus, quum ea tantum admittat, quæ fabulæ connexui adhæreant festinentque ad eventum, parvuli Achillis duntaxat e longinquo ostendit effigiem magnifice in tabula mirum in modum expressam, diis omnibus ab Olympi vertice navis discessum spectantibus, nymphis in Pelii cacumine sedentibus, Chirone manu Argonautis innuente, inque proximo, uxore Chariclo parvulum Achillem manibus gestante, patrique Peleo blande natum protendente.

V. 258. *Et ingenti tendentem brachia passu.* — Heinsius hic notat *passum* de brachiis diei, quod non videbitur insolitum reputanti *passum* duci a *pandere; pandere brachia* obvium erebro.

V. 262. *Magnumque sonantes Haurit.* — Miror Burmannum, quum verborum *sonantes* et *haurit* vim perite explicet, exemplum afferre de Iscano Gnaltheroque, quum posset de Horatio, lib. II, Od. 13, v. 26:

> Et te sonantem plenius aureo,
> Alcæe, plectro.

Et infra, v 30:

> . . . . sed magis
> Pugnas et exactos tyrannos
> Densum humeris bibit aure vulgus.

V. 270. *Et nostram festinet ad hastam.* — Hasta Pelei, quæ vocatur Pelias, donum erat centauri Chironis.

V. 273. *Et auratis Argo reditura corymbis.*—Corymbi ornamenta navium erant in summa parte quæ incurva est, puppis præcipue, ut in hoc Valerii versu, lib. IV, v. 691:

> Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis.

Vide Schefferum de Militia navali, pag. 156. Redeunte nave, inaurabantur hæc ornamenta in signum alacritatis.

V. 278.... *Ut steterit redimitus tempora vittis*
Phryxus.

Apud Apollonium, altiores quidem res Orpheus canit, evolutum chaos, mundi ortum, astrorum cursum, etc.; apud Valerium vero, magis ad rem pertinentes, memorans fugam Phryxi vellerisque originem. Helles casus descriptione vel potius pietura nihil ad movendos animos aptius: cujus manus, capillos, exstantes undis, sublimiter pingit poeta. Miranda et hæc apostrophe: *Quis tibi, Phryxe, dolor.*

V. 296 .... *Hunc gravis Æson*
Et pariter vigil Alcimede spectantque tenentque
Pleni oculos.

Apud Apollonium, Æson et Alcimede suis ædibus non exeunt. Jason matrem deterret, ne se ad navem prosequatur, cavens ne materni doloris testes sint Argonautæ. Sic apud Virgilium Turnus, Æn. XII, v. 72:

> Ne, quæso, ne me lacrimis, neve omine tanto
> Prosequere, in duri certamina Martis euntem,
> O mater.

At ejusmodi affectuum subtilitatibus servandis alienus est Valerius, et homines ejus ætatis earum sensu caruisse suspicor.

V. 301. *Visa coronatæ fulgens tutela carinæ*
Vocibus his instare duci.

Tutela vocabatur numen navis tutelare cujus effigies ad puppem erat posita. Valerius alio loco, lib. VIII, v. 203, dicit in puppe Argo simulacrum Minervæ auratum fuisse, unde forsan illud epithetum *fulgens* hic adhibitum.

Ovidius, quum in exsilium proficisceretur, majorem navigationis partem peregit iu nave, cui nomen erat Galea, cujns tutelare nnmen erat Minerva, Trist. lib. I, Eleg. 10, v. 1:

Est mihi, sitque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis: et a picta casside nomen habet.

—*Coronatæ*. Coronabatur navium puppis sive discedentium e portu, sive prosperam post navigationem redeuntium, ut vides iu Virgilio, Æo. IV, v. 417:

..........Vocat jam carbasus auras,
Puppibus et læti nautæ imposuere curonas.

Georg. lib. I, v. 303:

Ceu pressæ quum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus et læti uautæ imposuere corouas.

V. 304. .... *Nec fatidicis avellere silvis*
Me nisi promisso potuit Tritonia cælo.

Juno est, nt supra vidimus, quæ Græciæ heroas impnlit, ut in navem Argo cooscendereot. Ipsa quoque hortata est Dodonæ quercum, ut e silva cederet, pollicendo fore nt olim navem in cælo reponeret. Altera res alteram sequitur. Quæ connexio Nodellinm profecto fefellit, quippe qui proponat *Tritonia* pro *Saturnia*. Heynius (ad Apollodor. not. p. 176), proposita Nodellii emendatione, notat Argonautarum navigationem esse in præcipua Minervæ tutela apud cæteros omnes scriptores, dissidente uno Valerio, qui Junonem in locum Minervæ substituit. Hic vero tantum agitur de cælesti sede quam Juno dodonææ quercui promiserat. Apnd Apollonium Valeriumque, Juno et Pallas Argonautis conjuncte faveut, incolumi tamen proprio singularum ingenio ac persona; itaque Junonis, utpote deorum reginæ, proprium magis est quam Palladis cælestes honores promittere.

V. 319. *Obruat idæam quantum tuba martia buxum.*

Idæa buxus est phrygia tibia quæ adhibebatnr iu Cybeles sacris. Virg. Æn. IX, v. 619:

Tympana vos buxusque vucant berecyuthia matris
Idææ.

V. 320. .... *Nate, indignos aditure labores,*
Dividimur.

Ex hac Alcimedes oratione nonnnlla repetit Apollonins sibi propria,

ipse tamen simpliciori et movendis animis aptiori usus oratione. Hæc sententia, *mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor,* videtur in ore Alcimedes absona; ea antem Valerio mens est, ut lectorem præparet ad imminentes miserabiles casus, doceatque Alcimeden eo esse animo quæ mortem tanqnam bonum intueatur.

V. 350. *Et jam finis erat.* — Nil Jason respondet parentium verbis: ille discessus mihi videtur abruptus.

V. 353. *Hinc sævum Telamon pelagus tenet.* — Argonautarum enumeratio hactenus dilata inceptam jam fabulam intempestive moratur: suam quisque sedem in nave tenent; in manibus remi sunt; nil lectori longius quam ut solventes e portu videat. Apud Apollonium contra, hæc enumeratio ad initium poematis posita necessarium videtur quoddam prooemium; vides singulos Argonautas adesse variis e partibus Græciæ, numeroque sensim crescere: hoc magis e natura est, legentemqne viva quadam varietate detinet. Eminet etiam e catalogi describendi ratione Apollonii artificium. Quinquaginta virorum singulorum dissoluta enumeratio quid aliud quam nominum languidam ac tædiosam seriem obtulisset? Quod vitium cavens Apollonius personas suas, ut ita dicam, copulavit, alias provinciatim, alias generatim, alias aliter. Valerius Telamonem ac Pelea fratres disjunxit, quinquaginta versibus interpositis; idem est de Nestore ac Periclymeno, de Tydeo ac Meleagro, ne indicata quidem cognatione. Omissis regionum ac stemmatum descriptionibus, qnas apud Apollonium reperias, larga sane facilique via grassatus est, detractis plerisque loci difficultatibus. Hic vero conveniebat priscos homines notos facere, quippe qui plerasque urbes Græciæ condiderint, genuerintque omnes heroas qui sequentibus sæculis inclaruerunt: hoc deest in Valerio: quem defectum ut, quantum possem, supplerem, sequentibus notis curavi.

V. 353. *Hinc sævum Telamon.* — Apoll. lib. I, v. 90-94: Τεῖσι, etc.

V. 355. *Celer Asterion.* — Apoll. lib. I, v. 35-39: Ἤλυθε, etc.

V. 358. *Nititur hinc Talaus.* — Apoll. lib. I, v. 118-121: Ἀγρόθεν, etc.

V. 360. *Hinc quoque missus adest quamvis arcentibus Idmon*
Alitibus.

Apoll. lib. I, v. 139-145: Ἴδμων, etc.

V. 363. *Hic et Naubolides tortas consurgit in undas*
Iphitus.

Apoll. lib. I, v. 207-210: Ἐκ δ' ἄρα, etc. — Hinc discimus Jasonem, antequam Colchos proficisceretur, ivisse consultum oraculum delphicum, cui itineri, quamvis nusquam de eo verbum fecerit, aliquo tamen loco alludit Valerius.

V. 364. *Qui tenet undisonam Psamathen, semperque patentem*
Tænaron Euphemus.

Apoll. lib. I, v. 179-184: Ταίναρον, etc. Confer hunc locum cum Virg. Æn. VII, v. 810:

> Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
> Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Πεφόρητο, i. e. *ferebatur*, rude mendacium est: at *ferret*, id est, *posset ferre* exquisitissima est hyperbole. Præterea versificationis quanta disparilitas! Ubi reperias apud Apollonium hanc imaginem: *Fluctu suspensa tumenti?*

V. 365. .... *Mollique a litore Pellæ*
Deucalion certus jaculis, et comminus ense
Nobilis Amphion.

Apoll. lib. I, v. 176-178: Ἀστέριος, etc. Vide Wagneri notam in versum 365.

V. 368. *Nec potuit similes, voluitve ediscere vultus.*

Virg. Æn. X, v. 391:

> Daucis, Laride Tymberque, simillima proles,
> Indiscreta suis, gratusque parentibus error.

V. 369. *Tum valida Clymenus percusso pectore tonsa,*
Frater et Iphiclus puppim trahit.

Hæc nomina *Clymenus* et *Iphiclus*, quum essent in manuscriptis Valerii corrupta, videntur a criticis reposita fuisse. Hi duo fratres sunt forsan *Clytius* et *Iphitus* de quibus meminit Apollonius, lib. I, vers. 86. In editione Aldina hæc duo posteriora nomina priorum in locum sunt reposita; *Clytius* pro *Clymenus* sine controversia; *Iphiti* vero secunda corripitur syllaba, dum contra *Iphicli* producitur. Reor aut legendum esse: *Iphitus et frater puppim trahit*, aut existimandum hoc nomen nonnihil immutatum esse a Valerio, quemadmodum infra, v. 438, *Erytus* in *Eurytus*.

V. 371. *In tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu,*
Nauplius.

Apoll. lib. I, v. 133-138: Τῷ δ' ἐπὶ, etc.

V. 372 .... *Et tortum non ab Jove fulmen Oileus*
Qui gemet, euboicas nato stridente per undas.

Oileus regnabat in Locros Epicnemidios. Apoll. lib. I, v. 74-76: Ηεν Οϊλεὺς, etc. Valerius nuntiat mortem ejus filii Ajacis quem Pallas fulmine percussit, de quo Virgilius, Æn. I, v. 42:

> Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
> Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;

V. 374. *Quique Erymanthei sudantem pondere monstri*
Amphitryoniaden tegeæo limine Cepheus
Juvit, et Amphidamas.

Apoll. lib. I, v. 161-169 : Καὶ μὴν Ἀμφιδάμας, etc.

V. 378. *Tectus et Eurytion servato colla capillo,*
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.

Eurytion, Locrensis, filius Iri, Actoris pronepos, patruum habebat Menœtium, Actoris filium, et ipsum Argonautam : proinde Eurytion et Patroclus patrueles erant. Eurytion, ut refert Valerius, longos alebat capillos, quos pater voverat se post reditum filii musis consecraturum. Peleus itidem Achillis comam Sperchio voverat. Vid. Hom. Il. XXIII, v. 146.

V. 380. *Te quoque thessalicæ Nestor rapit in freta puppis*
Fama.

Nestor soli Valerio debet quod inter Argonautas babeatur; at omnes Mythici fratris ejus natu majoris Periclymeni meminerunt, de quo Noster infra, v. 588. Nestor, quum binis jam ætatibus hominum exactis ad obsidendam Trojam iverit (1), potuit a Valerio adscribi Argonautarum expeditioni, quæ una tantum ætate ante obsidionem Trojæ suscepta fuit.

V. 387. *Quin etiam Herculeo consurgit ab ordine Tydeus.*

Tydeus, quem Apollonius inter Argonautas non refert, filius erat Œnei regis Ætoliæ, fraterque Meleagri de quo Valcrius infra, v. 435.

V. 388. *Nelidesque Periclymenus, quem parva Methone,*
Et levis Elis equis, et fluctibus obvius Aulon,
Cæstibus adversos viderunt frangere vultus.

Apoll. lib. I, v. 156-160 : Σὺν δὲ, etc.

Periclymenus occisus fuit ab Hercule, quum se inter pugnam in muscam convertisset, secundum Scholiasten Apollonii; in aquilam, secundum Ovidium, Metam. XIII, v. 560.

V. 391. *Tu quoque Phryxeos remo, Pæantie, Colchos*
Bis Lemnon visure, petis.

Apollonius Philocteten non recenset inter Argonautas: sed ejus patrem Apollodorus eis adscribit Pæantem, quem nonnulli memoraut occidisse gigantem Talaum in insula Crete. Quum Philoctetes Herculem amicum habuerit, a quo etiam moriente sagittas acceperit, potuit fieri ut revera fuerit et ipse Argonauta, quemadmodum scribit Valerius.

V. 394. *Proximus hinc Butes Actæis dives ab oris.* — Butes Teleontis

(1) Hom. Il. I, v. 252.

filius ex Attica erat (1). Quum rediret e Colchide, Sirenum carmine victus, ad eas nataturus se in mare præcipitavit (2); sed Veneris beneficio a fluctibus servatus appulit Lilybæum, ibique sedes fixit. Pater fuit Erycis, unius Argonautarum, secundum Servium (3). Cave ne confundas Buten Argonautam cum Bute, Pandionis filio, multo antiquiore, sive cum athleta Bute qui se (4)

Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat.

V. 398. *Insequeris, casusque tuos expressa, Phalere,*
Arma geris.

Apoll. lib. I, v. 96-100 : Εὐμμελίηστε Φάληρος. Ἄλκων μιν προέηκε πατὴρ ἑός, etc. Alcon nomen est etiam Cretensis sagittarii de quo Manilius, lib. V, v. 305 :

.... serpentem super ora cubantem,
Infelix, nati, somnumque animamque bibentem
Sustinuit misso petere et prosternere telo.

Nominis similitudo induxit Valerium, ut hoc dexteritatis facinus Phaleri patri adscriberet.

Cernebatur Athenis juxta Phalereum portum ara posita Phalero Jasonis comiti. Pausan. lib. I, cap. 1.

V. 402. *Tum cælata metus alios gerit arma Eribotes.* — Eribotes, filius Teleontis, Locrensis erat. Apoll. lib. I, v. 71.

V. 407. *Liquit et Actorides natum Chironis in antro.* — Menœtius, Actoris filius, ex Opunte, Patrocli pater erat. Apoll. lib. I, v. 69.

V. 411. *Et quem fama genus non est decepta Lyæi,*
Phleias immissus patrios de vertice crines.

Apoll. lib. I, v. 115-117 : Φλείας, etc.

V. 413. *Nec timet Ancæum genitrix committere ponto.* — Ancæus, filius Neptuni, Samius, fuit et fortis bello, et navigandi peritus. Vid. Apoll. lib. I, v. 188. Astypalæa ejus mater filia erat Phœnicis, secundum Scholiasten Apollonii, lib. II, v. 868, qui refert Ancæum ab apro occisum esse, quum in eo esset, ut vinum gustaret vineæ ab ipso consitæ, de qua nunquam eum esse gustaturum prædictum erat : quæ res locum dedit proverbio :

Multa cadunt inter calicem supremaque labra.

(1) Apoll. lib. I, v. 95.
(2) Apoll. lib. IV, v. 912; Apollodor. lib. I, cap. 9.
(3) Not. in AEn. lib. V, v. 24.
(4) Virg. AEn. V, v. 373.

Vide quoque Pausan. lib. VII, cap. 4. Ancæus, secundum Apollonium, lib. II, v. 900, Tiphy mortuo, ad clavum fuit admotus. Ne confundas hunc Ancæum e Samo cum altero ex Arcadia, de quo supra, v. 377.

V. 414. .... *Securus, in æquor*
Haud minus Erginus, proles Neptunia, fertur.

Erginus, Neptuni filius, e Mileto, rei militaris æque ac nauticæ fuit peritus. Vide Apoll. lib. I, v. 187.

V. 420. *Taurea vulnifico portat ecelataque plumbo*
Terga Lacon.

Apoll. lib. I, v. 146-150 : Καὶ μὴν Αἰτωλὶς, etc.

Valerius hic describit vestes, quas Leda natorum in usum acu pinxerat. Hujus loci venustas, et styli præsertim elegantia maxime notanda est : *tremit purpura, fuderat Eurotan, portat sonipes, volat cycnus* sunt locutiones vividæ quæ descriptis rebus vitam et motum addunt. Præterea hic magis quam ubivis eminet Valerii judicium et antiquitatis peritia : poeta, legentis cum voluptate, paucis versibus recenset vetus nomen Œbaliæ, Thessalicos frenos, urbem Amyclas, Tænariam purpuram, Taygeton, Eurotan et cycnum Ledæ.

V. 433. *At tibi collectas solvit jam fibula vestes,*
Ostenditque humeros fortes, spatiumque superbi
Pectoris herculeis æquum, Meleagre, lacertis.

Apoll. lib. I, v. 190-101 : Οἰνείδης, etc. — Apud Apollonium duo comites adsunt Meleagro, quorum apud Valerium nulla mentio; ipse postea, lib. III, v. 645, obstinati ac superbi animi juvenis speciem habet.

V. 436. *Hinc numerosa phalanx, proles Cyllenia : certus*
Æthalides subitas nervo redeunte sagittas
Cogere.

Apoll. lib. I, v. 54-55 : Αἰθαλίδης, etc. —Æthalides filius erat Mercurii, cui pater dedit, ut vita functus, omnium quæ contingerent, memoriam haberet (1). Pythagoras Æthaliden se fuisse prædicabat.

V. 438..... *tu medios gladio bonus ire per hostes,*
Euryte : nec patrio Minyis ignobilis usu,
Nuntia verba ducis populis qui reddit, Echion.

Apollon. lib. I, v. 51-52 : Οὐδ' Ἀλόπη, etc. — Valerius nomen Eryti paulum immutavit, ut primam syllabam longam efficeret. Sic supra, v. 370, *Iphitum* in *Iphiclum* mutavit.

V. 441. *Sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis.* — Iphis soli Valerio inter Argonautas memoratur, plane ignotus.

(1) Apoll. lib. I. v. 643.

V. 444. *Te quoque dant campi tanto pastore Pheræi Felices, Admete.*

Apoll. lib. I, v. 49-50 : Οὐδὲ Φεραῖς, etc. — Hic Valerius meminit de Apolline Jovis coactu pecudes Admeti pascente. Hanc fabulam, mythologicas inter gratissimas unam, Callimachus, nisi quod spurce finxit Apollinem Admeti amore captum, cum nativo quodam et simplici lepore cecinit, Hymn. ad Apoll. v. 47 sqq. Ad Valerium redeo : Ille Dianæ in fratrem ploratus e natura est, affectuque plenus. Quod canit poeta de Apollinari coma, e qua defluit panacea, ut ait Callimachus, Hymn. ad Apoll. v. 40, quam rore puro Castaliæ lavare solet Apollo (vid. Hor. Carm. lib. III, Od. 4), proprium antiquitatis saporem redolet. Cæterum omnis ille locus, ac præsertim egregia illa exclamatio

> Ah quoties famulo notis soror obvia silvis
> Flevit !

composita est ad imitationem hujus loci, Tibul. lib. III, Eleg. III, v. 17 :

> O quoties, illo vitulum gestante per agros,
> Dicitur occurrens erubuisse soror!

Et infra :

> Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos.

V. 450. *Insurgit transtris, et remo Nerea versat Canthus.*

Apoll. lib. I, v. 77-85 : Αὐτὰρ ἀπ' Εὐβοίης, etc. — Secundum Valerium, non Abantis nepos sed filius erat Canthus. Quum autem Valerius hujuscemodi res parum curare videatur, non is est genealogiæ assertor cui refragari nemo possit. Nomen Abantis eum induxit, ut hoc loco clypeum describeret, de quo Virg. Æn. III, v. 286 :

> Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
> Postibus adversis figo, et rem carmine signo :
> Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Canthus, secundum Apollonium, lib. IV, v. 1485, interiit in Libya : apud Valerium vero, lib. VI, v. 317, interficitur adversus Scythas pugnando.

V. 457. *Et tibi palladia pinu, Polypheme, revecto.* — Apoll. lib. I, v. 40-44 : Λάρισσαν, etc. — Valerius fingit Polyphemum in patriam eo ipso rediisse tempore, quo patris corpus impositum rogo cremaretur : quo casu permotus lector nescit utrius sortem magis misereatur, Canthine qui proxime supra dicitur in expeditione interiisse, an Polyphemi in id servati, ut tam acerbum spectaculum rediens statim deprehenderet. Hoc verbum *deprendere*, id est, *incidere in* miram concinnitatem habet.

Apollonius veritatis historicæ fidus assecla canit, lib. I, 1240-1245, Polyphemum simul cum Hercule ab Argonautis in Mysia relictum, ibi Cium condidisse juxta fluvium ejusdem nominis.

V. 460............ *Breviore petit jam cærula remo,*
Occupat et longe sua transtra novissimus Idas.
At frater magnos Lynceus servatur in usus.

Apoll. lib. I, v. 151-155 : Οἵ τ' Ἀφαρητιάδαι, etc. — Lynceus ab Hygino, caput XIV, p. 54, vocatur *proreta*.

V. 468. *Quin et Cecropiæ proles vacat Orithyiæ,*
Temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.

Apoll. lib. I, v. 211-223 : Ζήτης, etc. Gratissima est illa auctoris græci descriptio, et artis poeticæ plena. Miror Valerium eorum nomina tantum retulisse, quum ipsi possent aliquid carmine dignum suppeditare.

V. 470. *Nec vero Odrysius transtris impenditur Orpheus.*

Apoll. lib. I, v. 23-34 : Πρῶτά νυν, etc. — Si non ille Apollonii locus, at saltem Orphei nomen vim poeticam Valerii stimulaturum esse videbatur; sed ille hoc tantum memorat, Orphei munus esse modum remis ducendis dare, quod nauticis verbis sic enuntiat Hyginus, cap. XIV, p. 55 : *Celeusma dixit Orpheus*. Vide Schæffer. de mil. nav. p. 307.

V. 473. *Donat et Iphiclo pelagus juvenumque labores*
Æsonides.

Apoll. lib. I, v. 45-48 : Οὐδὲ μὲν Ἴφικλος, etc. — Valerius omittit dicere Iphiclum fuisse Jasonis avunculum : atqui valet ad commendationem talis cognatio; nec meminit Valerius egregii muneris quod nunc Iphiclo tradit, quippe quem nusquam postea quicquam loquentem inducat.

V. 477. *Arge, tuæ tibi cura ratis.* — Argus Arestoris erat filius, secundum Apolloninm, lib. I, v. 112.

V. 481. *Pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro*
Hagniades.

Apoll. lib. I, v. 105-110 : Τῖφυς, etc. — Siphæi gloriabantur se fuisse olim peritos naviculatores, Tiphynque exempli causa jactabant gubernatorem ab Argonautis electum, monstrabantque juxta Siphas locum quo navem Argo redeuntem e Colchide appulisse memorant. Vide Pausan. lib. IX, p. 774.

V. 484. *Ecce per obliqui rapidum compendia montis*
Ductor avens lætusque dolis agnoscit Acastum.

Totam hanc enumerationem claudit Acastus, apud utrumque poetam argonauticum : latinus quinquaginta viros nominat, præter Jasonem et Hylan : Græcus vero, tres et quinquaginta. Valeriani omnes Argonautæ apud Apollonium quoque reperiuntur, quatuor exceptis, Iphi, Nestore, Philoctete, Tydeoque. Argonautæ ab Apollonio memorati quorum no-

mina apud Valerium desunt septem snut, Coronus scilicet, Eurydamas, Laocoon, Iphiclus Thestii filius, Palemonius, Areius, Augeas. Apparet eam Valerio mentem fuisse, ut pro quibusdam subobscuris nominibus inclyta reponeret.

V. 489.......... *haud aliter saltus vastataque pernix*
Venator quum lustra fugit, dominoque timentem
Urget equum, teneras compressus pectore tigres
Quas astu rapuit pavido; dum sæva relictis
Mater in adverso catulis venatur Amano.

Singulari artificio perfecta est illa comparatio. Acriter expressus est venatoris pavor incitato equo fugientis cum præda : tum equus ille domino metuens exquisito affectu plena excogitatio est.

Mons Amanus frequens erat feris. Tullius, quum Ciliciæ provinciæ præesset, plurimas pantheras venatu capiendas curavit, quas Cælio ædili curuli mitteret. Vide Cic. Epist. ad fam. II, 11.

Nonnulli eruditi viri putant montem Amanum designari hoc Cantici canticorum loco, cap. IV, v. 8 : «Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano : veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.»

V. 500. *Patrii neque enim probat otia regni.* — Jupiter non sinit otiosos esse mortales : juvat enim industria quæ artes invenit perficitque. Hanc opinionem antiquam præclaris versibus extulit latinæ poeseos princeps, Georg. lib. I, v. 121 :

.... pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda :
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

V. 510. *Non improbà legi Divitis arva plagæ.* — Divitiæ homines sæpe faciunt improbos injustosque : Sol ibi queritur injustitiam Græcorum qui filium suum Æetam bello lacessant. Vox *improba* potest hic significare *quæ improbos faciunt.*

V. 511...................... *tenant uberrima Teucer,*
Et Libys, et vestri Pelopis domus.

Vox *Libys* potest hoc loco gentienm nomen esse, et incolas Africæ designare, quemadmodum in hoc Silii Italici versu, lib. I, 657 :

Omnis ab æstifero sitiens Libys imminet axe,

aut privatum nomen, sicut et Teucer et Pelops quibus adjungitur, heroemque designare a quo Libyæ nomen. Vulgatior fama est Libyam à quadam nympha nomen accepisse.

V. 515............ *sed nube rigens ac nescia rerum*
Stat super, et nostros jam zona reverberat ignes.

Nescia rerum zona, hoc est, regio sterilis, quæ nihil proferre possit, inhabitabilis. Ovidius ait de Scythia, Trist. lib. III, El. IV, v. 451 :

> Ulterius nihil est nisi non habitabile frigus.

V. 524. *Et generos vocat, et junctas sibi sanguine terras.* — Phryxus erat solus revera gener Æetæ, at hic per κατάχρησιν omnes Græcos generos vocat. Sic apud Virgilium Latinus dicit, Æn. VII, v. 270, generos *externis affore ab oris*, alioque loco, lib. XII, v. 657,

> .... mussat rex ipse Latinus
> Quos *generos* vocet.

« Pluraliter autem, ait Servius in hunc locum, generos de exercitibus quorum duces sunt Æneas et Turnus. »

V. 535. *Quum varios struerem per sæcula reges.* — Vox *struerem* imaginem efficit, pingitque ob oculos alias δυναστείας aliarum ruinis insistentes. Nota splendorem harum elocutionum; *undat equis, floret viris*, tum concinnitatem hujus locutionis, v. 543 : *et poscunt jam me sua tempora Graii.*

V. 547. *Propior de virgine rapta Ille dolor.* — *Propior* an *proprior* legendum sit ambigitur. *Propior* tamen potior videbitur, si quis respexerit ad hunc locum Ovidii, Metam. XIII, v. 578 :

> Cura deam propior luctusque domesticus angit.

V. 589........... *Quum flens siculos Œnotria fines*
Perderet...

Auctor felici prosopopœia usus, humanos sensus Italiæ affingit Siciliæ discessionem dolenti.

V. 610................ *Fundunt se carcere læti*
Thraces equi, etc.

Si comparaveris hanc tempestatis descriptionem cum Virgilio, Ovidio, Lucano cæterisque, Valerium reperies Ovidio pressiorem, Lucano sapientiorem, Virgilio vero longe inferiorem. Locus ille

> .... vasto pariter ruit igneus æther
> Cum tonitru,

multo inferior est hoc versu, Æn. lib. I, v. 94 :

> Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther.

Piceoque premit nox omnia cœlo. Pulchrum illud quidem, sed hoc præstantius : *ponto nox incubat atra.*

—*Excussi manibus remi.* Hic facile agnoscas hunc locum, Æn. IX, v. 476 : *excussi manibus radii.*

> .... conversaque frontem
> Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus.

Quanto concisior pressiorque hæc locutio :

> .... tum prora avertit et undis
> Dat latus.

Quod sequitur :

> Vela super tremulum subitus volitantia malum
> Turbo rapit,

imitatio est Lucani, Phars. lib. V, v. 594 :

> Avulsit laceros, percussa puppe, rudentes
> Turbo rapax, fragilemque supervolitantia malum
> Vela tulit.

Antenna, cujus extrema pars jactatione navis immergitur in æqnor, emergitque, mihi videtur excogitatio Valerio propria, quam quum imitaretur Statius, ultra veri similitudinem progressus est, malum pro antenna ponendo, Theb. liv. V, v. 373 :

> .... puppemque insana flagellat
> Arbor, et instabili procumbens pondere, curvas
> Raptat aquas.

V. 618...... .... *conversaque frontem*
Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus.

Vox *latere* quæ legitur in editionibus Heinsii Burmannique mihi videtur mendum; mannscripti veteresqne editiones habent *latus ;* hunc locum existimo sic esse legendum :

> ....conversaque frontem
> Puppis : in obliquum resonos latus accipit ictus.

Quam lectionem confirmat sequens Lucani locus, Phars. lib. III, v. 627 :

> Strage virum cumulata ratis, multoque cruore
> Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.

V. 670. *Seu casus nox ista fuit; seu volvitur axis,*
Ut superum sic staret opus; tollique vicissim
Pontus habet.

Locus ille manifesto mendosus est ; quem qnnm alii aliter emendare conati sint, nulla ratione habita particularum *ut* et *sic* quæ sibi invicem respondent, ego hanc lectionem propono :

> .... seu volvitur axis
> Ut superum, sic, stare et opus tollique vicissim
> Pontus habet.

Oudendorpius censet τὸ *opus habere* cum infinitivo jungi posse.

V. 680. *Tantus nostras condere per urbes.* — Antea legebatur : *tantum nostras concede per urbes.* Eo felicior est Heinsii emendatio, quod innititur alio ejusdem anctoris loco, lib. V, v. 208 :

.... veneranda fluentis
Effigies te, Phasi, manet; quam magnus Enipeus
Et pater aurato quantus jacet Inachus antro.

V. 690. *Qualiter ad summi solium Jovis omnia circum*
Prona, parata deo; ventique, imbresque, nivesque
Fulguraque, et tonitrus, et adhuc in fontibus amnes.

Statius similiter pingit Jovem solio sedentem circumstantibus diis, fluviis et ventis, Theb. lib. I, v. 205:

.... mox turba vagorum
Semideum, et summis cognati nubibus amnes,
Et compressa metu servantes murmura venti
Aurea tecta replent.

Vide et Plautum, Trinumm. Act. IV, sc. 2, v. 98:

Ad caput amnis quod de cælo exoritur sub solio Jovis.

V. 723........ *Sunt hic etiam tua vulnera, prædo,*
Sunt lacrimæ, carusque parens.

Miror nullum glossographum, monente hoc loco, meminisse hujus Virgiliani loci, Æn. I, v. 466:

.... sunt hic etiam sua præmia laudi,
Sunt lacrimæ rerum.

V. 726. *Bistonas ad meritos quum cornua sæva Thyoneus*
Torsit.

Gronovius, Observ. lib. 17, ait *cornua* hoc loco esse quædam instrumenta recurva in sacris Bacchi adhiberi solita. Sed vox *torsit* illi repugnat significationi, monetque hæc esse Bacchi capitis cornua. *Torquere cornua ad* hoc loco idem est quod *torquere oculos ad.*

V. 729. *Conjuxque fugit natique Lycurgum.* — Lycurgus, Thraciæ rex, amens factus ob injuriam illatam Baccho, uxorem, filiumque Dryanta mactavit. Vid. Apollodor. lib. III, cap. 5, sect. 1, et Hygin. fab. CXXXII, p. 236.

V. 736............. *sævoque vocat grandæva tumultu*
Thessalis exanimes atavos.

Wagnerus putat Alcimeden ipsam, designatam verbis *grandæva Thessalis*, manes evocare. Ego Burmanno cæterisque commentatoribus assentior, sagam hic sive sacerdotem innui, quæ vocatur *Thessalis*, v. 780, *sacerdos*, v. 755. Vid. apud Erasmum proverbium *Thessala mulier.*

V. 737. *Magnæque nepotem Pleiones.* — Maia, Mercurii mater, filia erat Atlantis Pleionesque. Mercurius sæpe vocatur Pleiones nepos. Ovid. Heroid. Ep. XVI, v. 65:

Atlantis magni Pleionesque nepos.

Id. Metam. lib. II, v. 742:

> .... cui sic respondit Atlantis
> Pleionesque nepos.

V. 751. *Secretisque ciet volitans pater Æolus antris.* — Manuscripti, omnesque ante Carrionem editiones habent *arvis* pro *antris*. Antiquior lectio mihi videtur et potior.

V. 752. *Horruit interea famulum clamore supremo*
Mœsta domus.

Quod Wagnerus de Peliæ regia, nos de domo Æsonis et familia intelligimus: quum enim auctor jam antea Peliæ desperationem, impotentem satellitum ejus furorem (v. 702: *Fremit objice ponti clausa cohors*) exhibuerit, præposterum esset Peliæ domus consternationem hic appingere. Æsonis vero famuli, hostili regis apparatu conterriti, simul audientes Æsonis caput his armis tunc peti, clamores tollunt, periturum jamjam herum complorantes.

V. 753. .... *regemque fragor per mœnia differt*
Mille ciere manus, et jam dare jussa vocatis.

Id est, rumor per totam urbem vagatur, regem armatos comparare, qui Æsonem interficiant.

V. 755. *Nemusque.* — *Nemus* est lignum sacrificio paratum. Sic apud Senecam, Herc. fur. v. 1216:

> Aggerem
> Quin structum acervans nemore congesto.

Valerius adhibet eodem sensu vocabulum *silva*, lib. III, v. 426:

> Circum humiles aras, ignotaque nomina divum
> Instituit, silvaque super contristat opaca.

V. 768.. *Rictuque genas et lumina pressit.* — Hæc verba os leonis ira contractum pingunt. Recte Pius imaginem sic explicat: *rictu*, hiatu oris; scilicet diducto ore genas et lumina comprimit, stringit.

V. 767................. *et jam circumspicit Æson*
Præveniat quo fine minas, quo fata capessat
Digna satis.

Apollodorus, lib. I, cap. 9, sect. 29, refert Æsonem, ne Peliæ jussu interficeretur, ipsum sibi mortem conscivisse sanguinem tauri bibendo; Alcimeden vero, Peliæ mala omnia precatam, suspendio vitam finivisse.

Quum exitus miserabilis ac luctuosus Senecæ, Lucani et aliorum, qui, Neronis jussu, mortem sibi conscire coacti sunt, tum exemplum Arriæ, Paulinæque uxoris Senecæ, quæ maritis superesse non sustinuerunt, Valerium hortabantur, ut occasione data uteretur atrocem exitu scenam describendi, quales nuperrime, spectante populo romano, tyrannus exhibuerat.

V. 782. . . . . *Jamjam exorabile retro*
Carmen agens : neque enim ante leves niger avehit umbras
Portitor, et eunctæ primis stant faucibus Orci.

Retro agens earmen. Sic apud Quintilianum occurrit *retro agere ordinem, expositionem.* Ed. — *Jacobs*, Miscell. philolog. vol. I, p. 72, τὸ *exorabile retro carmen agens* illustrat Horatii exemplo, Epod. XVII, v. 7:

Citumque retro solve, solve, turbinem.

Ut igitur veneficæ quibusdam formulis humanas mentes devincire, et aliis easdem solvere se posse existimaverint, ita etiam Thessalida Valerii, ut umbras evocatas pristinis suis sedibus redderet, iisdem carminibus putat usam, ne scilicet a portitore rejectæ in ipsis Orci faucibus retinerentur. Quum vero τὸ *cunctæ* elumbe sit, et ab hoc loco alienum, ideo quod per se pateat, non unam aut alteram illarum umbrarum, sed *omnes* eidem legi fuisse obnoxias, in ejus locum reponi suadet *vinctæ*, nondum solutæ, adhuc incantatæ. Wagnerus.

V. 812. . . . . *Quin fida manus, quin cara suorum*
Diripiat, laceretque senem.

Hoc alludit Peliæ neci, quem suæ filiæ frustatim dissecuere, Medeæ dolo quæ, spectantibus illis, senem Æsonem pariter in frusta sectum, ahenoque percoctum, juventuti restituerat. Apud Valerium quidem Æson ante Jasonis reditum moritur, nedum repubescat; sed nihil obstat levis hæc mutatio, quin fabula de Peliæ interitu sic etiam constet.

V. 816. *Adstitit, et nigro fumantia poeula tabo*
Contigit ipsa gravi furiarum maxima dextra.

Miror nulli critico in mentem venisse posteriorem versum sic emendare :

Porrigit ipsa gravi furiarum maxima dextra.

V. 826. *Memoremque tulit sub nubibus umbram.* — Pius ad hunc locum ea notat : « *sub nubibus*, per nubila et aerem : nam, Euripide auctore, etiam Lucretio, anima labitur et diffluit in auras. » Epithetum *memorem* argumento est Valerium non putavisse animam evadere prorsus nullam : idem alio loco cecinit, lib. III, v. 383 :

Quippe nec in ventos, nec in ultima solvimur ossa.

V. 828. . . . . *non illa ruenti*
Accessura polo, victam si solvere molem
Jupiter, et primæ velit omnia reddere massæ.

In codd. et edd. ante Burmannum, prior versus habet *volvere molem*, deestque omnino posterior versus. Lacunam hic esse rati, alii aliter suppleverunt. Credo nullam hic esse lacunam, aliquod vero mendum latere in versu 829, quem, propius accedens veteri lectioni *volvere*, sic emendaverim :

non illa ruenti
Accessura polo, victus si volverit orbis,

τῷ *volverit* neutraliter adhibito, pro *se volverit.*

V. 831. *Ingenti jacet ore Chaos, quod pondere fessam*
Materiem, lapsumque queat consumere mundum.

Chaos hic non significat Inferos, seu Plutonis aulam, ut putant Wagnerus Burmannusque, non elementorum confusionem, ut vulgo apud poetas, sed spatium ipsum quantum est, in quo, secundum Lucretium, lib. I et II, nascuntur intereuntque innumeri mundi. Eodem sensu *Chaos* adhibuit Lucanus eo, quem noster videtur imitatus, loco, Phars. lib. IV, v. 696:

Et Chaos innumeros avidum consumere mundos.

V. 833. *Hic geminæ æternum portæ.* — Valerii felicior excogitatio est quam Virgilii, qui Æneam *porta emittit eburna.* Hoc Valerii commentum potest conferri cum geminis portis nympharum antri apud Homerum, Odyss. lib. XIII, v. 109-112: δύω δέ τε οἱ θύραι εἰσίν, etc.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER SECUNDUS

LIBRI SECUNDI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Clarus ab Æolio spiramine liber Iason
Navigat. Hagniades trepidantia pectora firmat.
Ingratam Veneri puppis Vulcanida Lemnon
Tuta petit; generisque dolo concepta virilis
Fata recensentur : vetiti reparantur amores.
Excitat Alcides animos; residumque quietem
Indignam juvenum damnat : fit ad æquora cursus.
Ingemit Hypsipyle : felix Samothracia sacra
Linquitur. Hesionen mediis Tirynthius undis
Liberat Alcides : solatur Iasona Phryxi
Diva soror : socias conjungunt fœdere dextras
Cizycus, argolicique duces sub tecta recepti.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER SECUNDUS.

ANALYSIS LIBRI SECUNDI.

Jason cædem parentum ne resciscat, sedulo cavet Juno, 1-5. Argonautæ iter prosequuntur, relictisque a tergo Pelio monte, Tisæo promontorio, Sciatho insula, Sepiade promontorio, Magnesia urbe et ibi Dolopis busto, Amyro flumine (Eurymenis) et Ossa monte, veniunt ad Macedoniæ regionem Pallenen, 6-16. Gigantes olim post bella adversus deos mota in montes mutati, excepto Typhoeo, quem Neptunus arreptum in Siciliam asportavit, Ætnaque imposito coercuit, 17-33. Prima navigationis nocte paululum timent nautæ, animos tamen confirmat Tiphys gubernator: cibo, potu somnoque se recreant, diisque cætera permittunt, 34-71. Luce oriente, conspiciunt Athon montem, mox insulam Lemnon, Vulcano sacram, 72-81. Historia Lemni. Junonem olim conspirationis in se participem Jupiter ex Olympo suspenderat, quam liberaturus filius Vulcanus cælo dejectus, quatuor et viginti horarum per aerem itinere delapsus in insulam Lemnum, ab incolis benevole exceptus et recreatus erat. Cujus beneficii memor, in Olympum redux insulam caram habuit. Quoniam vero Lemnii soli Vulcano, neglecta Venere conjuge, cujus furtivam cum Marte consuetudinem comperissent, sacra facere cœperant, dea hunc sui contemptum gravissime constituit ulcisci. Forte tum in eo erant Lemnii, ut e bello contra Thracas domum redirent victores. Venus igitur Famam (cujus imago v. 117-125) adit, jubetque, ut inter Lemnias uxores divulgaret, maritos non pro captivis, sed thalami sociis habituros Thressas, 82-134. Mandata peragit Fama, pluribusque

Lemniis persuadet, quæ reliquas noctu congregant, 135-173. Harum cœtui se immiscet ipsa Venus, et in furorem eas vertit. Lemniæ igitur, lætitiam simulantes, blandis verbis redeuntes maritos excipiunt, eosdem tamen inter epulas trucidaturæ, 174-195. Venus nunc ipsa perficit opus, feminasque ita exstimulat, ut maritos interficiant, iisdemque mortis comites dent Thressas captivas, 196-241. Sola Hypsipyle parcit patri, in Bacchi templum eum noctu abripit, orto sole Bacchi habitu indutum pompa per urbem deducit, et in silva urbi propinqua occultat, tandem fragili cymbæ impositum Dianæ præsidio commendat, quæ miserta in Chersonesum Tauricam sospitem avehit virum, sibique sacerdotem constituit, 242-305. Lemniæ novas sibi scribunt leges, Hypsipylenque, pietatis in patrem nesciæ, reginam creant, 306-310. Jam e propinquo conspiciunt navem, nec furor deest ferro et igne arcendi advenas mares; sed Vulcanus Venerem tandem depónere iram jubet; et Polyxo, vetula Hypsipyles nutrix, suadet, ut portu excipiant peregrinos. Regina itaque Iphinoen, hæc nuntiaturam, præmittit, taurumque mactari jubet in honorem Veneris, quo dea in gratiam redit cum Lemniis, 311-331. Tum regina Jasonem deducit in urbem, monstrat officinam Vulcani, narratque urbis et magnitudinem et opes, 332-340. Interea convivium paratur, in medio accumbunt Jason et Hypsipyle, in seram usque noctem sermones trahuntur. Jupiter ipse novo Lemniarum amori indulget, eo quod diram tempestatem excitat, quæ navem cogit intra portum sese continere, 341-372. Quartus jam dies agitur, quum Hercules, qui cum paucis aliis in navi remanserat, longioris moræ impatiens, Jasoni desidem luxum exprobrat, eoque efficit, ut ad abitum statim omnia parentur, 373-392. Hinc novus in urbe dolor exsistit, Hypsipyles in primis, quæ abeuntem amicum chlamyde donat acu egregie picta et ense patris Thoantis, tandemque petit, ut in reditu denuo revisat, Jasonem osculaturus puerulum, 393-427. Alta petunt Argonautæ, et appellunt Electriam (Samothracen), ubi a sacerdote Thyote sacris initiantur. Tum Imbron transnavigant, et in Sigeo litore escendunt, ubi sub tentoriis se recreant, 428-450. Hercules et Telamon interea per litora spatiantes audiunt lamentabilem vocem, quam sequutus Hercules offendit virginem in saxo catenis adstrictam (Hesionen) Laomedontis, trojani regis, filiam, quæ se narrat

belluæ marinæ, a Neptuno patriæ immissæ, devorandam hic expositam esse, 451-496. Bellua ipsa accedit. Hercules arripit arcum, sagittasque mittit innumeras; at frustra. Tum vero magnum saxum a monte revulsum injicit belluæ cervici, quo ea conficitur, 497-549. Puellam vinculis solutam heros patri Laomedonti reddit, qui lætus quidem recepta filia, mœstus tamen ob equos, præmia liberatori promissa, tradendos, invitat quidem ad epulas Herculem cum sociis, eo tamen consilio, ut somno sopitum interficiat. Hercules epulas recusat, in reditu autem e Colchide se equos secum sumpturum dicit, 550-579. Relicta Troade, Argonautæ subeunt Hellespontum, ubi Helle, dea nunc marina, undis exstans, prospera Jasoni omnia prænuntiat, mandataque dat ad Phryxum fratrem, 580-613. Transfretato Hellesponto Percoten, Parium, Pityam, Lampsacumque Priapo sacram prætervecti, deveniunt ad peninsulam Cyzicum, ubi, ab ejusdem nominis rege amicissime lautisque excepti conviviis, per aliquot dies commorantur, 614-665.

Interea scelerum luctusque ignarus Iason
Alta secat; neque enim patrios cognoscere casus
Juno sinit, mediis ardens ne flectat ab undis,
Ac temere in Pelian et adhuc obstantia regis
Fata ruat, placitosque deis ne deserat actus.
Jamque fretis summas æquatum Pelion ornos

6. *Freto.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Freti.* Vatic. et priscus cod. Pii. Junt. Ald. etc. Ed.

1. Interea alta secat Jason, *scelerum luctusque*, necis a scelerato Pelia patri inflictæ, *ignarus;* Juno enim celat patris mortem, ne in ipso navigationis ardore deficial, ac *temere*, intempestive, *in adhuc obstantia regis fata*, ad nondum maturam Peliæ mortem inferendam, *ruat, placitosque deis ne deserat actus*, consilia deorum negligat exsequi. Si quis ampla de Argonautarum navigatione documenta desiderat, adeat Schœnemanni *geographiam Argonautarum*, Gœttingæ, anno 1788, editam.

6. Jam ex pagasæo Thessaliæ sinu in Ægeum mare tendunt Argonautæ. *Pelion*, Thessaliæ montem, *fretis summas ornos æquatum* (græco more elatum) *mergunt*, tam longe post se relinquunt, ut e longinquo arbores in jugo montis stantes eamdem cum mari superficiem habere viderentur.

Templaque Tisææ mergunt obliqua Dianæ.
Jam Sciathos subsedit aquis, jam longa recessit
Sepias; attollit tondentes pabula Magnes
Campus equos; vidisse putant Dolopeia busta,
Intrantemque Amyron curvas quæsita per oras
Æquora, flumineo cujus redeuntia vento
Vela legunt; remis insurgitur: inde salutant
Eurymenas; recipit velumque fretumque reversus
Auster, et in nubem, Minyis repetentibus altum,
Ossa redit. Metus ecce deum, damnataque bello
Pallene; circumque vident immania monstra

7. *Templa Tisææ Dianæ obliqua*, in promontorio Magnesiæ Tisæo a latere sinistro apparentia *mergunt*, ex oculis dimittunt.

8. *Sciathos*, insula Thessaliæ Eubœam versus, cui bene accommodatum est *subsedit*, vix visa, mari reconditur.

9. *Sepias*, promontorium Thessaliæ, *longa*, longius prominens, in mare excurrens, *recessit* (*diffugere*, IV, 645, *discedere* loca dicuntur, a quibus homines ipsi discedunt). — *Magnes campus*, Magnesiæ urbis campi, *attollit tondentes* (jucunda translatione) *pabula equos;* campos tam prope attigerunt, ut equos pascentes possent conspicere.

10. *Dolopeia busta*, monimentum sepulcrale in honorem prisci herois, Dolopis, Mercurii filii, ad urbem Magnesiam erectum. — *Intrantem Amyron curvas quæsita per oras æquora* (haud inelegans fluminis flexuosi imago), *flumineo cujus redeuntia vento vela legunt; remis insurgitur*, quæ sic intelligo: quum ventum ex ora flantem fluviumque magna vi sese exonerantem haberent ita adversos, ut vela retro agerentur, contrahere ea coacti sunt, remisque uti, ut vim fluminis ventique frangerent; vid. quæ statim sequuntur: *recipit velum reversus Auster.*

14. *Recipit velum fretumque reversus Auster:* Austrum denuo habent secundum, vela denuo inflantur, ut iter prosequi possint; *in nubem Ossa redit*, evanescit, rapitur ex conspectu, uti v. 39. Animadverte quam scita elocutionis varietate utatur poeta in describendis locis, uti quisque vel in oculos primum caderet, vel evanesceret: *mergunt, subsedit, recessit, attollitur, vidisse putant, in nubes redit*, etc.

16. *Metus deum belloque damnata*, timenda olim diis belloque gigantum famosa, *Pallene*, peninsula et urbs in sinu thermaico, Phlegra Herodoto dicta. Inserit hic poeta episodion de bello adversus deos a gigantibus gesto, quorum corpora *Terra mater induisse scopulis, trabibus, montibusque*, h. e. in scopulos, arbores, montes mutasse, et in altum exstruxisse dicitur, ita tamen,

Terrigenum cælo quondam adversata gigantum,
Quos scopulis, trabibusque, parens miserata, jugisque
Induit, et versos exstruxit in æthera montes.
Quisque suas in rupe minas, pugnamque, metusque
Servat adhuc; quatit ipse hiemes et torquet ab alto
Fulmina crebra pater: scopulis sed maximus illis
Horror abest, sicula pressus tellure, Typhoeus.
Hunc profugum et sacras revomentem pectore flammas,
Ut memorant, prensum ipse comis Neptunus in altum
Abstulit, implicuitque vadis: totiesque cruenta
Mole resurgentem, torquentemque anguibus undas
Sicanium dedit usque fretum, cumque urbibus Ætnam
Intulit, ora premens; trux ille ejectat adesi
Fundamenta jugi; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, injectam fesso dum pectore molem
Commovet experiens, gemituque reponit inani.
  Jamque Hyperionius metas maris urget Iberi

28. *Unguibus*. Bonon. cod. Bonon. I et II. *Ignibus*. Carr. male. En.

ut formam humanam et gestus pugnantium procul conspicientibus retinuisse viderentur.

24. In his tamen non fuit, cui soli contigit Jovis iram effugere, *Typhoeus* gigas (v. IV, 236), deorum aggressor furiosissimus. Ille in fugam quidem se dedit, *profugum* vero et *sacras flammas*, fulmina Jovis, *pectore revomentem*, Neptunus capillis prehensum in mare secum rapit, *torquentemque anguibus undas*, quamvis undas flagellaret serpentinis, quos gigantibus poetæ affingunt, pedibus, ad siculum usque fretum trahit, et *Ætnam* montem cum circumjacentibus urbibus ori imponit: vel sic tamen *trux* adhuc *adesi fundamenta jugi ejectat*, mordet Ætnam sibi impositum, fragmenta in aera propellit; *anhelat omnis Trinacria*, Sicilia contremiscit terræ motibus, *dum molem fesso pectore commovet*, *experiens* an molem excutere possit, sed frustra, *gemitu reponit inani*. Splendida profecto et sublimis imago et Neptuni et gigantis, qui, quamquam potentiori cedere cogeretur, iræ tamen et furoris pertinacissimus immensas adhuc vires exserit.

34. Nec minus, spero, placebit, quæ sequitur, noctis imago. Et primo quidem mythologice describitur nox ingruens: *Hyperionius*, Solis, *currus* (Hyperionem alii Solis pa-

Currus, et evectæ prono laxantur habenæ
Æthere, quum palmas Tethys grandæva sinusque
Sustulit, et rupto sonuit sacer æquore Titan.
Auxerat hora metus; jam se vertentis Olympi
Ut faciem, raptosque simul montesque locosque
Ex oculis, circumque graves videre tenebras.
Ipsa quies rerum, mundique silentia terrent,
Astraque, et effusis stellatus crinibus æther.
Ac velut ignota captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter, non aure quiescit,
Non oculis, noctisque metus niger auget utrimque
Campus, et occurrens umbris majoribus arbor;
Haud aliter trepidare viri; sed pectora firmans
Hagniades: « Non hanc, inquit, sine numine pinum
Dirigimus, nec me tantum Tritonia cursus .

trem, alii Solem ipsum dicunt) *metas maris Iberi*, Gaditani, *urget*, et *evectæ prono laxantur habenæ*, equis diurno labore defunctis frena remittuntur, ut proni atque præcipites ad Oceanum properent; *quum palmas Tethys grandæva*, una nempe ex antiquissimis deabus, Oceani conjux, *sinusque sustulit*, manus brachiaque protendit ad excipiendum Solem, *et rupto sonuit sacer æquore Titan*, ad opinionem veterum, qui stellis occidentibus (infra v. 63), Soli in primis, ad instar ferri candentis in aquam detrusi stridorem adscribebant (vid. Taciti Germaniam, c. XLV, et Juvenal. XIV, 280, *Herculeo stridentem gurgite solem*).

38. Jam horror pingitur noctis, et quam vim ea habuerit ad Argonautarum animos. *Auxerat hora*, ipsa nox, *metus; jam se vertentis*, evanescentis, *Olympi faciem*, aspectum, *raptos subito montes et locos*, urbes et insulas, *circumque*, undique circumfusas, *graves*, injucundas, *videre tenebras. Mundi silentium* (vid. III, 418, *mundus tacitus*), *effusis stellatus crinibus*, radiis, *æther*.

43. Comparatio instituitur cum viatore noctu proficiscente: *Velut ignota captus*, deprehensus, *regione viarum, non aure quiescit, non oculis*, aures oculosque ad omnes vertit partes — *noctisque metus niger auget utrimque campus, et occurrens umbris majoribus*, longioribus, *arbor*. Omnia ad naturam expressa!

47. Ita anxiis sociis animum addit *Hagniades*, a patre Hagnio, Tiphys, eo quod Minervam dicat sese non tantum artem docuisse gubernandi, sed ipsam manum divinam navi admovisse. *An non experti* estis, quum tempestas orta est. Vid. lib. I,

Erudiit; sæpe ipsa manu dignata carinam est.
An non experti, subitus quum luce fugata
Horruit imbre dies? quantis, proh Jupiter, austris
Restitimus! quanta quoties et Palladis arte
In cassum decimæ cecidit tumor arduus undæ!
Quin agite, o socii: micat immutabile cælum,
Puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu;
Nullus in ore rubor, certusque ad talia Titan
Integer in fluctus, et in uno decidit Euro.
Adde, quod in noctem venti veloque marique
Incumbunt magis: it tacitis ratis ocior horis.
Atque adeo non illa sequi mihi sidera monstrant,
Quæ delapsa polo reficit mare; tantus Orion

51. *At non.* Codd. et edd. ante Heins. — 57. *Orbe.* Carr. cod. male. — 58. *In imo.* Edd. ante Carr. præter Ald. *Auro.* Quidam apud Pium. Engent. Col. etc. — 60. *Et tacitis.* Vatic. Bonon. et Carr. codd. — 61. *Ideo.* Bonon. cod. Ed.

v. 610 sq. *Incassum*, frustra, nihil nobis nocens, *decidit decimæ tumor arduus undæ*, fluctus decumanus, gr. τρικυμία. Ovidio, more suo ludenti, Trist. l. I, El. II, v. 49: *Posterior nono undecimoque prior.*

55. Addit Tiphys, situm astrorum talem esse, qui nihil tempestatis prænuntiet. *Micat immutabile cœlum*, uti antea, serenum, *Cynthia* (luna) *pura, nec gravido cornu*, nec pluviam minitans, *certusque ad talia Titan integer in fluctus, et in uno decidit Euro;* signum, quod nunquam fallit, vidimus solem nulla nubecula tectum et solo Euro flante occidentem. Sunt, qui pro *Euro* malint *auro*, ut in *uno auro* sit, *totus aureus*, quod et mihi perplacet, sed nolui mutare.

59. *In noctem venti veloque marique incumbunt*, noctu magis favent navigantibus, et *tacitis horis*, nocturnis, per mundi silentia, v. 41, *ratis ocius* ire solet.

61. *Atque adeo non illa sequi mihi sidera monstrant, quæ delapsa polo reficit mare.* Locus intricatior, et difficultatem in primis movet *monstrant*, quod nonnulli mutari voluerunt in *monstrat*, vel Argo, quod Vossio, vel Pallas, quod Schradero placuit. Heinsius olim conjecerat *mens stat*, quod propius accedit ad vulgatam, sensumque fundit aptissimum; quum vero durius sit ad aures, malim ego: *mens est* (Adolph. *Delamalle* sic intelligit: « *Monstrant*, i. e. *monstratur.* » Subaudi *homines*, scil. navigationis periti. gall. *on montre, on enseigne.* Ed.). Sidera sequi apud animum constitui, non quæ occidunt, *quæque delapsa polo reficit mare* (hoc est poetarum more,

Jam cadit; irato jam stridet in æquore Perseus:
Sed mihi dux, vetitis qui nunquam conditus undis
Axe nitet serpens, septenosque implicat ignes.»
Sic ait, et certi memorat qui vultus Olympi,
Pleiones Hyadumque locos; quo sidere vibret
Ensis, et Actæus niteat qua luce Bootes.
Hæc ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
Restituunt vires, et parco corpora Baccho;
Mox somno cessere: regunt sua sidera puppim.
  Jamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes
Albet ager, motisque truces ab ovilibus ursi
Tuta domosque petunt, raras et litus in altum
Mittit aves; quum primus equis exegit anhelis
Phœbus Athon, mediasque diem dispersit in undas.
Certatim remis agitur mare, rostraque cursu
Prima tremunt; et jam summis Vulcania surgit

qui stellas occidentes fessas quasi refrigerari in Oceano fingerent); *Orion tantus*, quantumvis magnus, *Perseus jam stridet*, jam occidit (vid. v. 37) *in æquore irato*, ideo irato, quod Andromedam olim ab monstro marino defenderat.

64. Sed *mihi ducem* sumam *Serpentem*, draconis astrum, *qui nunquam undis conditus nitet*, micat, semper in horizonte conspicuus.

66. Tum Tiphys ex aspectu totius cæli serenitatem prænuntiat, *memorat locos*, docet ubi sita sit *Pleione*, quæ uxor fuit Atlantis, Hyadumque mater; *quo sidere* (paulo post, *qua luce*) *vibret Ensis* (*vibret* ensi bene accommodatum, sed passive intelligendum; vid. VI, 518, VIII, 449, etc.), *Actæus qua niteat luce Bootes*, qui, dum in vivis esset, Icarius dictus ad mythologiam atticam, unde *Actæus*, referendus. Vid. *Hermann mytholog. Handbuch*, t. III, p. 114.

69. His Tiphyos dictis erecti edunt, bibunt, dormiunt: regunt *sua*, faventia, secunda, *sidera* puppim.

72. *Jamque sub Eoæ Atlantidis* (Eoa Atlantis singul. pro plurali, Vergiliæ nempe vel Pleiades, matutino tempore occidentes, v. Virgil. Georg. I, 221) *dubios ignes*, diluculo, *albet ager*, luce vel rore; *ursi truces* ab ovilibus *motis*, turbatis, *tuta domosque*, lustra, ne pastores persequantur, *petunt; aves* litorum amantes *raræ*, singulæ, *in altum* mare provolant; quum *primus Phœbus*, sol oriens, *equis anhelis*, sursum ex Oceano enitentibus, *Athon* montem e regione Lemni sese attollentem *exegit*, superavit, tandemque *diem*

Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores,
Ignipotens; nec te furiis et crimine matrum
Terra fugat, meritique piget meminisse prioris.
Tempore quo primum fremitus insurgere opertos
Cælicolum, et regni sensit novitate tumentes
Jupiter, ætheriæ nec stare silentia pacis:
Junonem volucri primam suspendit Olympo,
Horrendum chaos ostendens, pœnasque barathri;
Mox etiam pavidæ tentantem vincula matris
Solvere, prærupti Vulcanum vertice cæli
Devolvit; ruit ille polo noctemque diemque,
Turbinis in morem, Lemni quum litore tandem
Insonuit. Vox inde repens ut perculit urbem,

81. *Fugæ*. Vatic. et Carr. cod. — 86. *Pœnasque*. Bonon. cod. Bonon. I. et II. Junt. Ald. etc. Ed.

in medias undas dispersit. Alacriter remos agunt Argonautæ, celeri *cursu tremunt rostra prima*, donec adversam sibi vident insulam Lemnon.

79. Jason sociique dum per aliquod tempus hic morantur, moratur etiam poeta, insulæ istius ab antiquissimis temporibus fata repetiturus. *Surgit Lemnos aquis, tibi*, Vulcane, *per varios defleta labores*, in qua non semel ob varias ægrimonias doluisti (bis enim, primum a Junone, deinde a Jove dicitur e cælo dejectus); *nec te furiis et crimine matrum terra fugat*, non sustines caram Lemnon deserere, quamvis a feminis per Furias incitatis, quidquid masculum est in insula, expellatur, *meritique piget meminisse prioris*, i. e. *nec te piget* (negatio enim ἀπὸ κοινοῦ intelligenda est), ac te juvat recordari, quam bene de te olim insula merita sit.

82. Quale hoc meritum fuerit, nunc exponitur. *Tempore quo* aliquot deos deasque, *novitate regni tumentes* (nam ex divisione Saturnii regni partes quisque suas acceperant), Jovem tamen summum numen agnoscere recusantes, satisque, quod fit in subita fortuna, superbos, tacite conjurare, et *silentia pacis*, quietem pacemque *ætheriam* turbare velle Jupiter animadvertit: *Junonem primam*, præ aliis omnibus, *volucri*, qui perpetuo movetur, *Olympo suspendit, horrendum chaos pœnasque barathri*, regnum inferorum Tartarumque, *ostendens*. Sumptum ex Homero, Il. XV, 18 sqq.

90. *Turbinis in morem* conglobatus, *Lemni quum litore tandem insonuit*, magno cum sonitu procidit. *Vox inde repens*, repentina (facilius

Acclinem scopulo inveniunt, miserentque, foventque
Alternos ægro cunctantem poplite gressus.
Hinc reduci superas postquam pater annuit arces,
Lemnos cara deo; nec fama notior Ætne
Aut Lipares domus: has epulas, hæc templa, peracta
Ægide, et horrifici formatis fulminis alis,
Lætus adit; contra Veneris stat frigida semper
Ara loco, meritas postquam dea conjugis iras
Horruit, et tacitæ Martem tenuere catenæ.
Quocirca struit illa nefas, Lemnoque merenti
Exitium furiale movet; neque enim alma videri
Jam tumet, aut tereti crinem subnectitur auro,

103. *Jam tum ea cum reti.* Vat. cod. *Jam tunica aut tereti.* Bonoo. cod. Bonoo. I. *Jam tunica haud.* Bonon. II. *Jam tum ea, cum tereti.* Junt. Ald. Carr. Ed.

esset *strepens*, ingens clamor), *ut perculit urbem*, accurrentes cives *acclinem scopulo inveniunt*, *miserantur*, *fovent*, sustinent, *alternos ægro cunctantem poplite gressus*; viden' vix incedentem et claudicantem? confer omnino Homerum, Il. I, 591 sq. ubi ipse Vulcanus rem omnem lepide narrat. Incessum tardum claudicantium idem Homerus, XI, 546, pingit, ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων; Virgil. Æneid. XII, 386, *Alternos longa nitentem cuspide gressus.*

94. *Hinc*, ob hanc Lemniorum in se benevolentiam, etiam in cælum reduci insula cara fuit, carior adeo; non minus, quam *Ætne* (Græca forma ob sequentem vocalem A) aut *Lipare*, ubi plurimum res suas atque officinas habuit; in Lemnum nempe se contulit, si quando ab gravi diuturnique laboris opere, vel *ægide* Minervæ, vel *fulmine* Jovis *alato* (fulminis alas vide etiam infra V, 56, et ap. Virg. Æn. V, 319) requiescere vellet; hic *epulis*, in honorem suum ab Lemni incolis paratis, lubens *lætus*que interest.

98. *Veneris contra altare frigidum*, sine honore sacrificiorum stetit, ex quo Lemnii eam Vulcani *conjugis* immemorem, in amplexibus *Martis* deprehensam, *tacitaque*, furtim parata, *catena*, subtilibus retibus a marito adstrictam, toti Olympo ad ridendum propinatam audivissent.

101. Hunc sui contemptum ultura dea *nefas struit*, de nimis injusta crudelique cogitat vindicta, *exitium furiale movet.* Non enim jam *almæ* nomine, quo alias mortales laudare eam solebant, *tumet*, gaudet, nec, ut antea, comit se de ornatu cultuque sollicita: *auro tereti*, in fila ducto, *erinem* (quod magis poeticum, quam *crines*. Bronkhus. ad Prop. lib. I, El. II, v. 3) non *subnectitur* (Virgil. Æn. X, 138,

Sidereos diffusa sinus; eadem effera, et ingens,
Et maculis suffecta genas, pinumque sonantem
Virginibus stygiis nigramque simillima pallam.
 Jamque dies aderat, Thracas qui fuderat armis;
Dux Lemni, puppes tenui contexere canna
Ausus, et indueto cratem defendere tergo,
Læta mari tum signa refert, plenasque movebat
Armentis nuribusque rates; it barbara vestis,
Et torques, insigne loci; sonat æquore clamor:
« O patria, o variis conjux nunc anxia euris,
Has agimus longi famulas tibi præmia belli. »
Quum dea se piceo per sudum turbida nimbo

106. *Palmam*. Val. Bonon. Carr. codd. Bonon. I, et revocavit pessime Carr. ex suo codice. — 109. *Descendere*. Bonon. I. *Distendere*. Bonon. II, post Sabellicam. Vetus veneta. — 110. *Movebant*. Vat. cod. et Carr. — 111. *Et barbara*. Vat. Bonon. codd. Bonon. I et II. En.

molli subnectens circulus auro), *sidereos*, divinos, *diffusa sinus*, quod intelligendum est de laxo vel discincto amictu.

104. *Eadem*, sed quam diversa ab illa! *effera, et ingens* (quo vocabulo pro *terribili* non uno loco usus est Virgilius, ex. gr. Æn. IX, 598, *ingentem sese clamore ferebat*), *et maculis*, livore, *genas suffecta*, distincta (v. I, 821), *virginibus stygiis*, furiis, *simillima* (κατὰ) *pinum sonantem*, vibrata face, *nigraque palla*, veste talari. Quæ deæ imago horroris plena Valerii nostri, uti Statiana, Thebaid. V, 61-64, an satis digna Venere sit, de eo acute contra Spencium disputantem vid. Lessingium in Laocoonte, p. 97-101.

107. *Dies aderat, qui fuderat Thracas*, poet. pro: quo victi fuerant Thraces. *Dux Lemni*, Codrus sine dubio (v. infra v. 136), *puppes tenui canna contexere ausus*, *et inducto tergo*, pellibus, *cratem*, interiorem navem viminibus textam, *defendere* ab aquis ingruentibus. Naves puta coriaceas, quibus et olim Babylonios usos esse narrat Herodotus, I, 194, et barbaras etiam nunc gentes uti docent Itineraria. Vid. Scheffer. de militia navali, p. 33-110. Devictis igitur Thracibus rediens dux, signis victoriæ e longinquo datis, litori jam admovet naves, feminis armentisque plenas, et vestibus et torquibus, *insignibus loci*, quibus Thraces, nobiliores in primis, ornare sese solebant.

115. Venus interea *piceo per sudum*, serenum cælum, *turbida nimbo præcipitat* (Virg. Æn. X, 634, *agens hiemem nimbo succincta*), deamque Famam instigat, ut Lemniis uxoribus persuadeat, fore, ut mariti redeuntes, prioribus repudiatis con-

Præcipitat, Famamque vagam vestigat in umbra,
Quam pater omnipotens digna atque indigna canentem,
Spargentemque metus, placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
Non Erebi, non diva poli, terrasque fatigat,
Qua datur; audentem primi spernuntque foventque;
Mox omnes agit, et motis quatit oppida linguis.
  Talem diva sibi scelerisque dolique ministram
Quærit avens; videt illa prior, jamque advolat ultro
Impatiens; jamque ora parat, jam suscitat aures.
Hanc superincendit Venus, atque his vocibus implet:
« Vade, age, et æquoream, virgo, delabere Lemnon,
Et cunctas mihi verte domos; præcurrere qualis

jugibus, captivas in matrimonium ducant.—Famæ imaginem jam pingit poeta, quæ, uti Virgilianam, Æn. IV, 174-188, sublimi dignitate non attingit, ita nec luxuriantis ingenii, uti Ovidiana, Metam. XII, 39-63, nævos habet.

116. *Famam* igitur *vagam*, non certo loco consistentem, *investigat* Venus. —*In umbra*, apposite, quum initia rumorum plerumque sint obscura. Ed.

117. Jupiter *digna atque indigna*, levissimi æque ac gravissimi momenti res, *canentem*, probantem, *spargentemque metus*, *placidis* eam *regionibus ætheris*, Olympi, *arcet: fremens*, vociferans, omnia turbans, *habitat sub nubibus imis*, inferiori in aere terræ propiori, *non Erebi*, *non diva poli*, nec superis, nec inferis diis annumeranda.

120. *Terras fatigat*, alium ex alio rumorem excitat, *qua datur* (sic dedi pro *quas*, *datur*, jubente Bononiensi, et adstipulante Ruhnkenio; v. Burmannum Sec. ad Propertium p. 354), utcumque et ubicumque potest, *audentem*, mira, incredibilia narrantem, *primi spernuntque foventque*, qui primi audiunt, alii negligunt, adeoque irrident, alii cupide arripiunt audita; mox *omnes agit*, ad credendum adigit. Accedentem deam *videt prior*, oculis enim quaquaversum vagatur, *advolat ultro*, non vocata, *impatiens*, numquid novi audiendi cupidissima, *jamque*, eminus, *ora parat*, *jam suscitat*, arrigit, *aures*. — Tò *jam*, toties repetitum, festinationem apprime pingit. Ed.

126. Hanc magis impellit Venus, *atque his vocibus implet*, *urget* (sic v. 167, *voce et questibus implent deos*).

127. *Vade*, *age*, pete *Lemnon*, et cunctas *verte*, perturba, *domos*, uti ante bella soles, ubi omnia in majus *fingis*, nuntians *mille tubas*, *armata* per campos *agmina*, *innumerorum equorum flatus*, hinnitus. Nuntia uxoribus, mox adfore maritos, *Thressas* tori socias secum ducturos.

Bella soles, quum mille tubas, armataque campis
Agmina, et innumerum flatus confingis equorum.
Adfore jam luxu turpique cupidine captos
Fare viros, carasque toris inducere Thressas.
Hinc tibi principia, hinc rabidas dolor undique matres
Instimulet; mox ipsa adero, ducamque paratas.»
  Illa abit, et mediam gaudens defertur in urbem;
Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri
Occupat, exesam curis castumque cubile
Servantem; manet illa virum, famulasque fatigat
Velleribus, tardi reputans quæ tempora belli
Ante torum, et longo mulcens insomnia penso.
Huic dea cum lacrimis, et nota veste Neæræ,

130. *Confringis*. Vat. Bonon: codd. Bonon. I. — 133. *Hæc tibi*. Codd. et vett. edd. — 136. *Et primum*. Bonon. cod. *Ac proxima*. Vatic. Bonon. cod. ut edd. ante Carr. in cujus cod. hic versus deerat. — 138. *Viros*. Bon. cod. Bon. I et II. *Virum*. Ald. — 139. *Litoribus*. Bon. cod. *Velleribus*. Ald. et Harl. *Repetunt*. Bon. II. *Reputant* ac sequenti versu *mulcent*. Vat. et Bon. codd. *Reputans*. Maser. text. Heins. *Mulcens*. Heins. Ed.

Hoc tu age, reliqua perficiam ego.

135-140. Audiens dicto Fama, urbem statim ingressa, vicinas ædes adit *Codri, et primam Eurynomen occupat*, primoque rem babet cum Eurynome, quam *exesam curis* invenit, *castumque cubile servantem* (Virg. Æn. VIII, 412, *castum servare cubile*); *manet illa virum*, exspectat maritum, *famulasque fatigat velleribus, tardi*, diuturni, *reputans quæ tempora belli* (vides in una cogitatione defixam, jamque μονομανίᾳ proximam quæ mox furiosa edet facinora) *ante torum* (haud supervacuum illud adjunctum est: torus enim, viduitatis ejus quasi conscius, absentis viri desiderium usque renovat), *et longo mulcens insomnia penso*. *Pensum* proprie de ancillis dictum est, de Eurynome translate. Valerius imitatus est Virg. Æn. VIII, 411:

Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso.

Vid. et apud Liv. lib. I, cap. 57, Lucretiam nocte sera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas. Ed.

141. *Huic dea lacrimans, Neæram* (cognatam sine dubio ætate provectam) veste et facie similans, *icta genas* (*icta* audacius dictum. *Wakefield* in Silvis crit. P. II, p. 12, ex codice Oxoniensi affert *læsa*, laniata, *genas*). *Utinam lætior tibi essem nuntius* (pro *nuntia*, dubito, an recte: vix enim alio exemplo firmari possit. Facillimum, si cum Burmanno legas *esset*), sed

Icta genas : « Utinam non hic tibi nuntius essem,
O soror, aut nostros, inquit, prius unda dolores
Obruat, in tali quoniam tibi tempore conjux,
Sic meritæ, votis quem tu fletuque requiris,
Heu furit, et captæ indigno famulatur amori.
Jamque aderunt, thalamisque tuis Threissa propinquat,
Non forma, non arte colus, non laude pudoris
Par tibi, nec proles magni præclara Dorycli:
Picta manus, ustoque placet sed barbara mento.
Attamen hos tales forsan solabere casus
Tu thalamis, fatoque leges meliore penates;
Me tua matris egens, damnataque pellice proles
Exanimat, quam jam miseros transversa tuentem,
Letalesque dapes, infectaque pocula cerno.
Scis simile ut flammis simus genus; adde cruentis

146. *Amore.* Vatic. cod. Ed.

maritus *tibi*, tuus, *sic*, tam bene, *meritæ*, dum *votis* eum *fletuque requiris*, insano, seque teque *indigno* amore captivæ tenetur, eique *famulatur*.

148. Et, quod magis mireris, *non forma, non arte colus*, nendi, acu pingendi, texendi, *non laude pudoris* et verecundiæ *tibi par*, nec quæ ad nobiles avitos genus referat, uti tu, *proles magni præclara Dorycli*, cujus nominis Phœnicis et Cassiopeæ filium habet Scholiastes Apollonii II, 178 : *sed picta manus, ustumque mentum*, notæ threiciæ (Cicero de Off. II, 25), manibus genisque inustæ (vid. paulo infra), placere potuerunt marito. Nihil profecto omisit maledica, quod ad invidiam valere posset faciendam.

151. Tu tamen fortasse temet *solaberis thalamis*, altero connubio, *fatoque meliore penates eliges;* sic Ovidius, Epist. XI, 105 :

Nubite felices Parca meliore sorores ;

Sed doleo liberos tuos, *pellice damnatos*, quos pater ipse in pellicis gratiam negliget. Vid. I, 70.

154. *Transversa tuentem*, oblique et contemptim despicientem cerno novercam, *letalesque dapes*, *infectaque pocula*, cibum potumque venenatos; nam, Ovid. Met. I, 147 :

Lurida terribiles miscent aconita novercæ.

156. *Scis simile ut flammis simus genus*, quam irritabiles simus, quamque facile ad iram inflammemur feminæ (ingenua profecto confessio !); quid igitur timendum a *Daha*, scythica femina, cui *patrium*, patrius mos est, *sævire*, quæ *lacte ferino*, equino præsertim, uti et nunc Tar-

Quod patrium sævire Dahis; jam lacte ferino,
Jam veniet durata gelu. Sed me quoque pulsam
Fama viro, nostrosque toros virgata tenebit
Et plaustro derepta nurus.» Sic fata querelas
Abscidit, et curis pavidam lacrimisque relinquit.
Transit ad Iphinoen, isdemque Amythaonis implet
Oleniique domum furiis; totam inde per urbem
Personat, ut cunctas agitent expellere Lemno,
Ipsi urbem Thressæque regant. Dolor iraque surgit;
Obvia quæque eadem traditque, auditque, neque ulli
Vana fides: tum voce deos, tum questibus implent;
Oscula jamque toris, jamque oscula postibus ipsis

159. *Ingrata.* Bonon. I. Carr. cod. *Jurgata.* Gryph. — 160. *Directa.* Vat. cod. et Bonnn. Bonon. I. Carr. cod. — 166. *Eadem trahitque.* Vat. cod. Venet. antiq. *Obvia eadem quæ trahit quæque auditque.* Bonnn. cod. *Eademque trahitque.* Bonon. et II. Maser. Junt. *Retrahit.* Carr. cod. — 167. *Una.* Vatic. Bonnn. codd. Bonon. I et II. Vid. Burm. not. — *Atque oscula.* Aatic. Bonon. codd. Bonnn. I et II. Junt. Ald. etc. Ed.

tari, pro potu utitur, *gelu durata* inde a juventute, in mitiores plagas nostras venit.

158. Me ipsam manere eamdem sortem audio, et meos thalamos occupabit *virgata*, stigmatis compuncta (*tättowirt*, de quo more vide Wesseling. ad Herodot. V, p. 374, et Beckmann. *kleine Anmerck. Stück* I, p. 69), usto mento (v. paulo ante), et *plaustro*, quo utebantur Thraces nomades, *derepta nurus*, nupta.

162. Relicta Eurynome, pergit ad alias domos; mox totam urbem fama personat, maritos, ejectis in exsilium conjugibus, cum Thressis res habituros. *Obvia quæque eadem traditque auditque*, novi quid alteri afferre gestiens, idem tamen ab altera audit, *neque ulli vana fides*, omnibus vera esse, quæ narrarentur, credita.

167. *Tum voce deos, tum questibus implent*, fatigant (vid. v. 126); *oscula toris postibusque ipsis ingeminant* (vid. ad Virg. Æn. II, 490, Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt; nec pœnitebit comparasse Livium, I, 29, Albanorum, urbem suam relinquentium, habitum narrantem); *lacrimisque iterum visuque moratæ*, postquam denuo lacrymantes semel adhuc respexerunt, prosiliunt foras, furore abreptæ, nec *amplius* curant penates; *agglomeratæ nudis sub astris*, ὑπαίθριοι, sub dio conglobatæ noctem transigunt, vid. VIII, 454, *acuunt*, cient, excitant, *fletus*, *ac dira conjugia*, *et stygias tædas*, furiarum, pro nuptialibus, faces maritis *imprecantur*.

Ingeminant, lacrimisque iterum visuque moratæ,
Prosiliunt, nec tecta virum thalamosque revisunt
Amplius; agglomerant sese, nudisque sub astris
Condensæ fletus acuunt, ac dira precantur
Conjugia, et stygias infanda ad fœdera tædas.
Has inter medias, Dryopes in imagine mœstæ,
Flet Venus, et sævis ardens dea planctibus instat;
Primaque: « Sarmaticas utinam, Fortuna, dedisses
Insedisse domos, tristesque habitasse pruinas;
Plaustra sequi, vel jam patriæ vidisse per ignes
Culmen agi, stragemque deum! nam cætera belli
Perpetimur; mene ille novis, me destinat amens
Servitiis! urbem aut fugiam, natosque relinquam!
Non prius ense manus, raptoque armabimus igne?
Dumque silent, ducuntque nova cum conjuge somnos,
Magnum aliquid spirabit amor? » Tunc ignea torquens
Lumina, præcipites excussit ab ubere natos.

169 et 170. *Ingeminant: nec tecta.* Bonon. cod. omissis fine prioris versus et principio sequentis. *Morantur.* Vatic. cod. *Moratæ.* Heins. edit. — 176. *Dedisset.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. — 181. *Ut fugiens.* Carr. cod. *Aut fugiam.* Bonon. cod. Ed.

174. His ita plorantibus, plorans et ipsa, *Dryopes,* matronæ sine dubio Lemniæ, *imagine* assumpta, *has inter medias* (pro media inter has) immiscet sese Venus. *Utinam*, inquit, nata in sarmaticis terris essem, *tristibusque sub pruinis*, cælo frigidissimo, *plaustra sequerer*, nomadicam vitam agens, *aut jam patriæ vidissem per ignes culmen agi*, fastigia tectorum ignibus in aera rapi (Virg. Æn. IV, 670: *Flammæque furentes Culmina perque hominum volvantur perque deorum*), *stragemque deum*, a diis immissam cædem. — Sic Wagnerus; at potior videtur hic sensus: *stragem deum*, stratas fractasque deum statuas. Ed.

179. Quid enim deest, nisi hoc? quum *cætera belli* mala patiamur. *Mene, me*, inquam, ingenuam *amens* maritus *novis*, insolitis, *servitiis destinet*, aut relictis liberis urbe expellat! *Nonne ense* armemus et *igne manus*, *nonne magnum aliquid spiret*, concipiat audax facinus amor læsus? His dictis vim addit igneos oculos torquendo, excutiendoque *præcipites ab ubere natos*.—Vide ad calcem hujus libri, not. 185. Ed.

Ilicet arrectæ mentes, evictaque matrum
Corda sacer Veneris gemitus rapit; æquora cunctæ
Prospiciunt, simulantque choros, delubraque festa
Fronde tegunt, lætæque viris venientibus adsunt.
Jamque domos mensasque petunt; discumbitur altis
Porticibus; sua cuique furens festinaque conjux
Adjacet; inferni qualis sub nocte barathri
Accubat attonitum Phlegyan et Thesea juxta
Tisiphone, sævasque dapes et pocula libat,
Tormenti genus! et nigris amplectitur hydris.
Ipsa Venus quassans undantem turbine pinum
Agglomerat tenebras, pugnæque accincta, trementem
Desilit in Lemnon; nimbis et luce fragosa
Prosequitur polus, et tonitru pater auget honoro.

186. *Illic.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. — 196. *Pontum.* Carr. inepte. — 198. *Nimbis et.* Codd. et edd. ante Carr. Ed.

186. In furorem et desperationem (nam τὸ *ilicet* in re desperata usurpant poetæ) actæ mulieres, dolorem tamen cordibus premunt, simulant lætitiam, templa exornant, hilariter excipiunt advenientes maritos, domos mensasque petunt, epulantur; sua cuique *furens festinaque* (recte, non *infesta*, quod Marklandus et Friesemannus volunt : nam ira, etiam tacita, omnia deproperat) *adjacet*, accumbit, prope sedet.—*Festina* sic intelligi possit : festinans præ sedulitate simulata, græce, σπευδάζουσα. Ed.

192. Non tam conjux, quam furia, qualis *inferni sub nocte barathri*, in Tartaro, *juxta Phlegyam*, Ixionis patrem, qui præter alia sacrilegia Apollinis templum incenderat, *et Thesea*, qui Plutoni Proserpinam abducere tentaverat, *Tisiphone accubat, sævasque dapes et pocula libat*, qualia in Tartaro solent apponi (*tormenti genus*), quam parenthesin Virgilio sublegit, Æn. VIII, 487. Vid. ad calcem hujus libri, not. 192.

196. Redit jam vera Venus e cælo, cœptum opus perfectura, sed redit ut dea, eoque terribilior. *Quassans undantem* (vox solemnis poetis de fumo, flammis, etc. ad undæ instar exsurgentibus) *turbine pinum, agglomerat tenebras*, densa nube se involvit, *desilit*, gressibus immensis properat in Lemnum *nimbis et luce fragosa*, fulguribus e nubibus cum fragore emicantibus, *prosequitur polus*, Jupiter ipse in filiolæ gratiam intonat, *tonitru pater auget honoro.* — *Trementem* Burmannus explicat : « insilientis deæ pondere ». Ed.

Inde novam pavidas vocem furibunda per aures
Congeminat, qua primus Athos, et pontus, et ingens
Thraca palus, pariterque toris exhorruit omnis
Mater, et adstricto riguerunt ubere nati.
Accelerat Pavor, et geticis Discordia demens
E stabulis, hirtæque genis pallentibus Iræ,
Et Dolus, et Rabies, et Leti major imago
Visa, truces exserta manus, ut prima vocatu
Intonuit, signumque dedit mavortia conjux.
Hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum

200. *Auras.* Vat. et Bonon. codd. Bonon. I et II. — 203. *Ubera.* Vat. cod. — 205. *Hirtæque genis.* Bonon. II. Venet. antiq. Harl. et post. Ed.

200. *Furibunda clamores ingeminat* tantos, ut *primus Athos*, cacumina montis, *et pontus*, et *thraca palus*, totum mare ad thracium usque Bosporum concutiatur, et *mater omnis toris exhorreat*, lectis, horrore percussa, exsiliat, et infantes lacte deficiant, *adstricto riguerunt ubere nati.*

204. Et quam terribilis est, quem dea secum ducit, comitatus! Non contentus paucis, quos habet Homerus, Il. IV, 440, φόβον, δειμὸν, ἔριδα; Virgil. Æn. 12, 335, Formidinem, Iras, Insidias, Valerius numerum auget horrendorum sodalium. Accelerat *Pavor*, quem cum Timore poetæ Martis vel equum (vid. III, 90), vel armigerum, vel filium ex Venere susceptum (Hesiod. Theog. 933) faciunt, et *Discordia* (Ἔρις) *e stabulis*, contemptim, tuguriis, plaustris *geticis*, scythicis, threiciis, qui rixosi adeo perhibentur, ut inter pocula etiam decertarent (Hor. Od. I, 227 : *scyphis pugnare Thracum est*).

205. *Iræ, hirtæ genis pallentibus*, horridæ et pallidæ, *Dolus*, *Rabies* et *Leti major*, terribilior, *imago visa*, *truces exserta* (exserens) manus. Hi omnes approperant, *ut prima vocatu intonuit*, diro clamore excitavit, *mavortia conjux* (pro *pellex*. Sic Virg. Æn. VIII, 189, *quem capta cupidine* conjux *Fecit avem Circe*. Ed.). Mavortia! quidni *vulcania*, quod versus etiam tulisset? Sed Martis, alterius conjugis, e consuetudine crudelitatem contraxerat. Enimvero sumi etiam potest de *sæva*, *immani*, si quando læsum putaret numen suum. Græcis aliquando Ἀρεια. Vid. cl. *Manso Versuche*, pag. 149 sqq. — Vide ad calcem hujus libri, not. 207. Ed.

209. Jam ultimum, sed maxime *tremendum* atque cruentum *orditur nefas :* dum enim videntur sibi Lemniæ audire gemitus et clamores morientium, dea ipsa irrumpit domos, manu ferens *ora*, capita, *singultantia*, in quibus vis adhuc exigua vitalis superesse videretur, *arrectis comis*, *recenti tabo*, cruore (vid. I, 816; IV, 749), vestes *perfusa*, incla-

Orsa nefas, gemitus fingit vocesque cadentum;
Irrupitque domos, et singultantia gestans
Ora manu, taboque sinus perfusa recenti,
Arrectasque comas: « Meritos en prima revertor
Ulta toros: premit ecce dies ». Tum verbere victas
In thalamos agit, et cunctantibus invenit enses.
  Unde ego tot scelerum facies, tot fata jacentum
Exsequar? heu vatem monstris quibus intulit ordo!
Quæ se aperit series! o qui me vera canentem
Sistat, et hac nostras exsolvat imagine noctes!
Invadunt aditus, et quondam cara suorum
Corpora; pars, ut erant, dapibus vinoque soporos;
Pars conferre manus etiam, magnisque paratæ
Cum facibus, quosdam insomnes et cuncta tuentes:
Sed tentare fugam, prohibetque capessere contra

214. *Verbere ductas*. Carr. cod. frigidissime. En.

mat: *En prima revertor ulta toros*, exemplum vobis præivi, agite igitur, *premit dies*, aurora appropinquat: — tum *verbere* (Hor. Carm. III, 12, *verbera linguæ*), exstimulatione, En. — feminas *in* suos quamque *thalamos agit, et enses* subministrat.

216. Cruentam scenam aperturus poeta, præparat lectorem ad varias scelerum facies, cæsorumque multitudinem, quibus describendis supersedere posse optat; *o qui me vera canentem*, quamquam verissima narraturus sum, *sistat*, inhibeat, reprimat, *et hac nostras exsolvat*, liberet, *imagine noctes!* lucubrationes, carmen ipsum, partem carminis, in qua nunc versor, uti Pius et Beckius recte exposuerunt.

220. Feminæ invadunt aditus, januas, thalamos, et *cara quondam suorum corpora; pars, ut erant* (ὡς εἶχον), maritos nempe, *dapibus vinoque soporos*, ob nimium cibum potumque sepultos somno, in quibus igitur conficiendis nullus labor erat; *pars*, aliæ, *magnis cum facibus paratæ conferre*, conserere, si opus esset, *manus;* et opus erat in nonnullis, quos inveniebant *insomnes, et cuncta tuentes* (quod desumptum ex Virgilio, Æn. IX, 345, *vigilantem et cuncta videntem*). Ordo verborum in contextu est perplexior, sensum tamen sic recte expediisse puto.

224. Vigiles ipsi nec fugere sustinent, nec arma capere, adeo *ingentes*, prævalidas diva sistebat uxores, *notaque sonat vox conjuge major* (vid. Sil. Ital. III, 699), vehementior, quam alias ex conjugibus au-

Arma metus; adeo ingentes inimica videri
Diva dabat, notaque sonat vox conjuge major.
Tantum oculos pressere metu, velut agmina cernant
Eumenidum, ferrumve super Bellona coruscet.
Hoc soror, hoc conjux, propiorque hoc nata parensque
Sæva valet; prensosque toris mactatque, trahitque
Femineum genus, immanes quos sternere Bessi
Nec Geticæ potuere manus, aut æquoris iræ.
It cruor in thalamis, et anhela in pectore fumant
Vulnera, seque toris misero luctamine trunci

227. *Metu* abest a Vatic. cod. *Pressere viri.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. — 230. *Seu valet.* Vatic. cod. *Pressos.* Bonon. cod. Junt. Ald. etc. — 233. *His cruor.* Codd. Junt. Ald. Carr. *Hic cruor.* Bonon. I. et II. *It jam.* Sabellicus, Pius. Ed.

dire consuevissent. Debebat esse *conjugis*, sed tales translationes non infrequentes poetis.

227. Nil sibi relictum videbant, quam oculos ut premerent; agmina enim Furiarum videntur conspicere, ipsamque Bellonam ensem super capita *coruscantem*, vibrantem. *Coruscare* sic active positum non sine exemplis; unum excitare sufficiat Virgilii Æn. X, 651, *strictumque coruscat Mucronem.*

229. *Soror, conjux, nata, parensque*, mater (vid. cognationis gradationem e natura ductam), *hoc sæva valet*, tam sævum facinus patrare sustinent. *Hoc*, non definitum, repetitumque ad singula cognationis nomina, summo affectu est, ac valde παθητικόν. Ed.

231. *Femineum genus mactat* viros eos, quos nec *Bessi*, iique *immanes*, nec *Getæ* (utrique Thraces, quos et aliquoties jungit Ovidius in Tristium libris) vincere potuerant, nec *maris iræ.* Placet oppositio feminarum imbellium, et immanium Barbarorum; miseret virorum, tam *segni leto* (I, 633) occumbentium.

233. Manat sanguis in pavimentis, et *anhela*, hiantia, *in pectore fumant vulnera; luctantur trunci*, sed frustra, *devolvuntur toris;* feminæ partim *diras ad fastigia tædas injiciunt* adduntque *domos : pars ignibus* atris *effugiunt propere*. Sic vulgata. Quæ quum sensum admittat vix tolerabilem, ego auctoritatem Bononiensis, quo Harlesius usus est, codicis, cui etiam Beckius accedit, sequutus dedi *obduut* domos, i. e. obstruunt. Hanc τοῦ *obdere* significationem Gesnerus in Thes. h. v. firmavit ex Plauti Cas. V, 2, 17, *obdere forem*, et Plinii VI, 11, *obdere fores ferratis trabibus*. Porro pro *atris*, quod languet otiosum, eodem codice suadente, reposui *acti*. Sic omnia opinabar clara atque perspicua esse : Feminæ flammas *injiciunt fastigiis*, simul vero obstruunt fores ædium : *pars* quidem marito-

Devolvunt; diras aliæ ad fastigia tædas
Injiciunt, obduntque domos; pars ignibus acti
Effugiunt propere, sed dura in limine conjux
Obsidet, et viso repetunt incendia ferro.
Ast aliæ Thressas labem causamque furoris
Diripiunt; mixti gemitus, clamorque precantum
Barbarus, ignotæque implebant æthera voces.
Sed tibi nunc quæ digna tuis ingentibus ausis
Ora feram, decus et patriæ laus una ruentis,
Hypsipyle? non ulla meo te carmine dictam
Abstulerint, durent latiis modo sæcula fastis,
Iliacique lares, tantique palatia regni.
Irruerant actæ pariter natæque nurusque,
Totaque jam sparsis exarserat insula monstris;
Illa pias armata manus, « Fuge protinus urbem
Meque, pater; non hostis, ait, non mœnia læsi

237. *Sed dura.* Vat. Bon. codd. et vet. edd. melius forsan propter *diras* paulo ante v. 235, et sic restituit vir claris. Harlesius. — 239. *Furorum.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. Eo.

rum *ignibus acti effugiunt*, effugere volunt *propere, sed dura in limine conjux obsidet*, etc. Aliam loci sanandi rationem iniit cel. *Jacobs* in Misc. philol. a Matthia edi cœptis, p. 74, qui pro *domos* poni suadet *rogos*, quibus occisorum cadavera absumerentur. Ingeniose, uti viri præstantis omnia.

239. *Aliæ Thressas*, tam impii furoris causas, invadunt; *gemitus clamorque precantium*, *vocesque barbaræ æthera* personant.

242. Sed veniamus jam ad lætius argumentum, ad justis celebrandam laudibus, quæ sola patrem Thoantem servaverat, *Hypsipylen*. *Quæ digna tuis ing. ausis ora feram*, utinam ore magna sonaturo laudes efferre possim tuas! Seræ eas posteritati gestio commendare, *durent latiis modo sæcula fastis*, annales suos continuet Latium, *Iliacique lares, tantique palatia regni*, quamdiu stabit Roma, tanti imperii caput.

248. In eumdem furorem actæ natæ, matres, conjuges sævierant in viros, totaque jam insula *sparsis monstris* ad eamdem inauditam crudelitatem exarserat, quum *Hypsipyle*, *armata* quidem κατὰ *manus*, sed *pias*, patris amantes, ad hunc properat: *Fuge urbem, fuge me.* Placet breviloquentia.

250. *Non hostis, non læsi*, vindictam sumpturi, *Thraces* occupa-

Thraces habent, nostrum hoc facinus; ne quære, quis auctor.
Jam fuge, jam dubiæ donum rape mentis, et ensem
Tu potius miseræ retine». Tunc excipit artus,
Obnubitque caput, tacitumque ad conscia Bacchi
Templa rapit, primoque manus a limine tendens:
« Exime nos sceleri, pater, et miserere piorum
Rursus, ait». Tacita pavidum tum sede locavit
Sub pedibus dextraque dei: latet ille receptus
Veste sacra; voces chorus et trieterica reddunt

251. *Neque quære.* Bonon. cod. — 253. *Miserere tene.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. Junt. *Miser ecce tene.* Bonon. II ex Sabellico. *Miserande tene.* Ald. Gryp. *Misere retine.* Jam ante Carr. correxerat Maserius. Ed.

runt urbem : *nostrum hoc facinus*, *ne quære, quis auctor*, quod ipsa nescio. *Jam*, illico, *fuge*, *jam dubiæ donum rape mentis*, propera, utere hoc ipso temporis momento, acceptumque refer hoc momentum dubiæ menti meæ, quæ parum aberat, quin aliarum abriperetur exemplo, *et ensem tu potius miseræ retine*, cape tu ensem, tutius tibi committitur, quo misera ego etiam nunc fortasse abuti possim.

253. Sic fata *excipit artus*, brachium patris, caput ejus velat, *tacitumque* (hoc Heinsio suspectum, quod paulo post *tacita* sequatur. Sed recte monet Burmannus, non semper mutandas voces, etsi brevi intervallo repetantur, hoc enim et Valerio et aliis sæpe accidere. Ita, III, 346, 347, *referre*; V, 161, 164, *arduus*; VI, 582, 585, *arma*; VI, 666, 669, *miser*, etc. repetuntur : quæ omnia loca corrigere temerarium esset. Sic Burmannus) secum *rapit ad Bacchi templa conscia*, quæ eum reciperent, tuerentur. Sic *conscius*, I, 5. Non exspectato ipso templi introitu, eminus, *primoque manus a limine tendens*, *Exime*, *pater* Bacche, clamat, *et miserere rursus piorum*. Thoas ipsius Bacchi filius fuisse perhibetur, patrisque jam antea aliquem expertus est favorem, de quo tamen nil certi constat.

257. *Tacita tunc sede locavit sub pedibus dextraque dei*, quæ ego quidem sic intelligo : locavit in sede, ubi non animadverteretur, nempe in basi, eaque ejus parte, quæ sub dextra statuæ esset ; *latet ille receptus veste sacra*, velaminibus, quæ basin tegebant.

259. *Voces chorus et trieterica æra reddunt* carmina. Bis sumas τὸ *reddere*. Chorus reddit voces, et trieterica æra reddunt sonum, hoc sensu : chori cantantis hymnis accinunt tympana triennalia, diebus festis, tertio quoque anno in Bacchi honorem celebratis, qui fortasse eo ipso tempore incidebant, quod, quæ paulo post sequitur, pompa suadere videtur. — « Quomodo, ait A. Dureau Delamalle, choro præsente, occultum fore speret consilium ?

Æra sonum, fixæque fremunt in limine tigres.
 Regina ut roseis Auroram surgere bigis
Vidit, et insomni lassatas turbine tandem
Conticuisse domos; stabilem quando optima facta
Dant animum, majorque piis audacia cœptis:
Serta patri, juvenisque comam vestesque Lyæi
Induit, et medium curru locat, æraque circum,
Tympanaque, et plenas tacita formidine cistas.
Ipsa sinus hederisque ligat famularibus artus,
Pampineamque quatit ventosis ictibus hastam,
Respiciens, teneat virides velatus habenas
Ut pater, et nivea tumeant ut cornua mitra,

Quid si legatur *tholus* pro *chorus?* hoc sensu : tholus templi æreaque instrumenta resonant, sponte, seu divinitus, ominis causa ∗. Ed.

260. *Fixæ fremunt in limine tigres*. Tantus erat sonitus tympanorum, etc. ut ante fores stantes æneæ tigrides (erant enim in tutela Bacchi) et intus cavæ resonarent. Aliam postea temporis interpretationem inveni Wesselingii in Probabb. crit. p. 62, qui de pellibus tigridibus detractis accipit, quæ ventilatæ strepitum concitarint. Vid. infra, 276.

261. *Regina*, filia regis, uti passim infra vocatur Medea, *ut Auroram roseis bigis surgere* (imaguncula poetica) et silentia domibus reddita sensit (nam, quum reliquæ feminæ insomnem egissent cædibus noctem, nunc somno se dederant), *stabilem quando optima facta dant animum*, conscientia recte et pie factorum fortem facit, patrem in Bacchi morem *sertis*, *coma*, *vestibus* exornatum currui imponit; circumsonant *æra et tympana*; præcedunt *plenæ tacita formidine cistæ*, quibus non vulganda religionis bacchicæ arcana erant inclusa.

267. Hypsipyle ipsa thyadis habitum induit, *hederis famularibus*, quasi sacerdos, famula dei, *ligat artus*, *pampineamque hastam*, thyrsum, *ventosis ictibus*, ut per aera major flamma excitetur, *quatit*, vibrat.

270. Jam vero semel adhuc patrem lustrat, an personam dei ita recte per omnia acturus sit, an *velatus satis*, ne agnosceretur, *habenas virides*, hederis implexas, *teneat*, an *nivea tumeant cornua mitra*, cornua (vid. Horat. Od. II, 19, 30; Ovid. Fast. III, 790; de Arte am. I, 232) e mitra candida promineant, *et sacer* an *Bacchum referat scyphus*, an rite atque decenter manibus tractet poculum, *cantharum*. Sic debebat esse; nam *scyphus* Herculis potius, *cantharus* Bacchi et Sileni fuit, nec nisi forma differebant. Vid. Heyn. ad Virgil. Ecl. VI, 17, et quos laudat *Ruperti* ad Sil. Ital. VII, 197. — Hoc singulare Valerio qui *scyphum* Baccho tribuit. Ed.

Et sacer ut Bacchum referat scyphus. Impulit acri
Tum validas stridore fores, rapiturque per urbem,
Talia voce canens: « Linque o mihi cæde madentem,
Bacche, domum; sine fœdatum te funere pontus
Expiet, et referam lotos in templa dracones ».
Sic medios egressa metus; facit ipse verendam
Nam deus, et flatu non inscia gliscit anhelo.
  Jamque senem tacitis sæva procul urbe remotum
Occulerat silvis: ipsam sed conscius ausi
Nocte dieque Pavor, fraudataque turbat Erinnys.
Non similes jam ferre choros (semel orgia fallunt)
Audet, non patrios furtis accedere saltus;
Et fuga diversas misero quærenda per artes.

283. *Accendere.* Vatic. cod. *Patriis bustis accendere saltus.* Carr. cod. prorsus ridicule. Ed.

272. *Tum* demum *validas*, robustas, *templi fores acri stridore* magno cum sonitu *impulit*, aperit, pompam non ducit, sed *rapit* per urbem, ne pia fraus pateat, ita canens: *Linque, Bacche,* urbem tuam, quæ cædibus te seque contaminavit; patere, ut *ponto,* aqua marina, quam veteres credebant vitia etiam animi abluere, *expieris*, *et referam lotos in* tua *templa dracones.* Dracones explicat Carrion de signis, vexillis in Bacchi templo, nec meliora habet Burmannus. Equidem Carrioni accesserim, ita tamen, ut formam draconum non habuerint ista vexilla, sed notio tantum volitandi spectanda sit, et revera pelles tigridum intelligi debeant, quo firmaretur Wesselingii ad v. 260 memorata interpretatio. —*Dracones,* serpentes Baccho sacros. Ed.

277. *Sic medios egressa metus*, instantia, si simulatus Bacchus deprehenderetur, pericula quum evasisset, *facit ipse verendam deus, et flatu non inscia gliscit anhelo*, ipsa sentit, sibique placet, superbitque divino acta afflatu. Vid. III, 632.

280. *Jamque senem tacitis occulerat* (licentia poetica pro *occuluerat*, nisi malis legere *occultat*) *silvis: ipsam* tamen *Pavor et fraudata Erinnys*, cujus furorem irritum fecerat, *turbant*, nec ausa fuisset (*nam semel orgia fallunt*), simulata Bacchi pompa, cives fallere denuo; immo timida fuit adeo, ut ne *furtis* quidem (non est, quod reponas facilius et usitatius *furtim*, nam infra VIII, 228, itidem est *furto*) ad patrem in silva visere sustineret; miserum sibi ipsi commisit, *et fuga diversas misero quærenda per artes*, ut ipse aliquam fuga vitam servandi rationem comminisceretur.

Visa ratis, sævæ defecta laboribus undæ,
Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam
Solibus, et canis urebat luna pruinis.
Huc genitorem, altæ per opaca silentia noctis,
Præcipitem silvis rapit, et sic mœsta profatur:
« Quam, genitor, patriam, quanta modo linquis inanes
Pube domos! proh dira lues, proh noctis acerbæ
Exitium! talin' possum te credere puppi,
Care parens? possum tantis retinere periclis?
Solvimus heu serum furiis scelus! annue votis,
Diva, soporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.

290. *Quantas modo linquis inani.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. — 291. *Puppe.* Male corrigebat Sabellic. quem seq. Carr. — 292. *Te reddere.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. *Credere.* Jam ante Carrion. Sabellic. Bonon. II. — 294. *Furtis.* Codd. et edd. omnes. *Furiis* emendavit Gronov. Obs. 4, 12. Nec aliter legisse videtur Pius. Vid. Heins. not. *Miserum furtis.* Carr. cod. pessime, judice Heinsio. Ed.

285. Interea tamen Hypsipyle ratem conspicit *sævæ defectam*, defunctam, *laboribus undæ, quam Thetidi Glaucoque repostam*, dedicatam (nam opifices, nautæ, artifices instrumenta artis diis vovebant, cujus moris exempla innumera habet Anthologia græca et latina), *longinqua dies*, plures fortasse anni, *solibus*, æstu solis, *et canis* (epitheton ornans) *pruinis luna urebat* (urunt enim poetis omnia quæ nocent, ipsumque frigus).

288. Ad hanc igitur naviculam nocte concubia patrem e silvis rapit: Heu tibi, care pater, patria relinquenda est, tanta tamque læta pube nuper frequens, *quanta modo linquis inanes pube domos!* Sed, quid agam, nescio. *Taline*, tam fragili, *te credam puppi? an retineam tantis periculis*, quæ in patria manenti immineant? *Solvimus heu serum furiis scelus!* Mire hic variant et codices et interpretes. Retinui, quam Burmannus dedit, lectionem, Gronovio accedens, in Observ. lib. IV, cap. 12, ita fere interpretanti: Sic igitur, quamquam sero, furiis cedere, et mortis tibi causa fieri debeam, eo quod tam fragili putridæque navi te committam?

295. Tibi, luna, *quæ soporiferas nunc trahis æquore bigas* (v. III, 415), patrem commendo; *non dite solum*, frugiferas terras, *non regna*, hoc saltem peto, ut sospes patriam evadat. *Quando ego servato mediam genitore per urbem læta ferar?* utinam mox tempus adsit, quo de servato patre lætari per urbem possim! *quando hic lacrimas planctusque videbo?* utinam reliquas feminas mox pœni-

Non populos, non dite solum, non ulla parenti
Regna peto; patria liceat decedere terra.
Quando ego servato mediam genitore per urbem
Læta ferar? quando hic lacrimas planctusque videbo?»
Dixerat: ille procul trunca fugit anxius alno,
Taurorumque locos, delubraque sæva Dianæ
Advenit; hic illum tristi, dea, præficis aræ,
Ense dato: mora nec terris tibi longa cruentis.
Jam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Jupiter, et soli non mitis Aricia regi.

Arcem nata petit, quo jam manus horrida matrum
Congruerat: rauco fremitu sedere parentum

tentiam facinoris sui lacrimis testari viderem!

300. Sed quid pater? *Ille anxius procul fugit alno trunca*, navi lacera et vix cohærente, *Taurorumque locos delubraque sæva Dianæ*, in Chersonesum Tauricam, ubi hospites Dianæ immolabantur, delatus est. Nota hæc ex Iphigeniæ, Orestis et Pyladis historia. Diana igitur, Hypsipyles precibus mota, advenam Thoantem ense dato sacerdotem sibi facit: *nec mora terris tibi longa cruentis*, quæ non ad Thoantem referenda, quem in Chio insula deinde domicilium posuisse narrant nonnulli Mythologi, nullus autem in Italiam migrare jussit, sed ad Dianam ipsam, cujus statuam Orestes et Pylades in Italiam transportasse feruntur. *Mora non longa* Valerii nostri non admodum tamen premenda; nam ætas Orestis ab Argonautis prope centum annis distat. V. *Meziriac* ad Ov. Heroid. II, p. 45. Hoc igitur in sequentibus ipse confirmat poeta. *Jovem* ait prævidisse tempus transferendæ *Dianæ*, *jam te ciet altus ab Alba*, ab albano monte, *Jupiter* Albanus, Latialis, invitat in viciniam, *in nemus Egeriæ*, ex historia Numæ notissimæ, urbemque *Ariciam*, *soli non mitem regi*. Quod quomodo intelligendum sit, optime docet Pausanias in Corinthiacis, c. XVII, p. 280, ed. Facianæ. Hippolytus nempe, Thesei filius, dolis novercæ a patre pulsus, et ab equis consternatis curru dejectus, misere quidem perierat; sed ab Æsculapio in vitam revocatus, noluit ad patrem desiderantem et deprecantem revertere, sed sedem collocavit in Italiæ urbe Aricia, ubi templum erexit Dianæ, in cujus nemore certamina instituit servorum fugitivorum singularia, eumque, qui superior discessisset, sacerdotem et *regem* (*Rex nemorensis* Sueton. Calig. 35) esse voluit, donec ab alio vinceretur. Hæc igitur est Ariciæ in regem crudelitas.

306. Hypsipyle, interea in urbem reversa, turbam mulierum congregatam, tumultuantem, sedes parentum, filiorum, maritorum occupan-

Natorumque locis, vacuæque in mœnibus urbis
Jura novant; donant solio sceptrisque paternis,
Ut meritam; redeuntque piæ sua præmia menti.
Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
Arma notant; rapitur subito regina tumultu,
Conciliumque vocat: non illis obvia tela
Ferre, nec infestos deerat furor improbus ignes,
Ni Veneris sævas fregisset Mulciber iras.
Tunc etiam vates Phœbo dilecta Polyxo,
Non patriam, non certa genus, te, maxima Tethys,

310. *Que* abest a Vat. cod. redduntque Junt. Maser. edd. ante Carr. — 317. *Cete.* Vat. et Carr. codd. *Tethy.* Bon. cod. Bon. I. *Tethym.* Bon. II. Junt. Ald. etc. Ed.

tem offendit. *Vacuæ*, liberæ, *jura novant*, novas sibi leges scribunt, novam regiminis formam inducunt, Hypsipylenque solio patris imponunt, *ut meritam*, quasi meruisset; verius tamen a diis ipsis ita ordinatum, ut, ignaris reliquis feminis, præmium pietatis in patrem ferret: *redeunt piæ sua præmia menti.*

311. Ecce vero procul navem viris armatam insulæ appropinquantem conspiciunt; regina subito arcessitur; concilium vocatur: *furor improbus*, immanis, mentibus adhuc insidens, telis ignibusque contra ire impellit, sed *Vulcanus* ipse *sævas Veneris iras frangit.*

316. Accessit, ut mitiora consilia suaderet, etiam *vates Phœbo dilecta Polyxo*, quam Apollonius, I, 668, Hypsipyles nutricem fuisse ait: *non patriam, non certa genus*, quæ cujatis esset, quam patriam, quos parentes habuisset, nemo dicere, fortasse nec ipsa poterat (vid. de hac vetula etiam Spanh. ad. Callimach. p. 797, edit. Ernesti, et *Hermann mythol. Handb.* III, 235, 238.

317. *Sed maxima Ceto Proteaque ambiguum pharii se patris ab antris huc rexisse vias*, e quibus verbis sensum elicere nemo possit. Sequutus igitur cel. Beckii, p. 264, auctoritatem mihi gravissimam, Burmanni emendationem eo promptius in textum recepi, quo facilior ea est ad sensum, et codicibus adeo firmatur. Sic igitur reposuit Burmannus: te, *maxima Tethys, Proteaque ambiguum Phariis* referebat (hoc enim, vel aliud ejusdem significationis verbum necessario requiritur) *ab antris huc rexisse vias.* Jam vero plana omnia et ad intelligendum facilia. *Tethyn maximam*, dearum maris antiquissimam Polyxo narrat *cum Proteo ambiguo*, qui, quamcumque vellet, formam induere posset, *ab phariis antris*, niloticis Ægypti, *huc rexisse vias*, mare circa Lemnum insulam sedem sibi elegisse. Filius nimirum Tethyos fuit Proteus, cujus in gratiam mater etiam in hanc regionem migraverat. — Vide ad calcem hujus libri notam ad versus 316-319. Ed.

Proteaque ambiguum Phariis referebat ab antris
Huc rexisse vias, junctis super æquora phocis.
Sæpe imis se condit aquis, cunctataque paullum
Surgit, ut auditas referens in gurgite voces:
« Portum demus, ait : hæc hospita, credite, puppis
Adveniet; levior Lemno deus æquore flexit
Huc Minyas; Venus ipsa volens dat tempora jungi,
Dum vires utero, maternaque sufficit ætas ».
Dicta placent, portatque preces ad litora Graiis
. Iphinoe; nec turba nocens, scelerisque recentis
Signa movent, tollitque loci Cytherea timorem.
Protinus ingentem procerum sub nomine taurum
Dejicit; insuetis et jam pia munera templis

318. *Patris* abest a Vatican. cod. *Phariis effata sub ant.* Bonon. cod. *Phariis referebat ab a.* Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. — 322. *Hospita* abest a Vatic. cod. *Nobis hæc credita.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. — 323. *Advenit, et levior.* Codd. et vett. edd. *Lenior.* Vitiose Junt. Ed.

320. Horum numinum gratiam atque familiaritatem jactans anicula sæpe se condit aquis, paulisper morata emergit, et, quæ sub aquis audivisse fingeret, narrat. Sic itaque et nunc fecit : *Portum demus*, ait, *hospita*, amica, *venit navis ; levior*, propitius aliquis *deus huc flexit Argonautas. Venus ipsa volens*, libens, *dat tempora jungi*, matrimonia nova jubet inire, *dum vires utero*, *maternaque sufficit ætas*, dum venter adhuc partumeius, priusquam effetæ fiatis.

325. Dicta placent. *Iphinoe* a regina ablegatur ad Græcos, *nec turba nocens*, *scelerisque recentis signa movent*, Argonautas nempe, qui nec multitudine feminarum truculentarum, nec nuperæ cædis signis absterreri sese passi sunt ab accessu; nam *ipsa Venus loci timorem abstulerat.* — Hoc intelligi potest allegorice : amor nempe, qui mentem solet obcæcare, effecit ne sceleratas feminas, præ horrore, ut æquum erat, aspernarentur Argonautæ. Ed.

329. *Protinus ingentem taurum procerum sub nomine dejicit*, mactat (vid. I, 191). Sed quis? Hypsipyle, an Jason? Justo brevior est omnino hoc loco Valerius, et verba *procerum sub nomine* obscuriora. Quo factum, ut interpretes vel Iphinoen, vel Polyxo, vel Hypsipylen, quæ Jasoni taurum miserit, intelligerent; mihi vero arridet magis Piersoni, Verisimil. p. 201, conjectura, legentis : *procerum* dux *nomine*, Jason igitur ipse suo et reliquorum heroum nomine taurum ferit, *et hac prima Veneris calet ara juvenca*.

Reddit, et hac prima Veneris calet ara juvenca.
Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
Fumant saxa jugis, coquiturque vaporibus aer.
Substitit Æsonides; atque hic regina precari
Hortatur; causasque docens, « Hæc antra videtis
Vulcanique, ait, ecce domos; date vina precesque,
Forsitan hoc factum taceat jam fulmen in antro;
Nox dabit ipsa fidem, clausæ quum murmura flammæ,
Hospes, et incussæ sonitum mirabere massæ ».
Mœnia tum viresque loci, veteresque parentum
Jactat opes. Mediis famulæ convivia tectis
Expediunt; tyrio vibrat torus igneus ostro.
Stat mœrens atavos reges, regesque maritos

337. *Jaceat.* Heins. et Burm. I. Ed.

quæ prima post longum temporis spatium hostia fuit, quæ Veneri offerretur.

332. Venit Jason, Hypsipyle comitante, ad rupem, in qua Vulcani erat officina, quam hyperbolice, pulchre tamen, ita pingit Valerius, *cujus pendentia saxa nigris fumant jugis, coquiturque vaporibus aer.* — Vid. Etymol. mag. et Stephanum ad vocem αἰθάλη. Ed.

334. *Substitit* admirabundus Jason; at regina, *Hæc*, inquit, *Vulcani domus : vina* igitur libes cum sociis tuis, et *preces* fundas. Mirum tibi fortasse videatur, *quod factum*, absolutum, *taceat jam fulmen in antro*, quod sileat officina, et vacet ab fulminibus cudendis; sed exspecta noctem, *nox dabit fidem*, et *clausæ cum murmure*, crepitantes, *flammæ*, *et incussæ massæ*, ferri in incudibus, *sonitum mirabere*.

340. Interea dum urbem, agri ubertatem, majorum potentiam *jactat* Hypsipyle Jasoni, *famulæ expediunt*, parant, *convivium*, lectosque sternunt vestibus purpureis; *tyrio vibrat*, coruscat, *torus igneus ostro*. *Stant thressæ* mulieres captivæ, *atavos reges regesque maritos mœrentes*, filiæ, neptes, conjuges regum et magnatum, jam miseræ, ministræ, servæque, *quæcumque faces timuisse jugales credita, nec dominæ sanctum tetigisse cubile*, quibus pepercerant Lemniæ, quod maritos noluisse corrumpere comperissent.

346. Jam accumbunt, in medio Jason et regina, post reliqui *proceres* et Argonautæ, et lemniæ matronæ; *sacris vincitur*, sedatur, *extis prima fames* (τὸ *prima* opponitur dapibus sequentibus), jam minutulis viscerum hostiæ partibus vescuntur; *circum pateris* (nondum poculis) *it Bacchus*, libationis causa in orbem ibat patera, ex qua paululum vini et sorbebant, et effundebant; *omnis*

Thressa manus, quæcumque faces timuisse jugales
Credita, nec dominæ sanctum tetigisse cubile.
Jam medio Æsonides, jam se regina locavit,
Post alii proceres: sacris dum vincitur extis
Prima fames, circum pateris it Bacchus, et omnis
Aula silet; dapibus cœptis mox tempora fallunt
Noctis, et in seras durant sermonibus umbras.
Præcipueque ducis casus mirata requirit
Hypsipyle, quæ fata trahant, quæ regis agat vis,
Aut unde Hæmoniæ molem ratis: unius hæret
Alloquio, et blandos paullatim colligit ignes,
Jam non dura toris, Veneri nec iniqua reversæ;
Et deus ipse moras spatiumque indulget amori.

349. *Captis.* Ald. Heins. et Burm. I. Ed.

aula silet, quoad duraret libationis religio. Vid. Virgil. Æn. I, 729-738, ubi itidem et pateras, et libationem, et sorbitionem, et silentium invenies.

349. Tum demum justæ *dapes cœptæ*, fercula larga apposita, quæ jucundas inter confabulationes in seram noctem protrahuntur.

351. Hypsipyle in primis casus miratur Jasonis, diligenter omnia exquirit, *quæ fata trahant, quæ regis agat vis* (malim cum Burmanno *quo*, quo nimirum tendat, quæ meta sit itineris); *unde molem Hæmoniæ ratis*, unde tam magnam, tam egregiam Thessalia acceperit navem. — Recta constructio hæc est: *quæ vis agat molem*. Ed.

353. *Unius adhæret alloquio*, tota pendet ex ore narrantis, *et blandos paulatim colligit*, concipit, *ignes, jam non dura toris, Veneri nec iniqua reversæ*, non aspera, immo prompta et parata conjugio, ut in gratiam Veneris nuper reversæ quam primum sese insinuaret.

356. *Et deus ipse*, *Jupiter* (uti in antecedentibus, Virgilii Æneas et Dido ob oculos versati sunt Valerio, ita et hic, quam tempestatem apud illum, ut speluncam Dido dux et trojanus eamdem devenirent, immiserat Juno, nunc, ut Jason diutius commorari posset in Hypsipyles amplexibus, movere poeta noster jubet Jovem), Jupiter igitur ipse *favet amori*: nam *lege poli* (vid. I, 213, et Columellæ v. 219: *fœdera cœli*) *æternum volvens opus*, ex constituto ab initio rerum æquali et eodem semper ordine recurrente siderum motu, *Pleiadas astro nimboso* jusserat oriri: *undis cuncta ruunt*, inundari videntur, *unoque dei sub ictu* fulminis, *Pangæa* (juga) mons Thraciæ, *Gargaraque*, montis Idæ pars, *et mœsti steterant formidine*,

Pliada lege poli nimboso moverat astro
Jupiter, æternum volvens opus, et simul undis
Cuncta ruunt; unoque dei Pangea sub ictu,
Gargaraque, et mœsti steterant formidine luci.
Sævior haud alio mortales tempore mentes
Terror agit: tunc urget enim, tunc flagitat iras
In populos Astræa Jovem, terrisque relictis,
Invocat assiduo saturnia sidera questu.
Insequitur niger et magnis cum fratribus Eurus
Intonat Ægæo, tenditque ad litora pontus.
Et lunam quarto densam videt imbribus ortu
Thespiades, longus cœptis et fluctibus arcet
Quem metus: usque novos divæ melioris ad ignes
Urbe sedent læti Minyæ, viduisque vacantes
Indulgent thalamis, nimbosque educere luxu,
Nec jam velle vias, zephyrosque audire vocantes
Dissimulant; donec resides Tirynthius heros

361. *Gentes*. Codd. et edd. ante Heins.— 362. *Tortor agit*. Absurde Carr. cod.— 368. *Longis*. Junt. Gryp. *Longe*. Ald. *Arcent*. Vatic. Bonon. codd. I. Junt. — 369. *Qui metus*. Vatic. cod. Junt. Ald. Colin. Conveniunt h. l. Carr. cod. et Bon. II. Ed.

horrore, metu nubium, quas atras cogi viderent, *luci*.

361. Tempestas oritur, qualem vix unquam mortales viderant, et urgente quidem et *flagitante Astræa*, quæ, ex quo vitiis hominum irata *terras reliquit*, non desinit *assiduo questu saturnia sidera* (sidera sic sæpe de uno astro apud poetas, v. c. Ovid. Met. XIV, 172, *sidera solis*), Capricornum, pluviis famosum, *invocare*. Venti debacchantur per mare Ægæum, fluctusque decumani litoribus alliduntur.

367. *Et lunam quarto densam videt imbribus ortu*, quarto adeo die lunam nubibus obumbratam videt *Thespiades* Tiphys, *quem longus cœptis et fluctibus metus arcet*, diuturna plurium dierum tempestas ab itinere per maria prosequendo retinet. Argonautæ autem *ad divæ melioris*, jam propitiæ, *ignes novos*, amores, amatas, *sedent vacantes*, desident otiosi; *viduis indulgent thalamis*, viduarum amplexibus; *nimbos*, dies hiemales, *luxu educunt*, transigunt (vid. I, 251); *nec jam velle vias*, nollent, etiamsi possent, in itinere pergere, *Zephyros* secundiores ventos audiunt flantes, sed audire dissimulant.

373. Hoc amplius ferre non potest *Tirynthius heros*, Hercules (v. Ind.)

Non tulit, ipse rati invigilans atque integer urbis;
Invidisse deos tantum maris æquor adortis
Desertasque domos, fraudataque tempore segni
Vota patrum. Quid et ipse viris cunctantibus adsit?
« O miseri, quicumque tuis accessimus actis!
Phasin et Æeten, scythicique pericula ponti
Redde, ait, Æsonide; me tecum solus in æquor
Rerum traxit amor, dum spes mihi sistere montes
Cyaneos, vigilemque alium spoliare draconem.
Si sedet Ægæi scopulos habitare profundi,
Hoc mecum Telamon peraget meus.» Hæc ubi dicta,
Haud secus Æsonides monitis accensus amaris,
Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra juvat, brevis in lævos piger angitur orbes:

377. *Quod.* Sic Bonon. II. Mascr. Ald. quidam codd. et aliæ edd. Ed.

ipse rati invigilans, atque integer urbis, urbem non intraverat, ideoque luxu in ea dominante non abreptus; vid. omnino Apollonium, I, 855 sqq. Quid? ait, invident fortasse dii tantum mare adortis? Non ideo domus deseruimus, ut *tempore segni*, desidia atque luxuria consumpto, *vota parentum fraudemus*, irrita faciamus?

377. Quin et *ipse* (Græcorum αὐτὸς, *Hauptperson*) dux noster Jason inter cunctantes sit? O miseri, qui te ducem sequuti sumus! *Phasin, Æeten, scythici ponti pericula redde*, promisisti enim (sic sæpe *reddere*; v. c. VII, 427), *solus amor rerum* gerendarum *in mare me traxit*, ubi spem mihi videbam excitari *Cyaneas sistendi* petras, *vigilemque alium*, uti antea in Hesperidum hortis, *spoliandi draconem. Si sedet* animo infixum *Ægæi scopulos* (contemptim) *habitare maris*, *hoc*, velleris aurei expugnationem, *mecum Telamon peraget meus.*—Sic Diomedes, apud Hom. Il. IX, v. 48: Νῶϊ δ', ἐγὼ Σθένελός τε, μαχησόμεθα, cujus versus et sententiam et structuram imitatus est Noster. Ed.

385. Tam amaris monitis Jason haud secus incitatus, ac *equus bellator*, bellicosus, *quem frigida*, otiosa, *terra longa pace juvat*, qui *brevis*, palis alligatus, ne latius in aliena pascua exspatiari possit (pro *palis* Horatius in itinere brundusino, Serm. I, V, 17, habet *retinacula*), ideoque *piger*, pigritiam contraxit, et *in lævos angitur orbes*, quod equorum esse dicitur, qui disciplina nondum assuefacti sunt, vel dedidicere, dextro pede prius quam sinistro uti in procedendo. Ipsi, fateor, mihi non facio satis in loco tam intricato, quem non una premit difficultas.

Frena tamen dominumque velit, si martius aures
Clamor, et obliti rursus fragor impleat æris.
Tunc Argon Tiphynque vocat, pelagoque parari
Præcipitat; petit ingenti clamore magister
Arma, viros pariter, sparsosque in litore remos.
  Exoritur novus urbe dolor, planctusque per omnes
It facies antiqua domos; sibi mœnia linqui
En iterum; ecquando natorum tempora, gentem
Qui recolant, qui sceptra gerant? nunc triste nefandæ
Noctis opus, vidui nunc illa silentia tecti
Sæva magis, thalamos excussaque vincla quod ausæ
Induere, atque iterum tales admittere curas.
Ipsa quoque Hypsipyle subitos per litora cursus
Ut vidit, totaque viros decedere Lemno,

394. *Et facies.* Vatic, Boooo. Carr. codd. solenoi lapsu. Booon. I et II. Carr. cod. ut solet, male sequutus est. — 395. *Et quando.* Vatic. Bonoo. Carr. codd. Bonon. I. — 396. *Regant.* Carr. cod. oovandi cupidine. — 398. *Sævit amor, thalamos.* Carr. cod. seu potius male feriatus corrector. — 399. *Imbuere.* Codd. et edd. *Induere.* Ziozerl. et Heins. Ed.

Aliam alii viam ingressi sunt. Ill. Heynius in Obss. ad Tibullum, IV, I, 91, p. 192, ed. sec. jungi jubet: *Terra juvat brevis*, h. e. exigui campi pascua. *In lævos orbes piger angitur*, h. e. longa desidia fractus, si quis insederit, vix ad naturalem flexum ei ille obtemperet.

389. *Frena tamen dominumque velit*, ut primum clamorem bellicum tubamque audit. Itaque Jason, uti antea equum desidem, ita nunc denuo alacrem imitatur, *Argum Tiphynque vocat*, et ad abitum omnia jubet parari.

393. Novus inde in urbe dolor exoritur, *facies planctus antiqua*; eadem, quæ antea tristitiæ signa; *sibi*, magno malo suo, urbem denuo *linqui*, desertam fore, *ecquando* aliquandone *natorum tempora*, *gentem qui recolant*, ventura? sic evanescere spem filiorum, qui sobolem civium reficiant. Jam sæva illa nox, qua maritos interfecerant, *thalamique silentes* ob oculos versantur; et pœnam se daturas, quod *excussa vincla* conjugii *denuo induerint*, novasque inde curas atque molestias contraxerint, secum reputant. — Pro *tecti*, Heinsius malit *lecti*. Ed.

400. Hypsipyle ipsa ingemit, et blandis verbis sollicitum de Jasone animum promit. *Jamne primo sereno*, ubi vix serenitas aliqua cælo emicuit, *deducere*, demittere, *vela cupias*, care, *carius* adeo *patre* meo *caput*?

Ingemit, et tali compellat Iasona questu :
« Jamne placet primo deducere vela sereno,
Carius o mihi patre caput? modo sæva quierunt
Æquora : sic portus fugeret ratis, aspera si te
Plias in adversæ tenuisset litore Thraces?
Ergo moras cælo cursumque tenentibus undis
Debuimus? » Dixit lacrimans, hæsuraque caro
Dona duci promit chlamydem textosque labores.
Illic servati genitoris conscia sacra
Pressit acu, currusque pios; stant sæva paventum
Agmina, dantque locum; viridis circum horrida tela
Silva tremit; mediis refugit pater anxius umbris.
Pars et frondosæ raptus expresserat Idæ,

411. *Pinxit acu.* Bonon. I et II. Ed.

405. *Sic portus fugeret ratis*, num ita ex portu properares, si tempestas nimbosa in litore Thraciæ te oppressisset? Ergo soli *cælo* et hiemi, non amori acceptum referam, ut ad nos deverteris?

408. Sic lacrymans *promit chlamydem textosque labores*, chlamydem acu pictam, *dona hæsura*, in sui memoriam a Jasone gestanda. Xenia ejusmodi v. apud Hom. Odyss. XV, 115; Virg. Æn. V, 535; Ovid. Metam. XIII, 679, etc.

410. *Acu nempe presserat*, expresserat, pinxerat, *genitoris conscia sacra*, templum Bacchi, in quo patrem condiderat, *currusque pios*, pietatis adjutores; *stant sæva paventum agmina* mulierum lemniarum, *dantque locum*, via decedunt: *viridis silva* ex pampinis *circum horrida tela*, thyrsum, quam thyadis personam agens gestaverat, *tremit*, tam subtiliter picta est, ut tremere videatur: *mediis refugit pater anxius umbris*, silvis. Commodior sensus exsisteret, si una literula abjecta, pro *viridis* legas *viridi*, uti Heinsio visum est. *Tela* (in) *viridi* tremit horrida silva, in cujus medias umbras pater anxius fugit.

414. Altera pictura referebat *illustrem*, famigeratissimum illum *pueri* Ganymedis *ex Ida frondosa raptum : mox æthere*, cælesti sede, *lætus adstabat mensis* deorum, Jovis pocillator; *quin et ipse Jovis armiger*, aquila, *a phrygio ministro jam*, antea enim raptori iratus fuerat, *pocula blanda accipit*. Gemmam in qua ita pascit aquilam Ganymedes, æri incisam dedit Lippertus Dactylioth. P. I, p. 22; vid. Spanhem. ad Juliani Cæsares, p. 70. Tria hæc, ad Ganymedis historiam pertinentia, quum fieri non potuerit, ut una eademque areola exhiberentur, pro parergis, et in fugam vacui, Hypsi-

Illustremque fugam pueri; mox æthere lætus
Adstabat mensis : quin et Jovis armiger ipse
Accipit a Phrygio jam pocula blanda ministro.
Tunc ensem notumque ferens insigne Thoantis :
« Accipe, ait, bellis mediæque ut pulvere pugnæ
Sit comes, Ætnæi genitor quæ flammea gessit
Dona dei, nunc digna tuis adjungier armis.
I memor, i, terræ, quæ vos amplexa quieto
Prima sinu; refer et domitis a Colchidos oris
Vela, per hunc utero quem linquis Iasona nostro. »
Sic ait, Hæmonii labens in colla mariti :
Nec minus Orphea tristis cervice, tuaque,
Æacide, et gemino conjux a Castore pendet.
Has inter lacrimas legitur piger uncus arenis :
Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant;
Spumea subsequitur fugientis semita clavi.

420. *Sim comes.* Vulgati. *Sit comes.* Junt. Ald. etc. vide Burm. not. Ed.

pylen singulis majorem illam picturam circumdedisse existimaverim. Idem fere placuisse video cl. Leuzio in *erklär. Anmerkungen zu den epischen Dichtern der Römer*, p. 297, qui et gemmam laudat Stoschianam exhibitam a Schlichtegrollio.

418. Chlamydi donum adjungit aliud *ensem*, *notum ferens insigne Thoantis*, cujus capulo insculpta essent, quæ ad familiam Thoantis ipsumque spectarent, qui tibi *sit* (sic reposui pro *sim*, quod ferri possit, si interpreteris : ego, i. e. memoria mei tibi sit comes; sed nimis coactum) *belli pugnarumque comes*, quem pater ab *Ætnæo deo*, Vulcano (Euripid. Cycl. 595, ἄναξ Αἰτναῖος), olim dono acceperat, nunc te dignus. I memor terræ, quæ te *quieto sinu* prima et amice excepit; et a Colchide redux, iterum ad nos deverte, idque peto per pignus amoris, *per hunc, utero quem linquis Iasona* parvulum *nostro*. Vid. Apollon. I, 898, et Virgilii Didonem, IV, 327 et seqq.

426. Nec sine lacrimulis dimittuntur ab aliis feminis *Orpheus*, *Æacides* (h. l. *Peleus*, nam Telamonem et ipsum Æacidem cum Hercule in navi remansisse vidimus v. 384), et *Castor*.

428. Has inter lacrimas *piger*, diu otiosus, *uncus*, ancora, *arenis legitur*, solvitur, et remi et venti impellunt navem; *spumea subsequitur fugientis semita clavi*, gubernaculum celeri motu sulcum trahit per mare spumans.

Tunc tenuis Lemnos, transitque Electria tellus,
Threiciis arcana sacris; hic numinis ingens
Horror, et incautis decreta piacula linguis.
Hanc demissa Jovi non umquam lædere fluctu
Audet hiems; sponte ipse deus tunc asperat undas,
Quum vetat infidos sua litora tangere nautas.
Obvius at Minyas terris adytisque sacerdos
Excipit, hospitibus reserans secreta, Thyotes.
Hactenus in populos vati, Samothraca, diemque
Missa, vale, sacrisque metum servemus opertis.

431. *Tunc tenuit Lemnos.* Bonon. I. Vitiose ad hanc editionem pertinet Sabell. correctio *tum tenus it Lemnos* quam amplexus est Pius. Vide Heins. not. — 434. *Hanc.* Sic codd. et edd. præter Heins. et Burm. qui *hunc* habent. Vide Burm. not. reposuit *hanc* vir clariss. Harles. — 439. *Vate Samothraca.* Solenni errore pro *vati* Vatic. cod. *Vates Samothraca.* Carr. Heins. Burm. *Vatem Samothracia ditem.* Bonon. cod. et Aldus qui tres ibi versus spurios habet. Vide notas. *Vates Samothracia divum.* Bonon. I et II. Junt. Ed.

432. Tunc *Lemnos tenuis*, ita ut tenuis fieret, minor navigantibus fieri videretur, evanescit sensim, et *Electriam terram* ab Electra, Atlantis filia, sic dictam, *Threiciis arcanam sacris*, Samothracen legunt. Hic *numinis ingens horror*, religio horroris plena, et *incautis decreta piacula linguis;* graves pœnæ manent eos, qui temere evulgarint mysteria.

434. Hæc insula tota immunis est ab omni tempestate; tum demum *deus* (dii, Cabiri) *undas asperat*, fluctus movet, quum *infidos nautas* litora sua tangere velle sentiat. Tales quum Argonautæ non essent, obviam sponte venit sacerdos *Thyotes*, *excipit terris adytisque*, templo, *reserat* adeo *secreta*, initiat mysteriis, quæ ad artem in primis nauticam pertinuisse putantur. Bœttigeri archæolog. Museum, *Heft.* I, pag. 67.

439. *Hactenus in populos, vates Samothraca, diemque missa mane, sacrisque metum servemus opertis.* Sic ed. Burmanniana. Mirum, quantum desudarint in his Sibyllæ foliis expediendis interpretes, quotquot Valerio meo operam impenderunt, quam tamen lusisse omnes videntur. Nec felicior post Burmannum fuit Withofius, qui legendum esse conjicit: *vatem Samothraca reducens*, *Musa*, *mane!* vide *kritische Anmerkungen St.* V, p. 26. Rem, nisi fallor, acu tetigit Schraderus, Obss. p. 21, qui ita refingit: *Hactenus in populos* vati, *Samothraca*, *diemque missa* vale. Sensum meis verbis exponere liceat: sed hæc hactenus, ait poeta. Plura de te, Samothraca (Vocat.), præter ea, quæ mihi (*vati*), a me in populos diemque missa sunt, quæ notiora hominibus facere, in lucem protrahere

Illi sole novo læti, plenique deorum,
Considunt transtris; jam, quas præviderat, urbes
Navita condebat, proræque accesserat Imbros;
Et sol ætherias medius conscenderat arces.
Thessala Dardaniis tunc primum puppis arenis
Appulit, et fatis Sigeo litore sedit.
Desiliunt; pars hinc levibus candentia velis
Castra levat; tracto pars frangit adorea saxo
Farra; citum strictis alius de cautibus ignem
Ostendit foliis, et sulfure pascit amico.
Alcides Telamonque comes dum litora blando
Anfractu sinuosa legunt, vox accidit aures,
Flebile succedens, ceu fracta remurmurat unda.

452. *Attigit.* Junt. Ald. Carr. — 453. *Cum fracta.* Vatic. Boaon. Carr. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. *Qua fracta.* Sabell. Ed.

cœperam, non edisseram : pergas arcana esse, *vale!* quod firmat Apollonii νῆσος κεχάροιτο, I, 920. Sic igitur in contextum recipere nullus dubitavi. Quæ sequuntur, *sacris metum servemus opertis*, satis facilia. Cæterum, ne et ego sacra hæc arcana profanem, lectores consulant velim L. B. *de Sainte-Croix*, *Recherches sur les mystères du paganisme*, p. 27, et *Hermann*, *Mythol. Handb. Th.* III, p. 169 et seqq.

441. Luce orta, Argonautæ læti, *plenique deorum*, initiati, ad transtra redeunt, urbes antea visas *condunt*, post se relinquunt, et meridie in conspectu habent *Imbron*, insulam haud procul a Samothrace sitam. Tunc primum *Thessala puppis*, Argo, *Dardaniis arenis appulit et Sigeo litore sedit*, pervenit in regionem Trojanam ejusque promontorium.

447. Ibi in terram escendunt; *pars levibus candentia velis castra levat* (locat?) (jucunde tuguria velis tecta pinguntur); *pars frangit*, comminuit, *adorea farra*, frumenta, *tracto saxo*, molis manuariis lapideis : *citum strictis alius de cautibus ignem ostendit foliis*, alius lætatur, quod celeriter e silice excussum, et foliis exceptum sociis possit ignem ostendere, et *sulfure pascit*, sustentat, *amico*. Epitheton felicissimum! ignis facile se jungit sulfuri quod arripit.

451. Hercules et Telamon *dum litora blando anfractu sinuosa*, molli flexu sinuata, *legunt*, *vox accidit*, ferit, *aures flebile* (flebiliter) *succedens*, non tam vox, quam lenis fletus, *ceu* (melius, quod Burmanno placet, *qua*) *fracta remurmurat unda*, in litore, ubi fluctus franguntur.

452. *Vox accidit aures;* sic Apuleius : *sonus aures ejus accidit*. Ed.

Attoniti pressere gradum, vacuumque sequuntur
Vocis iter: jam certa sonat; desertaque duræ
Virgo neci quem non hominum superumque vocabat?
Acrius hoc instare viri, succurrere certi.
Qualiter, implevit gemitu quum taurus acerbo
Avia, frangentem morsu super alta leonem
Terga ferens, coit e sparso concita mapali
Agrestum manus, et cæco clamore coloni.
Constitit Alcides, visuque enisus, in alta
Rupe truces manicas, defectaque virginis ora
Cernit, et ad primos turgentia lumina fluctus;
Exanimum veluti, multa tamen arte coactum,
Mœret ebur, Pariusve notas et nomina sumit

464. *Surgentia.* Bonon. cod. Junt. Ald. *Surgentia flumina flectus.* Vatic. cod. *Surgentia flumina fluctus.* Bonon. I. *Surgentia flammea fluctus.* Bonon. secunda cum Sabellico. Ed.

454. *Attoniti pressere gradum*, leniter incedunt, *vacuumque sequuntur vocis iter*, nil nisi vocem inanem aera transeuntem (sic *vacuus ventus*, I, 421); jam *certa* magis articulata, quam vocant, *sonat; quem non* (omnes) *hominum superumque vocat?* Eo acrius instaut viri, *succurrere certi.*

458. Sic, ubi *taurus acerbo gemitu avia*, campos, *late implet* mugitu, *super alta terga leonem morsu* sibi colla *frangentem ferens* (vid. III, 589), *coit e sparsis mapalibus*, casis Maurorum per agros passim positis, *manus agrestium clamore cæco*, incondito, quo, quid sibi velint, ipsi nesciunt. Simile hoc, quatenus taurum sistit, non displicet; sed si accommodes taurum *mugientem* voci Hesiones *lamentabili*, et agrestium *clamorem*, et *cæcum* quidem, cum actis Herculis compares, tum huic loco non satis aptum invenies.

462. Constitit Hercules, *visuque enisus*, oculorum aciem intendens, *in alta rupe truces manicas*, vincula manus constringentia, *defectaque*, deficientia, pallida, *virginis ora cernit, et ad primos turgentia lumina fluctus*, oculos, qui, ut primum fluctus tolli viderent, ad levissimum aquarum motum, tumerent, lacrimis suffunderentur.

465. Jam vultum Hesiones mœrentis comparat poeta cum statuis et imaginibus, in quibus ebore, vel marmore, vel penicillo, artifices tristitiam expresserint. *Exanimum veluti multa tamen arte coactum*, conglutinatum (vide Heyn. antiquar. *Aufsätze* II, 149), *mœret ebur* (vide *mæstum ebur* Virgilii, Georg. I, 480), *Pariusve lapis*, marmor, *notas*

Quum lapis, aut liquidi referunt miranda colores.
Ductor ait: « Quod, virgo, tibi nomenque genusque?
Quæ mors ista, doce, tendunt cur vincula palmas? »
Illa tremens, tristique oculos dejecta pudore:
« Non ego digna malis, inquit; suprema parentum
Dona vides, ostro scopulos auroque frequentes.
Nos Ili veteris quondam genus, invida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
Principio, morbi, cæloque exacta sereno
Temperies; arsere rogis certantibus agri;
Quum subitus fragor, et fluctus Idæa moventes
Cum stabulis nemora; ecce repens consurgere ponto
Bellua, monstrum ingens: hanc tu nec montibus ullis,
Nec nostro metire mari: primæva furenti

467. *Aut aliquidi*. Vatic. cod. *Aut aliquid*. Bonon. cod. *Aut aliqui*. Bonon. I. Junt. Ald. etc. — 469. *Quæ mors*. Codd. et edd. ante Heins. retinendum, judice Burm. Rest. Harl. *Quæ sors*. — 474. *Fregit*. Sabell. corrigebat. — 477. *Inde moventes*. Bon. cod. *Deinde moventes*. Bonon. I. *Venere moventes*. Bonon. II. Maser. *Idæa*. Pius. Ald. *Idæ*, operarum vitio, Junt. Ed.

tristitiæ et *nomina* ipsarum personarum mœrentium, faciem et lineamenta accurate *sumit*, refert, aut *liquidi referunt miranda colores*, pictor vividis coloribus ad admirationem usque veras sistit res et personas.

468. *Ductor*, Argonauta Hercules propius accedit, quærit ex virgine nomen, genus, cur vincta mortique ita exposita sit. Ad quæ respondet Hesione: *Non ego digna malis*, nam *suprema parentum dona vides*, quæ mihi non dedissent, si quid deliquissem, vides vestes purpureas, auro distinctas, ad tumulum meum honorandum *in scopulis* expositas, suspensas.

473. *Nos Ili veteris quondam genus*; acute monet *Slothouwer* in Actis Soc. Rheno-Traject. Vol. III, p. 171, pleonasmum esse in *veteris quondam*; corrigit igitur: *Ili felix quondam*. *Genus* refero ad Ilum Trojæ conditorem, et felices fuimus, *donec invida Laomedonteos fugeret Fortuna penates*. Sic pie atque modeste, quod patris culpa esset, Fortunæ tribuit. Laomedon enim quum Apollini et Neptuno, quos tamen ipsos Hesione non nominatim calamitatis auctores dicit, pactam pro auxilio in exstruendis Trojæ mœnibus præstito mercedem dare noluisset; Apollo, *cæli temperie*, aere, *corrupta*, pestem regioni immisit tam gravem, ut *certantibus* (exquisite! vix unus in cineres con-

Huic manus, amplexus inter planctusque parentum,
Deditur : hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon,
Virgineam damnare animam, sortitaque Lethen
Corpora; crudelis scopulis me destinat urna.
Verum o jam redeunt Phrygibus si numina, tuque
Ille ades, auguriis promisse et sorte deorum,
Jam cui candentes votivo in gramine pascit
Cornipedes genitor, nostræ stata dona salutis,
Annue, meque, precor, defectaque Pergama monstris
Eripe; namque potes : neque enim tam lata videbam
Pectora, Neptunus muros quum jungeret astris,
Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo ».
Auxerat hæc locus, et facies mœstissima capti
Litoris, et tumuli, cælumque, quod incubat urbi,
Quale laborantis Nemees iter, aut Erymanthi
Vidit, et infectæ miseratus flumina Lernæ.

493. *Hauserat.* Perperam Sabellicus. — 494. *Imminet.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Ed.

sederat, quum alter exstruendus esset) *rogis arderent campi;* Neptunus autem belluam marinam, *monstrum ingens, montibus* majus et quod vix sinus maris nostri capere videretur, excitavit, cui dedendæ essent, jubente sic oraculo Hammonis, puellæ ex sorte, *sortitu Lethen corpora*, quæ sors mihi fatalis exiit; *crudelis scopulis me destinat urna.*

485. Verum, sic pergit Hesione, si jam *Phrygibus*, Trojanis, *numina redeunt*, favent iterum, si tu is es, quem auguria nobis prænuntiarunt adventurum, et quem votivi, a patre pasti, *cornipedes* equi præmia manent, age, me et Trojam nostram *defectam*, puellis orbatam, *eripe; potes enim*, quantum ex robore conjicere licet, egregio amploque corpore, quale nec Neptuni olim, nec Apollinis, quum mœnia ad cælum usque nostra struerent, *jungerent astris*, videre memini. Vid. Virgilii Æn. I, 589 : *os humerosque deo similis.*

493. His virginis precibus Hercules si jungeret totius regionis adspectum, *faciem mœstissimam* capti et infestati a bellua litoris, tumulos honorarios, cenotaphia puellarum, quæ jam antea perierant, *cælumque* grave et pestiferum *urbi incubans*, tum calamitates in memoriam redibant *Nemeæ, Erymanthi, Lernæ infectæ*, venenatæ.

494. *Incubat urbi.* Sic Virg. Æn. I, 93 : *ponto nox incubat atra.* Ed.

Dat procul interea signum Neptunus, et una
Monstriferi mugire sinus, Sigeaque pestis
Agglomerare fretum: cujus stellantia glauca
Lumina nube tremunt, atque ordine curva trisulco
Fulmineus quatit ora fragor; pelagoque remenso
Cauda redit, passosque sinus rapit ardua cervix.
Illam incumbentem per mille volumina pontus
Prosequitur lateri assultans, trepidisque ruentem
Litoribus sua cogit hiems; non fluctibus æquis
Nubiferi venit unda Noti, non Africus alto
Tantus ovat, patriisque manus quum plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
Ecce ducem placitæ furiis crudescere pugnæ,
Surgentemque toris stupet, immanemque paratu

502. *Passusque sinu.* Codd. et vetl. edd. Ed.

497. Jam signo a Neptuno dato, sinus maris mugire incipit; bellua, *Sigea pestis*, ὄλεθρος, pernicies, *agglomerat*, ante se conglobat, *fretum: stellantia lumina tremunt*, vibrantur, *nube glauca*, in capite fluctibus obnubilato, et cœruleo, *fragore fulminans* (eodem sensu, quo de aprorum dentibus usurpatur) *curva*, recurva, uti delphinum capita, *ora quatit ordine trisulco*, triplici dentium ordine; *pelago remenso cauda redit*, longitudine corporis per mare extensus, caudam retrahit, *passosque sinus*, sparsas antea spiras, *rapit ardua cervix*, totam corporis molem subito in breve ad cervicem contrahit. Sic belluæ et magnitudinem et robur et iram augendo ornat poeta.

503. Sic *per mille volumina incumbentem* pontus comitatur altis *assultans* fluctibus, et *trepidis ruentem litoribus sua cogit hiems*, tempestas a bellua excitata ipsam litoribus coarctat, facit, ut nec ipsa ulterius progredi possit: tam dira enim ista tempestas est, ut *nec Notus nubifer*, nec *Africus ovans*, dominans, majorem excitare posset, *nec Orion* (Virgil. Æn. I, 763, *nimbosus*. Ed.) *quum manus patriis* (Neptuni) *habenis plenus*, firma manu eas moderans, *flatu bipedum* in pisces desinentium *equorum mare tollit*, in fluctus erigit.

509. Hercules, adstupente comite Telamone *furiis crudescere pugnæ*, efferatur ad certamen ineundum, *surgitque toris*, lacertos tollit, vibrat; *graves pharetræ pulsant terga*, iis insonant; invocat *patrem Jovem*, *pelagi deos suaque ipsius arma;* sic enim prisci heroes; vide Virg. Æn. XII, 95, et infra III, 707, per arma jurabant; vina adeo iis fundebant. Sil. Ital. VI, 138.

Æacides, pulsentque graves ut terga pharetræ.
Ille, patrem pelagique deos suaque arma precatus,
Insiluit scopulo, motumque e sedibus æquor
Horruit, et celsi spatiosa volumina monstri.
Qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri
Tollitur, et volucres Rhipæa per ardua nubes
Præcipitat, piceo necdum tenet omnia cælo.
Illa simul molem horrificam, scopulosaque terga
Promovet, ingentique umbra subit; intremere Ida,
Illidique ratis, pronæque resurgere turres.
Occupat Alcides arcum, totaque pharetræ
Nube premit; non illa magis, quam sede moveri
Magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.
Jam brevis, et telo volucri non utilis aer.
Tum vero fremitus, vanique insania cœpti,

518. *Illa simul.* Codd. et edd. ante Carr. et reposuit cl. Harles. — 519. *Idem.* Codd. et Bonon. I. — 520. *Rates.* Vat. Bonon. codd. Bonon. I. *Arces.* Nonnulli apud Pium. *Trabes.* Gron. obs. 1, 18. — 522. *Moventi.* Vatic. cod. Bonon. I. *Movetur.* Bonon. cod. Junt. Ald. Ed.

513. *Insilit scopulo* (aliis locis quartum casum jungit verbo insilire Valerius), *horret* ipse mare ex imis sedibus commotum, et *celsum*, celsa cervice sese erigens, *monstrum*, quod, uti *Boreas* (amat Noster ventos) *e convallibus Hebri* montis *se tollens volucres nubes per rhipæos montes præcipiter, nondum tamen omnia cælo tenet*, nondum totum nubibus cælum obduxit, eodem modo bellua *molem horrendam scopulosaque* (melius *scruposa*, conjectante Heinsio) *terga promovet, ingentique umbra* circa se sparsa *subit*, incedit.

519. *Intremere Ida, illidique ratis* (magis tamen placet cel. Beckii emendatio l. l. p. 264, *intremere undæ, illidique vadis*), *pronæque resurgere turres*, quæ lectio, si sana est, alium sensum habere non potest, nisi hunc: tam longe recesserunt undæ, ut turres olim collapsæ, ac demersæ, iterum apparerent, exstarent.

521. Arripit arcum Hercules, *totaque pharetræ nube*, sagittarum copia tanta, ut pharetram evacuet, belluam *premit*, urget, quæ tamen non magis sede movetur, quam *Eryx magnus*, Siciliæ mons, quem *imbres velint*, minentur, in *valles deferre*, dejicere. *Delatum nemus* habuimus, I, 122. *Jam brevis, et telo volucri non utilis aer*, spatium aeris nimis angustum, quam ut vim possint exercere sagittæ. Effert Silius Ital. IX, 321: *amisere ictus spatium*; Flo-

Et tacitus pudor; et rursus pallescere virgo.
Projicit arma manu, scopulos vicinaque saxa
Respicit, et quantum ventis adjuta vetustas
Impulerit pontive fragor, tantum abscidit imi
Concutiens a sede maris. Jamque agmine toto
Pistris adest, miseræque inhiat jam proxima prædæ.
Stat mediis elatus aquis, recipitque ruentem
Alcides, saxoque prior surgentia colla
Obruit; hinc vastos nodosi roboris ictus
Congeminat: fluctus defertur bellua in imos,
Jam totis resoluta vadis; Idæaque mater,
Et chorus, et summis ularunt collibus amnes.
Protinus e scopulis, et opaca valle resurgunt
Pastores, magnisque petunt clamoribus urbem.

531. Hic versus abest a Bon. cod. — 535. *Bellua* deest in cod. Vat. *Fluctus præceps defertur in imos.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. Ed.

rus, IV, 9: *absumpto jactus spatio.*

525. *Fremit* ob irritum cœptum, *tacitoque pudore* tangitur Hercules; denuo tremit, pallescit Hesione. Aliam igitur viam heros ingreditur, projicit arma, *proxima saxa respicit*, lustrat, et *quantum ventis adjuta vetustas*, temporis diuturnitas accedentibus tempestatibus, *pontive fragor*, fluctus maris, *impulerit*, labefactaverit, *tantum ab imi maris sede concutiens abscidit*, vi abrumpit saxorum.

529. Jamque *agmine toto* voluminum suorum *adest pistris* (proprie maximum maris indici animal, teste Plinio, Hist. nat. II, 4: deinde de quavis bellua marina, v. c. de Scylla Virg. Æn. III, 427, usurpatur) *miseræque inhiat jam proxima prædæ.*

532. *Stat mediis elatus* in rupe *aquis*, excipitque irruentem Herculem, saxo occupat *prior, et obruit surgentia colla*, hinc repetitis nodosæ quercus ictibus belluam detrudit in imum mare, ut *resoluta* mortua totum æquor occupet, *Idæaque mater* Cybele, et *chorus*, thiasi, et *summis collibus amnes*, fontes, Nymphæ *ulularent* præ gaudio. Nam *ululare*, ut Græci ὀλολύζειν, etiam de læto sonitu Latini sæpe adhibent. Unum locum addere liceat Catulli Carm. LXIII, 28, ubi itidem de Cybele sermo est, *Thiasus repente linguis trepidantibus ululat.*

538. Protinus accurrunt ex una parte pastores, *magnisque petunt clamoribus urbem*, ex altera Telamon Argonautas ad hoc tale spectaculum advocat, qui horrescunt, et *subito vident in sanguine puppim*, totum circa navem æquor cruentatum.

Nuntius hinc socios Telamon vocat, ac simul ipsi
Horrescunt, subitoque vident in sanguine puppim.
Nec minus in scopulos, crudique cacumina saxi
Emicat Alcides, vinclisque tenentibus aufert
Virgineas de rupe manus, aptatque superbis
Arma humeris; regem inde petens, superabat ovante
Litora tuta gradu: qualis per pascua victor
Ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis,
Taurus, ubi assueti pecoris stabula alta revisit,
Et patrium nemus, et bello quos ultus amores.
  Obvia cui contra, longis emissa tenebris,
Turba Phrygum, parvumque trahens cum conjuge natum
Laomedon, jam mœstus equos, jam debita posci
Dona gemit; pars aerii fastigia muri
Cingit, et ignotis juvenem mirantur in armis.
Illum torva tuens, atque acri lubricus astu

547. *Armis.* Codd. et vett. edd. *Armos.* Heins. *Quum colla tumens, tum celsior artus.* Carr. cod. et ed. II; in *Quum...tum* manifesto deprehenditur grammatici cujusdam emendatio seu potius corruptio. En.

542. Victor in *crudum*, asperum, *saxi cacumen emicat*, exsultans properat, manusque virginis liberat vinculis, *aptat superba* (superbus) *arma*, pharetram et arcum, antea v. 527 projecta, et *ovante gradu litora tuta* nunc a bellua *superat*, transit, regem aditurus, non aliter, ac *per pascua incedit taurus, collo et armis*, pectore, *erectior*, quum ad *stabula alta revisit*, et ad *amores, quos ultus est bello*, ad boves juvencas amatas, ab insultibus aliorum amatorum liberatas. Vide Virgil. Georg. III, 226 et seqq.

550. Obviam ei procedit *longis emissa tenebris*, quam metus excitatæ a pistri tempestatis intra mœnia diu continuerat, liberata *turba Phrygum*, ipseque rex cum conjuge natum *trahens* puerulum, nondum satis firmo gradu incedentem *Laomedon*, mœstus tamen gemensque, quod equi jam promissa præmia tradendi sint. Alia pars incolarum *aerii*, altissimi muri (vid. v. 491), fastigia *cingit*, undique obsidet, *et ignotis juvenem mirantur in armis*, arma tam insolita ferentem.

555. Rex Herculem *torva tuens* (vid. I, 38; Aristophanes, γοργὸν, ταυρικὸν βλέπων), atque *acri lubricus astu*, fallaciam perniciemque meditans *subit*, dolose aggreditur, et *patrio male lætus amore*, lætitiam quidem præ se ferens ob filiam ser-

Rex subit, et patrio fatur male lætus amore:
« Maxime Grajugenum, quem non Sigea petentem
Litora, nec nostræ miserantem funera Trojæ
Appulit his Fors ipsa locis, si vera parentem
Fama Jovem, summique tibi genus esse Tonantis,
Noster ades, junctusque veni: sator unus, et idem
Stirpis honos, quanquam longis disjungimur oris.
Quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum
Serus ades! quam parva tuis jam gloria factis!
Verum, age, nunc socios fraternis mœnibus infer,
Ut tibi, servata statui quæ munera prole,
Crastina lux bijuges stabulis ostendat apertis. »
  Dixerat hæc; tacitusque dolos, dirumque volutat
Corde nefas, clausum ut thalamis somnoque gravatum
Immolet, ereptaque luat responsa pharetra:

561. *Junctisque venis.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. Junt. *Junctisque veni.* Bonon. II. *Junctusque venis.* Ald. — 566. Abest hic versus a Vatic. cod. ac proinde spurius censendus; nec illo indiget sensus, legendo v. seq. *ostendet*. Ed.

vatam, sed simulatam eam et diminutam, quod una filia duos equos cariores habebat.

557. Tum vero sic affatur: Tuum iter ad *Sigeum* promontorium nostrum, si verum fateri velis, non directum, nec huc venisti miseratione ductus pestis inter nos grassatæ, sed *Forte* Fortuna huc delatus. Quod si tamen, *uti fama fert*, Jovis filius es, gratus nobis acceptusque venisti, cognatus quippe; *sator unus* est (unum idemque caput gentis habemus), *et idem stirpis honos;* serus quidem ades *post tot lacrimas meas, post tot piacula patrum* (matrum?), *post* tot belluæ traditas filias, sed ades tamen.

564. *Quam parva tuis jam gloria factis!* Interpretes ita accipiunt, ut detrahere Laomedontem Herculis bene facto voluisse dicant, quod mihi secus videtur. Incivilis et rustica fuisset oratio, quam dolosam supra promiserat poeta, nec talem inhumanitatem Hercules facile irritabilis æquo animo tulisset. Ego vero laudem aliquam iuesse verbis existimo: quod nunc edidisti factum nihil quidem est ad egregie antea res gestas, quod tamen gratissimo animo agnosco, ideoque te tuosque socios hodie ad epulas invito, cras vero equos tibi debitos tradi jubebo. Sic dolosa omnia manent et lubrica.

568. Ita dixerat ad speciem quidem lætus et humaniter, sed dirum nefas volvebat animo, somno gravatum hospitem trucidaturus, *ut*

Namque bis Herculeis deberi Pergama telis
Audierat. Priami sed quis jam vertere regni
Fata queat ? manet immotis nox Dorica lustris,
Et genus Æneadum, et Trojæ melioris honores.
« Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, ostia ponti
Raptat iter; mox huc vestras revehemur ad oras,
Donaque dicta feram ». Tum vero plura vocatis
Annuit ille deis; promissa infida tyranni
Jam Phryges, et miseræ flebant discrimina Trojæ.
Panditur hinc totis in noctem carbasus alis,
Litoraque et veteris tumulos prælabitur Ili,
Dardaniumque patrem; vigili simul omnia ludo
Festa vident; hinc unda, sacris hinc ignibus Ide
Vibrat, et horrisonæ respondent Gargara buxo.

573. *Turica*. Vat. cod. pro *Dorica* solennes errores præsertim in hoc codice et certe *Dorica* habent Bonon. cod. Bonon. I. male *Durica*. Bonon. II. *Duria*. Junt. Ald. Politianum sequutæ. — 578. *Dies*. Vatic. Bonon. Carr. codd. solenni permutatione. Ed.

erepta luat responsa pharetra, ut dominus sagittarum irrita faceret oraculi effata; *namque bis Herculeis deberi Pergama telis* prædixerant; et primum quidem ab ipso Hercule, perfidiam Laomedontis ulciscente, quo tempore Hesionem captam Telamoni uxorem dedit, deinde a Græcis post Helenam raptam, quod tamen non nisi accito Philoctete fieri potuit, cui Hercules moribundus sagittas tradiderat.

572. *Priami*, Laomedontis filii, *sed quis jam vertere*, avertere, *fata queat ? manet immotis nox Dorica lustris*, nox illa, qua Græci Trojam expugnabunt, manet fixa, tempore a fatis constituto ingruet, *et genus Æneadum, et Trojæ melioris honores*, suo tempore felicior, longeque gloriosior Troja exsistet ex Ænea ejusque nepotibus, Roma.

575. Hercules se sociosque excusat, quod epulis adesse non possint, *ad ostia ponti Scythici* properantes; in reditu tamen se iterum appulsurum, et *equos donatos* accepturum promittit. *Tum vero plura vocatis annuit ille deis*, Laomedon nempe, non equos tantum, sed plura etiam daturum deos obstestans pollicetur; sed Phryges, perfidiam regis non ignorantes, quantam Trojæ cladem ea illatura sit, ominantur.

580. *Panditur hinc totis in noctem carbasus alis*, vela secundis ventis impelluntur; *litora* et *tumulum Ili* et *Dardanium patrem*, busta conditorum Trojæ, *vigili simul omnia ludo*

Inde ubi jam medii tenuere silentia ponti,
Stridentesque juvant auræ, Phryxea subibant
Æquora, et angustas quondam sine nomine fauces.
Ecce autem prima volucrem sub luce dehiscens
Terruit unda ratem, vittataque constitit Helle,
Jam Panopes Thetidisque soror, jamque aurea læva
Sceptra tenens; tum sternit aquas, proceresque ducemque
Aspicit, et placidis compellat Iasona dictis:
« Te quoque ab Hæmoniis ignota per æquora terris
Regna infesta domus, fatisque simillima nostris
Fata ferunt; iterum Æolios Fortuna penates
Spargit, et infelix Scythicum gens quæritis amnem.
Vasta super tellus, longum, ne defice cœptis,
Æquor, et ipse procul, verum dabit ostia, Phasis.
Hic nemus arcanum, geminæque virentibus aræ

587. *Numine.* Carr. cod. Gryp. — 595. *Nepotes.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Ed.

festa vident, pervigilia hilariter agentium ob belluam occisam; *hinc unda*, litora, *hinc sacris ignibus* in Cybeles honorem *Ida vibrat* (vid. VIII, 306, *vibrata flammis æquora*), *et horrisonæ respondent Gargara*, Idæ pars, *buxo*, resonant ad tibiarum et tympanorum strepitum.

585. Inde in altius mare progressi, *Phryxea subibant æquora*, appropinquabant, et *angustas fauces quondam sine nomine*, nunc Hellespontum.

588. Primo statim diluculo *dehiscentes subito undas* conspiciunt, et *vittata* adstat *Helle*, jam nempe *Panopes* nymphæ, I, 134, *Thetidisque soror*, dea marina, *aureum sceptrum læva* (hac enim, non dextra, sceptrum gestare solebant prisci reges) *tenens*.

591. Tum *sternit aquas*, silentio fluctibus imposito, Argonautas, Jasonem in primis placidis compellat verbis: Te quoque ab *Hæmoniis terris*, Thessalia, *per æquora ignota regna infesta domus*, rex familiæ nostræ infestus, eademque, quæ me, fata agunt; *iterum Æolios Fortuna penates spargit*, nos, qui ad æolum genus referimus, denuo in peregrinas terras projicit.

597. Magnum tibi quidem longumque æquor, *ne defice cœptis*, noli tamen animum despondere, *superandum*, et ipse Phasis tibi procul est; *verum dabit*, aperiet, *ostia*. Quem Phasin si attigeris, *nemus arcanum*, lucum manibus Phryxi consecratum (vid. Hor. Od. III, 4, 7), *geminasque virentibus tumulis*, arboribus circumdatas, *aras* invenies.

Stant tumulis; celeres hic prima piacula Phryxo
Ferte manu, cinerique, precor, mea reddite dicta:
« Non ego per Stygiæ, quod rere, silentia ripæ,
Frater, agor; frustra vacui scrutaris Averni,
Care, vias; neque enim scopulis me et fluctibus actam
Frangit hiems; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoe Glaucusque manu; pater ipse profundi
Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo
Regna, nec Inois noster sinus invidet undis. »
Dixerat, et mœstos tranquilla sub æquora vultus
Cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
Tum pelago vina invergens dux talibus infit:
« Undarum decus et gentis, Cretheia virgo,
Pande viam, cursuque tuos age, diva, secundo. »
Immittitque ratem, mediasque intervolat urbes,
Qua brevibus furit æstus aquis, Asiamque prementem
Effugit abruptis Europa immanior oris.

600. *Tumulis hic prima pia solennia Phryxo*. Vatic. Bonon. codd. *Tumul. hic p. pio sol. P.* Bonon. I et II. Junt. Ald. etc. Ed.

600. *Hic celeres*, ante omnia, *prima piacula*, inferias Phryxo ferte, *cinerique*, manibus ejus, meo nomine dicite: Non ego, quod fortasse putas, apud inferos sum, *frustraque vani*, inanis, ab umbris inhabitati, *Averni vias scruteris*, neque enim *scopulis et fluctibus actam me frangit* (melius *fregit* tum, quum ariete excidissem) *hiems*; imo *Cymothoe*, nereis, *et Glaucus* cadenti subjecere manus; *pater ipse*, Neptunus, *dedit has sedes, hæc regna, æquo numine*, propitia voluntate, et *sinus noster* ita amœnus est, ut, quod *Inois* (oblique ferit novercam) *undis invideat*, non habeat.—*Non invidet*, præstantia non cedit. Ed.

609. His dictis sub undas redit, mœsta tamen, ut *patrii rediere dolores*, patriæ desiderium animum tetigit. — *Patrii dolores*, idem quod, domestici: *patria* enim domus Hellæ fuit infausta, ob asperitatem novercæ. Ed.

611. Jason in honorem deæ marinæ vinum invergit mari, ejusque se commendat numini. Tum iter prosequitur per *angustissimam freti* Hellesponti *partem*, *qua brevioribus furit æstus aquis*, *ubi Asiam prementem*, proximam, *effugit abruptis Europa immanibus oris*, ob abrupta promontoria non tam jucunda adspectu, quam Asia, uti explicat Burmannus.

Has etiam terras, consertaque gentibus arva
Sic, pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
Cuspis, et adversi longus labor abscidit ævi,
Ut Siculum Libycumque latus: stupuitque fragorem
Taurus, et occiduis regnator montibus Atlas.
Jam juga Percotes, Pariumque infame fragosis
Exsuperant Pityamque vadis, transmissaque puppi
Lampsacus, Ogygii quam nec trieterica Bacchi
Sacra, neque arcanis phrygius furor invehit antris,
Sed suus in Venerem raptat deus; illius aras
Urbe super, celsique vident velamina templi.

620. *Fragore*. Codd. et vett. edd. — 621. *Janus*. Codd. et edd. omnes. Primus h. l. sollicitans Is. Voss.! *Indus* conj. *Canus* Heins. *Hæmus* Bentleius. Alia facile esset excogitare, vulgatam reponere forsan tutius. Ed.

617. *Has etiam terras*, *consertaque gentibus arva*, ab iisdem olim gentibus habitata, *pelago pulsante*, maris impetu, *neptunia quondam cuspis*, terræ motus a Neptuni σεισίχθονος tridente excitatus, *et adversi longus labor ævi*, postquam per plura sæcula viam rumpere mare hostiliter laborasset, *ita abscidit, ut Siculum Libycumque latus*.

620. *Stupuitque fragorem Taurus et* (in) *occiduis regnator*, altitudine reliquos præcellens, *montibus Atlas*. *Taurum* reposui ex felicissima Withofii emendatione, olim ad Guentherum Ligurinum, p. 57, proposita, et seni adhuc probata in *krit. Anmerkungen*, *St.* V, p. 28. Antiquiores editiones habent *Janus*, pro quo Vossius maluit *Indus*. Heinsius ex conjectura dederat *Canus*, quod et Burmannus in textum recepit, ita tamen, ut difficultatem aliquam fateretur remanere. Propius a vero abfuit Bentleius ad Horat. Epp. I, 3, 4, qui *Ætnum* maluit: recte in eo, quod *montem* excogitaverit, qui opponeretur Atlanti, sed in deligendo isto monte acutius vidisse videtur Withofius, qui substituit *Taurum*. Et primo quidem duos montes in mente poetam habuisse probat ex copula *et;* deinde *occiduis* montibus tacite involvi monet *orientales* regiones, quibus alter mons attribuendus sit, talemque Taurum esse.

622. *Jam juga Percotes*, rectius *Percopes* (vid. Brunk. ad Apollon. p. 42), urbis Troadis, *Pariumque infame fragosis undis*, brevibus, scopulis cæcis et asperis famosum, *Pityamque* (Valerius eam discernit a Lampsaco, cujus antiquius nomen Pityam fuisse alii perhibent), *et Lampsacum*, *quam nec trieterica* (vid. supra 259) *sacra* (orgia) *Bacchi Ogygii* (quod epitheton de quibuscumque rebus et personis antiquissimis adhibetur), *neque arcanis phrygius furor invehit antris*, quæ

Rarior hinc tellus, atque ingens undique cælum
Rursus, et incipiens alium prospectus in orbem.
  Terra sinu medio Pontum jacet inter et Hellen,
Ceu fundo prolata maris; namque improba cæcis
Intulit arva vadis, longoque sub æquora dorso
Litus agit: tenet hinc veterem confinibus oris
Pars Phrygiam, pars discreti juga pinea montis.
Nec procul ad tenuis surgit confinia ponti
Urbs placidis demissa jugis; rex divitis agri
Cyzicus; Hæmoniæ qui tum nova signa carinæ
Ut videt, ipse ultro primas procurrit ad undas,
Miraturque viros dextramque amplexus, et hærens,
Incipit: « O terris nunc primum cognita nostris
Æmathiæ manus, et fama mihi major imago.

632. *Sub.* Abest a Vatic. cod. *Longo super.* Bonon. cod. *Longoque sub æquore.* Bonon. I et II. — 639. *Dextram.* Vatic. cod. Junt. Ald. etc. Ed.

nec uti thyades in Bacchi honorem, nec uti corybantes, matris deorum numine pleni, choris, cantuque et tympanis ad furorem usque lætatur, sed *n deo suo*, Priapo, in Venerem rapitur, cujus *aras* in monte urbi imminente, et *velamina templi*, vexilla fortasse e fastigio templi volitantia, vident. De Priapo v. omnino Voss. *Mythol. Briefe*, II, 295.

628. *Rarior hinc tellus*, terra continens, mare fit latius, et *ingens undique cælum*. Medio inter Pontum Euxinum et Hellespontum sinu *terra jacet, ceu fundo prolata maris*, quæ ex ipso mari enata esse videtur, peninsula; *nnmque improba arva cæcis intulit vadis*, magno latoque terræ continentis spatio scopnlos occupavit, eademque amplitudine longum dorsum agit sub æquore.

633. Hæc insula terræ continenti juncta est duobus pontibus (vid. Strabonem, XII, 575, et Berkelium ad Steph. Byzant. v. Κύζικος), *quorum alter tenet*, nectit, *confines oras Phrygiæ, alter ad juga pinea montis* Idæ *ducit.*

636. In cervice quasi hujus peninsulæ sita est *urbs placidis demissa jugis*, leniter declivis, Cyzicus. Ejusdem nominis rex, ut primum *nova signa carinæ*, navem solito majorem, eminus vidisset, ultro ad litus properat, viros miratur, in urbem invitat.

640. Vos, inquit, primi estis Thessali, *Æmathia manus*, in has oras venientes, *et fama mihi major imago*, famam vos et exspectationem meam adeo superatis. Lætor, quod mea insula non jam *semota*, et *populis lucis eoæ*, gentibus ad Orientem

Non tamen hæc adeo semota, neque ardua tellus,
Longaque jam populis impervia lucis eoæ,
Quum tales intrasse duces, tot robora cerno.
Nam licet hinc sævas tellus alat horrida gentes,
Meque fremens tumido circumfluat ore Propontis;
Vestra fides, ritusque pares, et mitia cultu
His etiam mihi corda locis; procul effera virtus
Bebrycis, et scythici procul inclementia sacri. »
Sic memorat, lætosque rapit, simul hospita pandi
Tecta jubet, templisque sacros largitur honores.
Stant gemmis auroque tori, mensæque paratu
Regifico, centumque pares primæva ministri
Corpora; pars epulas manibus, pars aurea gestant
Pocula, bellorum casus expressa recentum.
Atque ea prima duci porgens carchesia Graio
Cyzicus : « Hic portus, inquit, mihi territat hostis;

645. *Hic*. Ald. Ed.

habitantibus, *non impervia* fit, quum *tales duces*, *tot robora*, tot egregios fortesque viros conspicere liceat. — Vide ad calcem hujus libri not. 642. Ed.

645. Nam etsi inclementia cæli vim habeat ad hujus plagæ gentium animos, meque Propontis circumfluat, *fidem* tamen *vestram*, similem vestræ fidei, *et ritus pares*, *et corda mitia cultu*, cultura, apud nos invenietis. Noli timere, *procul a me est effera virtus Bebrycis* (Bebrycum, gentis Cyzico vicinæ, de quibus infra, lib. IV, pluribus dicetur), *procul scythici inclementia sacri*, ubi peregrini Dianæ immolantur.

650. Tum lætos rapit secum in urbem, omnes palatii valvas iu hospitum honorem jubet pandi, sacra etiam facit diis *in templis*, in quo tamen Valerium Heynius existimat (ad Virgil. Æn. I, 632) veterum morem deseruisse, qui *in domo*, ad hospitum adventum, victimam ceciderint, et ex ea epulo sacro hospites exceperint. Vid. ipsum Nostrum supra, 347 et seqq.

652. *Stant gemmis auroque tori*, lecti, vestes stragulæ, *mensæ regifico*, regio, *apparatu*, *centum pares ministri*, *primæva corpora*, ejusdem staturæ omnes, et in flore ætatis constituti; *pars gestat epulas*, fercula, *pars pocula bellorum casus expressa*, in quibus expressi essent; vid. ad I, 398.

656. Hæc pocula *prima*, ante omnia, præ cæteris, ostendit Jasoni Cyzicus, digito monstrans, quid iu

Has acies sub nocte refert; hæc versa Pelasgum
Terga vides; meus hic, ratibus qui pascitur, ignis.»
Subjicit Æsonides : « Utinam nunc ira Pelasgos
Efferet, et solitis tentent concurrere furtis,
Cunctaque se ratibus fundat manus : arma videbis
Hospita, nec post hanc ultra tibi prælia noctem.»
Sic ait; hasque inter variis nox plurima dictis
Rapta vices, nec non simili lux postera tractu.

661. *Afferat.* Codd. et vett. edd. *Efferat.* Carr. Ed.

quoque expressum esset : *Hic portus*, hostibus terribilis; *hic acies* instructas, *hic Pelasgos* in fugam conjectos vides; *hic meus ignis*, ego ignem intuli, *qui ratibus pascitur*, hostium naves absumit.

660. Ad hæc Jason : *Utinam ira nunc Pelasgos efferet* (pro quo Oudendorp. ad Sueton. p. 534, malit *efferat*. Nil opus, puto), utinam nunc accederent, et, quod solent, furtim, navibus omnibus coactis, aggrederentur; profecto videres, quid hospitum arma valeant, nec posthac ultra hanc noctem hostes tibi essent timendi.

664. His aliisque ejusmodi sermonibus mutuis *plurima noctis* pars *rapta*, opinione citius transacta, *nec non simili lux postea tractu*, iisdem confabulationibus posterum diem læti fefellerunt.

IN LIBRUM SECUNDUM
ARGONAUTICON
NOTÆ
NOVI EDITORIS.

V. 12. *Flumineo cujus redeuntia vento Vela legunt.* — Venti qui aut ex fluminibus, aut ex convallibus, aut ex aliquo sinu feruntur, arcent a litore. *Flumineus* ille, de quo Valerius, erat præterea viæ Argonautarum e directo adversus, quod ita esse declarat τὸ *redeuntia vela*. Hoc igitur reflatu coacti *vela legunt* Argonautæ, et remorum ope fluminis ostium prætervehuntur. Jucunda sunt et hæc, quamvis tenuia, quæ, ducta ex ipsa rei natura, in narrationem velut sponte incidunt.

V. 13. *Inde salutant Eurymenas.*—Stephanus Byzantinus, aliique auctores de *Eurymenis*, urbe Thessaliæ, mentionem faciunt, eadem, ut videtur, ac *Erymnis* Straboni et Plinio memoratis. Brunckius in editione Apollonii, Scholiasten (lib. I, v. 597) sequutus, hoc urbis nomen epitheti loco habuit.

V. 29. *Sicanium dedit usque fretum.* — Burmannus merito notat *dare* aliquem *in terram*, *in mare*, et similia, pro *projicere* vi et impetu, passim occurrere; sed *dare usque fretum* an eleganter dicatur, dubitat. Credo *usque* accipiendum esse adverbialiter hoc loco, ac subaudiendum esse *in* vel *ad*.

V. 30. *Trux ille ejectat adesi Fundamenta jugi.* — Pro *ejectat* Sabellicus censebat legendum *eructat*, sicut in hoc Virgilii loco, Æn. III, v. 575:

> Interdum scopulos avulsaque viscera montis
> Erigit *eructans*.

Sed *ejectat* reperitur et in Ovidio, Metam. V. 352:

> .... resupinus arenas
> *Ejectat*, flammamque fero vomit ore Typhœus.

V. 57.............. *certusque ad talia Titan*
Integer in fluctus, et in uno decidit Euro.

In uno decidit auro, quod et nos malumus, significat orbem solis aureum,

II.

sive rutilum jubar, integro colore occidisse, nullisque variatum maculis quæ pluvias aut ventos prænuntiant, ut docet Virg. Georg. I, 451 :

> .... nam sæpe videmus
> Ipsius in vultu varios errare colores:
> Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
> Sin maculæ, etc.

Et infra, v. 458 :

> At si, quum referetque diem, condetque relatum,
> Lucidus orbis erit; frustra terrebere nimbis.

Vides eadem in utroque auctore prognostica, similemque in signis fiduciam, quum ille, v. 463, *solem falsum* esse posse neget, hic, v. 57, *Titana certum* esse affirmet.

V. 72. *Jamque sub eoæ dubios Atlantidis ignes.* — Auctor hic designat Pleiadum heliacum ortum, quo tempore solebant Veteres primam navigationem inire. Pleiades autem oriebantur, secundum Plinium, lib. XVIII, cap. 25, sexto iduum maii.

V. 85. *Junonem volueri primam suspendit Olympo.* — Homerus Jovem fingit in Junonem sæviisse, quod illa Herculem insectatione dira exerceret. Vide verba Jovis ad Junonem, Il. XV, 18-30. Quam pœnæ causam aspernatus, graviorem excogitavit Valerius.

V. 102. *Neque enim alma videri Jam tumet.* — Epithetum *alma* duas significationes habet, secundum hunc Festi locum : *alma, sancta sive pulchra, vel alens ab alendo scilicet.* Prior sensus apte cadit in Venerem, in Cererem posterior. Vide Vossii Etymologicum ad vocabulum *alma.*

V. 107. *Jamque dies aderat Thracas qui fuderat armis.*
Dux Lemni, etc.

Hic locus mihi videtur sic interpungendus :

> Jamque dies aderat. Thracas qui fuderat armis
> Dux Lemni, etc.

V. 108.......... *puppes tenui contexere canna*
Ausus, et indueto cratem defendere tergo.

Illæ naviculæ similes erant iis quas Ægyptii construere solebant, e canna quæ vocatur *papyrus.* Vox *crates*, ducta est ex earum structura. Sæpe conficiebantur e vimine aut salice. Lucan. Pharsal. IV, v. 131 :

> Primum cana salix madefacto vimine parvam
> Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco,
> Vectoris patiens, tumidum superenatat amnem.

V. 122. *Et motis quatit oppida linguis.* — Istud quidem mihi videtur ingeniose cogitatum, quin immo præstantius hoc Virgiliano, Æn. IV, v. 187, *et magnas territat urbes*, præsertim quum paulo supra, v. 173, occurrat hoc hemistichium, *magnas it Fama per urbes*, haud satis dissimile.

V. 124........ *Videt illa prior ; jamque advolat ultro*
Impatiens ; jamque ora parat ; jam suscitat aures.

Quid expressius pictum, ac naturæ propius hac effigie Famæ, ad rumores hiantis : quam vides præcipiti volatu jam adesse, jam aures arrigere, jam os aperire, ut audita divulget.

V. 128. *Præcurrere qualis Bella soles.* —Videtur hic locus Statio in promptu fuisse, quum fingeret Famam ante currum Martis volantem, Theb. III, 425 :

.... at vigil omni
Fama sono varios rerum succincta tumultus
Antevolat currum.

V. 137..... *exesam curis, castumque cubile*
Servantem.

Singula hæc adjuncta et artis et verisimilitudinis laude commendantur : quo magis anxia est Eurynome, quo impatientius absentem virum desiderat, eo facilior est ac propior admittendæ suspicioni pellicatus, ac subinde opinioni. Quod propositum assequitur Fama oratione callidissima, et ad incendendum Eurynomes animum mire accommodata.

V. 147. *Jamque aderunt, thalamisque tuis Threissa propinquat.* — Quam vehementer percelli debet Eurynome, quum audit pellicem jam jam adventare ! quantum valet quod sequitur ad irritandam muliebrem superbiam ! Quid plura ? ipse satis per se legentis admirationi se commendat egregius ille locus.

V. 150. *Picta manus, ustoque placet sed barbara mento.* — Mos erat barbaris gentibus corpus sibi pingendi. Virgilius Gelonos et Agathyrsos *pictos* vocat, Georg. II, 115 :

Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos;

Æn. IV, 146 :

Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

Item corpus inurebant schematibus ac stigmatibus (vid. Salmas. Exerc. Plin. in Solin. p. 28), quod designat Valerius voce *usto* : quæ consuetudo Thraciis maxime mulieribus erat usitata. Vide Herodot. lib. V, cap. 6.

V. 151. *Attamen hos tales forsan solabere casus*
Tu thalamis.

Heinsio videtur scribendum :

Attamen hos *aliis* forsan solabere casus
Tu thalamis.

Non improbanda est emendatio : nam *tales* redundat, sensusque postulat *aliis.*

V. 153. *Me tua matris egens, damnataque pellice proles*
Exanimat.

Quam perfida est hæc miserationis simulatio, aptaque ad maternam pietatem æstu fanatico instinguendam!

V. 158. *Sed me quoque pulsam Fama viro.* — Ille locus me admonuit hujus Virgilii versus, Æn. III, 317 :

> Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto
> Excipit?

Quem gallica interpretatione egregie expressit Jacobus *Delille ;*

> Mais vous, de ce haut rang de l'épouse d'Hector,
> A quelle humble fortune êtes-vous descendue?

Nec minus feliciter, quia brevius, alter Virgilii interpres, *Gaston ;*

> Qui vous a fait déchoir d'un si grand hyménée?

V. 185. *Præcipites excussit ab ubere natos.* — Quid vehementius hoc matris gestu infantes ab ubere extorquentis? Quid in vulgum potentius, ut animi rei atrocitate perculsi, fanatica pietate efferantur? Nec immerito auctor adjicit, v. 186 :

> Ilicet arrectæ mentes, evictaque matrum
> Corda sacer Veneris gemitus rapit.

Matris vox, humanitus quidem clamantis, omnium matrum corda personuisset; quid non deæ clamor, *sacer Veneris gemitus ?* Non poterat fingi probabilior causa, cur Lemniarum mentem furor tam dirus alienaret; non verisimilius effici facinus, tam absonum fidei.

V. 192..... *Inferni qualis sub nocte barathri*
> *Accubat attonitum Phlegyan et Thesea juxta*
> *Tisiphone, sævasque dapes et pocula libat*
> *(Tormenti genus), et nigris amplectitur hydris.*

Auctor usus est comparatione terribili, et rei narratæ congruenti, juvante Virgilio, Æn. VI, 603 :

> Lucent genialibus altis
> Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
> Regifico luxu : furiarum maxima juxta
> Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
> Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.

Aliquo discrimine differt supplicium quod Valerius describit. Statius Nostrum imitatus est, Theb. I, 712 :

> Torva Megæra
> Jejunum Phlegyan subter cava saxa jacentem
> Æterno premit accubitu, dapibusque profanis
> Instimulat : sed mista famem fastidia vincunt.

Phlegyas, Martis filius, Apollinis templum incendit, quod Apollo ejus filiam Coronidem compresserat, ex qua genuit Æsculapium. Vide Servium ad Virgilium, Æn. VI, 618.

V. 199. *Tonitru pater auget honoro.* — Vox *honoro* videtur in imitationem fulminei soni adhibita.

V. 200. *Inde novam pavidas vocem furibunda per aures*
Congeminat, qua primus Athos, et pontus, et ingens
Thraca palus, pariterque toris exhorruit omnis
Mater, et adstricta riguerunt ubere nati.

Cf. Virgilium, semper et ubique poetarum Principem, Æn. VII, 514 :

Tartaream intendit vocem; qua protinus omne
Contremuit nemus, et silvæ intonuere profundæ.
Audiit et Triviæ longe lacus; audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini;
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.

Hoc loco Virgilius, quem imitatus est Valerius, Apollonium, IV, 136, et ipse imitatus est :

Δείματι δ' ἐξέγροντο λεχωΐδες· ἀμφὶ δὲ παισὶ
Νηπιάχοις, οἵ τέ σφιν ὑπ' ἀγκαλίδεσσιν ἴαυον,
Ῥοίζῳ παλλομένοις χεῖρας βάλον ἀσχαλόωσαι.

V. 207 .... *ut prima vocatu*
Insonuit, signumque dedit Mavortia conjux.

Venus hic dicitur *Mavortia conjux*, ut causa sit, cur totum istud Martis satellitium ejus imperio pareat.

Hoc episodium legenti ultro recurrit Danaidum simile facinus, poetis sæpe memoratum. Tò Valerianum plus ducentis versibus continetur, quod, quamvis fabulæ progressum moretur, præstantissimis tamen ingenii virtutibus eminere fatendum est : nemo non horrescat legendo. Statius quoque (Theb. V) Lemniacam stragem descripsit, sed effectu sequiore; uimirum, opinor, eo quod Valerius impensiori cura pingit inveteratam Veneris iram, et machinationes quas dea struit, ut Lemnias zelotypia incensas ad furorem adigat; dum Statius contra quasdam circa picturas immoratur aversationi propiores quam terrori, neque vero Hypsipyles in ore satis verecundas.

V. 287. *Et canis urebat luna pruinis.* — Vide commentarium DD. *Calmet* de hoc loco psalmi CXX : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.*

V. 313. .... *non illis obvia tela*
Ferre, nec infestos deerat furor improbus ignes.

Statius, Theb. V, 316, fingit Lemnias revera propugnasse, ut Argonautas procella sæviente jactatos a litore arcerent, depingitque Thessalos heroas una cum ventis et fluctibus, una cum Lemniarum vi luctantes.

V. 317 .... *te, maxima Tethys,*
Proteaque ambiguum Phariis referebat ab antris
Huc rexisse vias.

Vaticanus codex habet :

Sed maxima cætæ
Proteaque ambiguum Phariis e... ab antris
Huc rexisse vias.

Ego hanc lectionem propono Vaticano codici prorsus congruentem, uno tantum vocabulo in explendam lacunam addito :

Sed maxima *cete*
Proteaque ambiguum Phariis *est rumor* ab antris
Huc rexisse vias.

Cœtæ in codice scriptum est pro *cete*, ut passim occurrit *æ* pro *e*; pro *Phariis e* legendum est *Phariis est*, quum *e* in mss. soleat scribi per compendium pro *est*; deinde unum vocabulum deest, fortasse *rumor*, quod videntur postulare sensus et mensura. Sunt autem *maxima cete* immanes pisces, monstra marina, solita Proteum comitari ludibunda. Virgil. Georg. IV, 429 :

Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat; eum vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispersit amarum.

Virgilius adhibet vocem *cete* in describendo Neptuni comitatu, Æn. V, 822 :

Tum variæ comitum facies : immania *cete*,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.

Protei currum subeunt, apud Valerium, phocæ; apud Virgilium, equi marini, Georg. IV, 387 :

Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

— *Phariis ab antris.* Proteus solebat, secundum Homerum, Odyss. IV, 384, se recipere in litus insulæ Phari. Valerius fingit Protea circa Lemnum cum solito comitatu venisse, quemadmodum apud Virgilium, l. l. Emathiæ portus, et peninsulam Pallenen invisebat.

V. 327 ... *nec turba nocens, scelerisque recentis*
Signa movent; tollitque loci Cytherea timorem.

Posterior hujus episodii pars mihi videtur priori multo inferior : Argonautarum Lemni adventus, bospitii usus, mutuæ cum Lemniadibus voluptates ac deliciæ, dehinc profectio, quæ res ad fabulam potissime pertinent, minori tamen cura sunt elaboratæ quam Lemniorum cædes, quam decebat paucis vix attingi, ac omni cautione diligentiaque Argonautis celari.

V. 329. *Protinus ingentem procerum sub nomine taurum*
Dejicit.

Burmanno accedo, qui verbum *dejicit* referendum esse ad Hypsipylen censet.

V. 367. *Et lunam quarto densam videt imbribus ortu*
Thespiades.

Hic locus non de integra mora Argonautarum in Lemno capiendus est, sed de quarto post lunam novam die, quo signum imbrium luna Tiphyi dabat. Nam Veteres hoc utebantur prognostico, de quo Virgilius agricolas monet, Georg. I, 432:

> Sin *ortu* in *quarto* (namque is certissimus auctor)
> Pura, neque obtusis per cælum cornibus ibit,
> Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
> Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt.

V. 369. *Usque novos divæ melioris ad ignes Urbe sedent læti Minyæ.* — *Usque* jungitur dictioni *donec* quæ sequitur, v. 373.

V. 408. *Dixit lacrimans.* — Nec nunc Hypsipylæ respondet Jason, nec antea, quum discederet Iolco, utroque parentum valedicente, quicquam respondit. Valerius videtur a describendis affectibus refugere, natura et ingenio aliorsum vocante: sed Virgilius longe aliter.

V. 438. *Hospitibus reserans secreta.* — Credebatur vulgo eos a tempestatibus esse tutos, qui Cabirorum sacris essent initiati. Apollonius, I, 915, dicit Argonautas ea de causa in Samothraciam appulisse. De Cabiris diis, vide Scholiasten Apollonii, l. l.

V. 460. *Coit e sparso concita mapali Agrestum manus.* — Non memini me videre alias *mapale* in singulari numero. Sunt autem *mapalia* casæ Afrorum ex arundine confectæ. Virg. Georg. III, 339:

> Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
> Prosequar, et raris habitata mapalia tectis?

Mapalia idem significat quod *magalia*, Virg. Æn. IV, 259:

> Ut primum alatis tetigit magalia plantis.

Utraque dictio parum differt ab arabica *nawaïl*, ejusdem significationis, in glossariis omissa.

V. 473. *Nos Ili veteris quondam genus.* — Ilus, Dardani filius, post patrem in Troade regnavit, Iliumque condidit. *Vetus* dicitur a Valerio ea causa, puto, ut discernatur ab Ilo, Trois filio, Laomedontis patre. Pariter vocatur παλαιὸς apud Homerum, Il. XI, 372:

> Ἴλου Δαρδανίδαο, παλαιοῦ δημογέροντος.

V. 482. *Hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon.* — Derogat sibi Vale-

rius, qui Hammonis oraculum huc inducat imperite, vel Burmanno judice, qui notas ad hunc locum sic carpit : « Ostendendum erat illud Africæ oraculum jam tunc a Phrygibus consuli fuisse moris : quod utiuam liqueret, ut poetæ diligentia et judicium constaret! »

V. 504. *Trepidisque ruentem Litoribus sua cogit hiems.* — Sic Seneca de monstro, quod Hippolyti equos terruit, Hippolyt. v. 110 :

Placidumque pelagus propria tempestas agit;

et infra, v. 1016 :

Tumidumque monstro pelagus in terram ruit.

Valerius videtur inde nonnihil importasse.

V. 518. *Ille simul molem horrificam scopulosaque terga*
Promovet.

Pro *scopulosa* Heinsius, hoc durius translatum arbitratus, proponit *scruposa*, quam dictionem Statio quoque imponit hoc loco, Achill. I, 55 : *scopulosaque cete*. Mihi vero *scopulosa* videtur grandem quamdam et quasi prodigiosam imaginem exhibere, Valerium ac Statium plane redolentem : quippe quum ille de bellua dixerit supra, v. 479, Hesiones ore :

.... hanc tu nec montibus ullis,
Nec nostro metire mari;

Statius vero de monstro emergente, Hippolyt. v. 1021 : *Cyclas exoritur nova.* Recentiores, *mobilis insula*, dixerunt.

V. 519 .... *intremere Ida*,
Illidique ratis, pronæque resurgere turres.

Vox *ratis* videtur spuria : non est enim verisimile ut hoc loco de Argonautarum nave agatur. Gronovius, Observat. lib. I, cap. 18, proponit *trabes*, i. e. arbores, quæ lectio satis congruit cum præcedenti *intremere Ida*, et sequenti *pronæque resurgere turres.* Hic locus sic emendatus repetitio est illius supra, 477 :

Quum subitus fragor, et fluctus Idæa moventes
Cum stabulis nemora.

Beckii vero ex emendatione vide, p. 152, hujus editionis, quem sensum Wagnerus extorqueat.

V. 524. *Jam brevis, et telo volucri non utilis aer.* — Gronovius conferre jubet hunc locum Taciti, Annalium lib. VI, cap. 35 : *quum Parthus spatium ictibus quæreret.*

V. 530. *Jamque agmine toto.* — Confer Virg. Æn. V, 96: *ille agmine longo.*

V. 546 .... *qualis per pascua victor*
Ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis,

Taurus, ubi assueti pecoris stabula alta revisit,
Et patrium nemus, et bello quos ultus amores.

« Quotidiana et tralatitia poetis comparatio », ait Burmannus, nunc quidem Valerio non æquus. Statius, quem citat, Nostro posterior est. Virgilius, et postea Statius, geminos tauros de principatu gregis decertantes exhibuerunt, tum pudorem ac dolorem victi, mox, refectis viribus, ad pugnam redeuntis. Valerii propositum diversum est, quippe qui reditum ac triumphum tauri, primo victi, nunc victoris, depingat. In hac comparatione nonnullas elocutiones imaginesque non suas adhibuit Valerius; integram vero comparationem, felici partium quibus constat usu et concinnatione, propriam fecit. Τὸ *ingreditur* præstantioris quidem artificis est; sed τὸ *per pascua victor* cui jungitur, et quidquid sequitur, illi Virgilianæ locutioni multum splendoris addit. Τὸ *bello quos ultus amores,* quod similitudine refert hoc Virgilii, Georg. III, 227, *quos amisit inultus amores*, felici positura, faciem novam induisse videtur.

V. 551. *Parvumque trahens cum conjuge natum Laomedon.* — Veteres scriptores variant de nomine uxoris Laomedontis, quæ vocabatur Strymo, Placia, etc. Vide Apollodor. lib. III, cap. 12; et notas Heynii, p. 753. Plures liberos habuit Laomedon: credo Valerium hic loqui de parvulo Podarce, qui posthac vocatus est Priamus. Vide Apollodor. lib. II, cap. 6.

V. 561. *Sator unus et idem Stirpis honos.* — Laomedon erat oriundus a Dardano, Jovis et Electræ filio. Apollodor. lib. II, cap. 6.

V. 581. *Litoraque et veteris tumulos prælabitur Ili,*
Dardaniumque patrem.

Vide not. 473; modo pag. 169.

V. 587. *Angustas quondam sine nomine fauces.* — *Sine nomine* significat *sine fama*, si quidem verum est quod referunt quidam scriptores, hoc fretum ante Helles casum habuisse nomen Borysthenum. Vid. Hesychium, et Stephanum de urbibus; et Virg. Æn. VI, 776.

V. 589. *Vittataque constitit Helle.* — Secundum Carrionem, *vittata* significat, ita ut aufugerat, vittis redimita, quum in eo esset, ut immolaretur. Quum vero subsequatur *sceptra tenens*, *vittata* significat, puto, *diademate*, seu *vitta redimita.*

V. 599. *Geminæque virentibus aræ Stant tumulis.* — E geminis tumulis alterum Phryxi fuisse indicant sequentia; alter erat quoddam cenotaphium, quod Phryxus sorori sacraverat; lib. V, 199:

Tu quoque nunc, tumulo nequicquam condita inani,
Annue, diva maris.

V. 608. *Nec Inois noster sinus invidet undis.* — *Inoæ undæ*, h. c. *Corin-*

thiacus sinus. Nam Ino et Melicerta colebantur præcipue Corinthi. Statius canit, Silv. IV, 3, 60:

Inous freta miscuisset isthmos;

Ubi *Inous* est pro *Corinthiacus*. Idem, Silv. II, 2, 35, de Lechæo in sinu Corinthiaco:

. . . ab *Inoo* fert semita tecta Lechæo.

V. 612. *Undarum decus et gentis, Cretheia virgo*. — Helle filia erat Athamantis, cujus frater Cretheus, Jasonis avus.

V. 614. *Mediasque intervolat urbes, Qua brevibus furit æstus aquis*. — Sestos et Abydos erant sitæ in angustissima Hellesponti fauce; quas urbes Valerius, quamvis non nominet, situs indicio videtur designare.

V. 615 .... *Asiamque prementem*
Effugit abruptis Europa immanior oris.

Eminet hic locus imaginandi et per elocutionem pingendi vi poetica. Asiæ et Europæ litora sunt aspectus longe diversi: illa plana cultaque, Europæ contra prærupta et incultu horrida. Quis autem hæc talia ita describere valeat, ut videatur creare, nisi quem natura poetam finxerit? Porro talem esse Valerium nemo negaverit.

V. 620.................... *stupuitque fragorem*
Taurus, et occiduis regnator montibus Atlas.

Mss. veteresque editiones habent *Janus*, quam lectionem posteriores immerito respuerunt editiones, si quidem *Janus* designat et montem Italiæ, Janiculum, et veterem hujus regionis regem, qui sedem in illo monte habebat. Ergo vox *Janus* ad amussim respondet voci *Atlas*, quæ pariter nomen est et montis Africæ, et principis quem ferunt in illa regione regnavisse.

V. 622. *Jam juga Percotes, Pariumque infame fragosis*
Exsuperant Pityamque vadis, transmissaque puppi
Lampsacus.

Percotes, urbs Troadis erat in Hellesponto, Abydum supra: *Parium*, ad os Propontidis erat situm. *Pytia*, secundum Scholiasten Apollonii, eadem est ac *Lampsacus* (1). Strabo et postea Stephanus Byzantius meminerunt urbis nomine *Pityæ*, juxta *Parium* (2). Urbium situs postulabat, ut *Parium* et *Pitya* ante *Lampsacum* nominarentur: sed auctor poetice, non geographice, describens, rationem locorum minus diligenter servavit. — Scholiastes Apollonii, originem vocis *Pityæ* referens, ait vocem πιτυν apud Thracas thesaurum significare, urbemque ita nominatam esse a thesauro

(1) Schol. Apoll. I, 933.
(2) Strab. XIII, p. 588.

quem Phryxus ibi deposuisset (1). Magis intra veri speciem mihi videtur nomen *Pityæ* ductum esse a voce græca πίτυς, latine *pinus*; quæ quidem arbor in hac regione frequens: hæc urbs sita erat ad radicem montis pinibus densis consiti (2).

V. 624..... *Ogygii quam nec trieterica Bacchi*
Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris.

Ogygius hic idem est quod *Thebanus*. E septenis Thebarum portis una vocabatur *Ogygia*. Ovidius idem epitheton Baccho tribuit, Heroid. X, 48:

Qualis ab Ogygio concita baccha deo.

V. 626............................ *illius aras*
Urbe super, celsique vident velamina templi.

Τὸ *velamina* interpretibus magnum negotium dedit. Pro quo Heinsius proponit *molimina*, *fundamina*, Burmannus, *fastigia*. Ego quidem hæc *velamina* credo non esse vela in interiore templo appensa, quippe quæ Argonautis conspici non potuissent, sed *serta* exteriorem partem ornantia. Virgilius eodem sensu verbo *velare* usus est, Æn. II, 248:

Nos, delubra deum, miseri quibus ultimus esset
Ille dies, festa *velamus* fronde per urbem.

V. 636......................... *rex divitis agri*
Cyzicus: Hæmoniæ qui tum nova signa carinæ
Ut videt, ipse ultro primas procurrit ad undas.

Valerius, quum sit parcior in quibusdam rebus explicandis, connexioni et verisimilitudini parum consulit. Hoc loco panciora de Cyzico docet; nec satis constat cur ille princeps venientibus Argonautis ultro occurrat, appulsosque tam benigne excipiat. Cujusmodi reprehensione caret Apollonius qui quidem canit, I, 969, oraculum de Argonautarum adventu Cyzicum præmonnisse, hospitioque ut eos invitaret jussisse. Scholiastes Apollonii addit, I, 948, Æneum, patrem Cyzici, e Thessalia in Hellespontum migravisse.

V. 639. *Dextramque amplexus et hærens.*—Vaticanus codex veteresque editiones habent *dextram*. Carrion suo codici obsequens in textum recepit *dextra*. Veterem lectionem revocandam esse censeo, quod fecit Harlesius, quem sequutæ sunt Biponti Wagnerique editiones. Hanc lectionem confirmat Virgilius, Æn. VIII, 124:

Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit;

Et infra, v. 558:

Tum pater Evandrus, dextram complexus euntis,
Hæret.

(1) Schol. Apoll. I, 933.
(2) Strab. XIII, p. 588.

V. 642. *Non tamen hæc adeo semota, neque ardua tellus*
Longaque jam populis impervia lucis Eoæ.

Posteriorem versum sine dubio vitiosum Burmannus sic emendat :

Nec loca jam populis impervia lucis Eoæ.

Satis apte, sensusque est : *loca lucis Eoæ, non jam populis impervia* erunt, i. e. regiones orientales, vobis iter monstrantibus, jam nunc cæteris navigantibus patebunt. Neque enim Wagnero accedo *populis* et *lucis Eoæ* jungenti.

V. 650. Sic memorat, *lætosque rapit*, simul *hospita pandi*
Tecta *jubet*, templis*que sacros largitur* honores.

Vide manifestam imitationem hujus loci Virgilii, Æn. I, 631 :

Sic memorat; *simul Ænean in regia ducit*
Tecta, simul *divum* templis *indicit* honorem.

V. 658. *Hæc versa Pelasgum terga vides.* — *Pelasgi*, gens vetusta, totam Græciam, et maris Ægei insulas et litora migrationibus pervagati sunt. Vid. Herodot. I, 36; Strabonem, lib. XIII, p. 620. Lemni incolæ, de quibus supra, Pelasgi erant Thraciam incursionibus infestare soliti, qui vocantur apud Homerum, Il. I, 594, Σίντιες, i. e. prædones; apud Thucyd. IV, 109, *Tyrrheni*. Pelasgi de quibus agitur hoc loco, *Macrienses* dicuntur Apollonio, I, 1024. Vid. Pausan. lib. X, p. 813.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER TERTIUS

LIBRI TERTII

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Cyzicon, argolicosque duces nocturna nefandum
In scelus impellunt bella; indignamque fatentur
Fœdere conjuncti mortem : fit luctus in urbe.
Ad tumulum celebratur honos : gemit Æsone natus
Mœstitiam ostentans animi : sed pectora dictis,
Mopse, levans multis facienda piacula cæsis
Sancta jubes ; mactantur oves ad litora ; cantu
Lustrifico Manes exciti abolere jubentur
Bella, minas, motus trepidos, nocturnaque tædis
Signa Acheronteis mixta : hinc ratis æquora rursus
Ingreditur; litusque offert tunc Mysia nautis.
Pulcher Hylas rapitur : misso volat Hercule puppis.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER TERTIUS.

ANALYSIS LIBRI TERTII.

Tertio die, secundis ventis vocantibus, abitum parant Argonautæ, et, hospitalibus donis datis et acceptis, discedunt, mox hostes rediturі, 1-14. Cyzicus nempe in venatione alterum e leonibus, qui Cybeles currum trahebant, confecerat, exuviasque palatii sui affixerat postibus. Dea, opportune sibi oblatos iræ ministros rata Argonautas, Tiphyi gubernatori somnum immittit gravem, quo fit, ut navis sibi ipsi commissa in eumdem, unde discessisset, portum repelleretur, 15-42. Cyziceni tubarum sonitu vocibusque e cælo auditis, panicoque in terra terrore commoti, Pelasgos adesse opinantur, 43-57. Clamor ad regis etiam aures pervenit, qui, quum et ipse somnio territus esset, exsilit, et ad litus properat, 58-73. Argonautæ inscii, ubi terrarum sint, quidque galeæ clypeique in tenebris micantes velint, anxii stant et quieti, donec hasta transtris involat; quo facto Jason arma rapi jubet, Colchos fortasse sese occupaturos advenisse suspicatus, 74-94. Et primum quidem impetum condensato agmine sustinent Argonautæ, tum vero singuli (Mopsus, Eurytus, Tydeus) singulos hostes jaculis conficiunt, 95-112. Aucto Cyzicenorum numero, Argonautæ latius explicito ordine vagantur, fortesque præ cæteris se præbent Hercules, Peleus, Ancæus, Nestor, Phleias, Pollux, Jason, Idmon, puerque Hylas, 113-185. Parum abest, quin Castor et Pollux in tenebris mutuo se conficiant, qui, agnito errore, juncti ruunt in hostes, pluresque eorum cædunt, 186-219. Cyzicus rex per aciem discurrens increpat tardos ex urbe cives, et simul oblique tangit Cybelen, donec

hasta Jasonis advolante transfigitur, 220-248. Jam vero ipse Jupiter cædes inhibet: Cyziceni fugiunt in urbem, nec Argonautæ persequuntur; immo conspectis oriente sole urbis modo relictæ turribus, mœsti stant ipsi et pudore affecti, in primis Jason, qui cives fugam sistere et funera curare jubet, 249-273. Ruunt ex urbe parentes et conjuges, filios et maritos quæsituræ; lacrimæ manant, maxime vero ad regem inter cæsos tandem repertum concurrunt et cives et Argonautæ. Jason amplectitur liberalem hospitem, seque deplorat ipse, cui tam tristis sors acciderit, 274-313. Accurrit ipsa regia conjux, lugens miserum in modum, 314-331. Interea rogi exstruuntur, ornantur, cadavera imponuntur, decurritur; tandem faces admoventur, et Cyziceni in urbem redeunt, 332-361. Argonautæ, etiam nunc tristes, iter, quanquam faventibus ventis, timent prosequi. Jason igitur augurem consulit Mopsum, quæ causa tantæ labis, quidque porro faciendum sit, 362-376. Hic eum edocet, multum interesse, sciensne et prudens quis, an inscius cædem perpetraverit: voluntarium homicidam, persequi manes interfectorum et furias; imprudentem, suam cujusque conscientiam; culpam tamen expiari posse. Jubet igitur Jasonem hostias parare, dum ipse nocturna sacra peragat, 377-429. Orto sole victimas adducunt Jason et Argonautæ, quas augur lustrat. Is diis Manibus inferias fert, eosque precatur, ut nolint memores amplius esse iræ, 430-458. His omnibus peractis, conscenduut navem, remosque certatim impellunt; Hercules autem, nimia vi usus, remo defracto supinus cadit, et proximos post se sedentes prosternit. Quod damnum ut resarcire possit Hercules, gubernator ad litora Mysiæ appellit, Hercules autem comite Hyla novum sibi remum paraturus in montes abit, 459-486. Hac Herculi ægre faciendi opportunitate usura Juno, primum Minervam, Herculis sororem, dolo amovet, deinde e conspectis in silva Nymphis venantibus unam, Dryopen, sevocat: juvenem, inquit, tibi destinavi, nec Baccho, nec Apollini pulchritudine cedentem, qui in hac ipsa silva venatur; fac igitur, quod tuum est. Interea cervum suscitat Juno; quem quum Hylas, ipso procul adhortante Hercule, persequitur cupidius, ad fluvium perducitur, quem uno trajicit saltu cervus. Hylas spe elusus, ut se ab æstu refrigeret, ad eumdem fluvium procumbit, sed a Nympha

rapitur, 487-564. Hercules sub vesperam magna arbore onustus ad socios revertit, sperans, Hylam se ibi dapesque carnis ferinæ inventurum. Utraque spe dejectus, nil noctis tenebris motus abit, furit per silvas et semitas, et voce provocat puerum dilectum; sed frustra, 565-597. Socii initio reditum ejus avide exspectant, ac deinde vocibus et ignibus accensis signa dant. Jason ante omnes ubique desiderat virum et fortissimum et amicissimum, 598-610. Quoniam vero venti ab ipsa Junone excitati ad iter prosequendum invitant, Tiphys gubernator appellat Jasonem, qui, dubius animi, ut moras tamen nectat, in concilium vocat socios. Hi in diversa abeunt, major tamen pars haud diutius exspectandum Herculem censent. Telamon contra causam agit Herculis, cui maxime adversantur Meleager et Calais. Acrius quidem denuo Telamon insurgit, sed incassum. Jason majori parti cedere coactus, lacrimis temperare non potest, 611-725. Sol vergit ad occasum, Hercules vero adhuc oberrat in silvis, et in iisdem perseverare constituit, 726-740.

TERTIA jam gelidas Tithonia solverat umbras,
Exueratque polum; Tiphyn placida alta vocabant.
It tectis Argoa manus; simul urbe profusi
Ænidæ caris socium digressibus hærent.
Dat cererem, lectumque pecus, nec palmite bacchum
Bithyno Phrygiove satum, sed quem sua noto

1. *Tritonia*. Eugent. Colin. Gryph. *Undas*. Codd. et edd. ante Carr. sed jam *umbras* Pius in comment. — 3. *Et tectis*. Bonon. cod. *At tectis*. Bonon. I. — 4. *Cæneadæ*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. *Æneadæ*. Bonon. II. Junt. Maser. Gryph. Carr. *Ænidæ*. Jam Ald. — 5. *Dant*. Codd. et Bonon. I et II. *Da*. Argent. etc. *Lætum*. Bonon. II. Junt. Ald. ED.

1. Reliquunt Cyzicum Argonautæ. *Tertia jam gelidas Tithonia*, Aurora, *solverat umbras*, illuxerat, *exueratque polum*, nubibus imbriferis liberaverat; *Typhin* gubernatorem *placida alta vocabant*. Brevi, lux oritur, eaque serena, placidum mare fuit. *Argoa manus*, Argonautæ, et *Ænidæ*, Cyziceni, ab Æneo, Cyzici patre, sic dicti, mutuis amplexibus hærent.

5. Dat *cererem*, panes et opsonia, *lectumque*, egregium, *pecus* rex, nec *vinum Bithynum Phrygiumque*, vilius notæque deterioris, *sed quod sua Lesbos colle noto per freta angusta*

Colle per angustæ Lesbos freta suggerit Helles.
Ipse agit Æsonide junctos ad litora gressus
Cyzicus, abscessu lacrimans, oneratque superbis
Muneribus, primas conjux Percosia vestes
Quas dabat et picto Clite variaverat auro.
Tum galeam, et patriæ telum insuperabile dextræ
Addidit; ipse ducis pateras, et Thessala contra
Frena capit, manibusque datis junxere penates.
Tu mihi nunc causas infandaque prælia, Clio,
Pande virum: tibi enim superum data, virgo, facultas
Nosse animos, rerumque vias, cur talia passus
Arma, quid hospitiis junctas concurrere dextras
Jupiter; unde tubæ, nocturnaque movit Erinnys.

9. *Oneratque superbis.* Sic Ald. *Cui tradit amicis.* Carr. In Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Argent. etc. jungitur hic finis vers. 10: *Cyzicus, abscessu lacrimans, Percosia vestes.* — 10. Hic versus post vers. 25 reperitur in Vat. Bonon. codd. Bonnn. I et II. Junt. etc. — 11. *Et picto chlamydem.* Bonon. I et II. Junt. Maser. *Et picto Clyte.* Ald. post Pium, Engent. etc. *Et picto ditem.* Carr. cod. ex prava cod. Vatic. lectione. — 14. *Nepotes.* Codd. et edd. *Penates.* Gron. Observ. IV, 21. Ed.

Helles suggerit. Sic ordines verba, et omnia habebis perspicua. Lesbium vinum, Methymnæum etiam (vid. Virgil. Georg. II, 90) ab urbe Lesbi dictum, in deliciis habuerunt Veteres; vid. Hor. Od. I, 17, *innocentis pocula Lesbii;* eumdem, Epod. IX, 34; Propert. I, 14, 2; IV, 8, 38; Athenæum, I, 22, p. 28, ed. Casaub.

8. Ipse Cyzicus Jasonem comitatur ad navem, dimittit *lacrimans*, donat tamen præclara munera, *vestes*, quas *primas*, primum solertiæ documentum, *conjux Clite Percosia*, Meropis Percosii (urbis Percotes, II, 622) regis filia, Apollonio I, 975, Μέροπος, Περκωσίου ἐκγεγαυῖα Κλείτη εὐπλόκαμος, *picto variaverat auro*, acu pinxerat, aureis filis insertis; porro galeam et ensem, qui patris olim fuerat; pro quibus vicissim a Jasone accipit *pateras et Thessala frena*, phaleras. Sic *manibus datis junxere penates*, fœdus hospitii iniere.

15. Quo amiciorem Valerius Cyzicum magisque benevolum atque hospitalem nobis descripsit, eo magis miserabimur hominis tam amabilis sortem, quæ ipsi poetæ ita indigna videtur, ut ipse causas ejus exponere non sustineat, sed musam in subsidium vocet. *Tu mihi, Clio, causas pande, tibi enim superum animos*, consilia, *nosse* (noscendi) *fa-*

Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis,
Dum volucri quatit asper equo, silvasque fatigat
Cyzicus, ingenti prædæ deceptus amore,
Assuetum Phrygias dominam vectare per urbes,
Oppressit jaculo redeuntem ad frena leonem.
Et nunc ille jubas, captivaque postibus ora
Imposuit, spolium infelix, divæque pudendum.
Quæ postquam Hæmoniam, tantæ non immemor iræ,
Ærisono de monte ratem, præfixaque regum
Scuta videt, nova monstra viro, nova funera volvit,
Ut socias in nocte manus, utque impia bella
Conserat, et sævis erroribus implicet urbem.
  Nox erat, et leni canebant æquora sulco;
Et jam prona leves spargebant sidera somnos.

25. *Et tunc.* Bonon. eod. Ald. Ed.

cultas data. Dic igitur, cur *Jupiter*, hospitalis, ξένιος, *talia arma*, *cur hospitiis junctas dextras*, tam amicos heroas, hospitiique nexu junctos, commiserit.

20. Cyzicus nempe in venatione leonem Cybeles confecerat, ejusque exuviis palatium exornaverat suum. Hæc poetice ita efferuntur: *Dindyma* (juga, ὄρη), montem Phrygiæ prope Cyzicum, *lacertis famulorum sanguineis bacchata* (passive, uti apud Virgil. Georg. II, 487; Æn. III, 125), per quem Corybantes, Cybeles a Cyzicenis cultæ (Propert. III, 22, 3) sacerdotes, *sanguineis* brachiis (vide locum classicum infra, 231-234), *bacchari*, baccharum more, furentes discurrere, solebant, dum Cyzicus *asper*, nimis cupidus, *volucri quatit equo* (Virg. Æn. VIII, 596, *quatit ungula campum*), *silvasque fatigat*, sc. creberrime venans obit (sic, V, 142, *arma fatigare*, e manibus non dimittere; V, 602, *diem noctemque Marte*; eodem sensu *exercere* pharetram, infra hoc libro, 162), *assuetum dominam* (nomen Cybelæ fere proprium, ut Virg. Æn. III, 113) *Phrygias vectare per urbes leonem ad frena redeuntem jaculo oppresserat*, *jubas* deinde *captivaque ora*, pellem et caput, *postibus imposuit*, spolium *infelix* (sibi) *divæque pudendum*, in pudorem, ignominiam deæ.

27. Quæ ut primum ex *ærisono*, tympanis, cymbalis, tibiis resonante *monte* Thessalicam navem conspexerat, hanc ulciscendi occasionem arripuit.

32. *Leni canebant æquora sulco*, canam spumam movebant in pelago remi (vid. Virgil. Æn. VIII, 672, *fluctu spumabant cærula cano*); *prona*, ad occasum vergentia, *sidera*

Aura vehit; religant tonsas, veloque Procnesson,
Teque etiam medio flaventem, Rhundace, ponto,
Spumosumque legunt fracta Scylaceion unda.
Ipse diem longe solisque cubilia Tiphys
Consulit, ipse ratem vento stellisque ministrat;
Atque illum non ante sopor luctamine tanto
Lenit agens divum imperiis; cadit inscia clavo
Dextera, demittitque oculos; solataque puppis
Turbine flectit iter, portuque refertur amico.
Ut notis allapsa vadis, dant æthere longo
Signa tubæ, vox et mediis emissa tenebris:
« Hostis habet portus, soliti rediere Pelasgi. »
Rupta quies; deus ancipitem lymphaverat urbem,
Mygdoniæ Pan jussa ferens sævissima Matris;

35. *Ecce jam medio.* Vatic. cod. vitiose. *Et te jam medio.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Ald. Carr. *Et te etiam.* Gronov. l. l. — 41. *Resolutaque puppis.* Bonon. cod. pro varia lect. et edd. ante Burm. *Revoluta.* Heins. Ed.

leves, placidos, *somnos spargunt;* venti ita secundi, *ut tonsas religent* remiges, ut remis opus non esset, solisque velis impulsi prætervehe-rent *Procnesson*, Proconneson, insulam Propontidis, *Rhundacum* fluvium, *medio etiam ponto flaventem*, qui aliquatenus etiam per mare flavum tenet colorem, et *Scylaceion* promontorium *unda fracta spumosum*, ad quod fluctus fracti magnam agunt spumam; german. *Brandung*.

37. Tiphys *diem solisque cubilia*, occasum solis, *consulit*, servat, observat, *ratemque vento stellisque ministrat*, vela curat, prout venti et sidera postulant; vid. Virgilii Æn. VI, 302.

39. Sopor illum, qualis nunquam alias, post *magnum luctamen* opprimit, *lenit agens* (*agens* additum, pleonastice, ut Græcorum ἔχων· vid. IV, 411; VII, 151) *divum imperiis*, a diis immissus; *cadit inscia clavo dextra* (potuisset dicere: *clavus excidit dextra;* sed perinde est: sensus enim est reciprocus); *solata*, desolata, sibi relicta, *navis turbine flectit iter*, in orbem agitur, *portuque refertur amico*.

43. Vix *notis*, modo relictis, *vadis allapsa* erat navis, quum *æthere longo*, longe per aera audirentur tubæ et vox horrenda: Hostis in portu! adsunt Pelasgi. Jussu enim *Mygdoniæ matris* (*Idææ*, II, 536), Cybeles, *urbem ancipitem lymphaverat*, anxiam ad furorem usque efferaverat, *Pan deus*, *nemorum bellique potens*, qui et pastoribus et militibus (est enim et στρατιώτης· vid. Longi Pastor, lib. IV, extr. p. 134.

Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad horas
Antra tenent, patet ad medias per devia noctes;
Setigerum latus, et torvæ coma sibila frontis.
Vox omnes super una tubas, qua conus et enses,
Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris
Claustra cadunt; talesque metus non Martia cassis,
Eumenidumque comæ, non tristis ab æthere Gorgon
Sparserit, aut tantis aciem raptaverit umbris.
Ludus et ille deo, pavidum præsepibus aufert
Quum pecus, et profugi sternunt dumeta juvenci.
  Ilicet ad regem clamor ruit; exsilit altis
Somnia dira toris simulacraque pallida linquens

48. *Lucis ab oris.* Pius. Politian. *Lucis ad ortus.* Carr. cod. — 54. *Ab ægide Gorgon.* Heins. emendat et vers. seq. *tacitis.* Ed.

ed. Villois.) vanum terrorem (panicum) injicit, qui interdiu *antris se continet*, noctu late vagatur, unde *nocturnus*, VII, 400.

50. *Setigerum latus* est, hirsutum corpus, *et torvæ frontis coma sibila.* Pro *sibila* malunt nonnulli *pinea :* nam ejusmodi corona Pani tribuitur. Audio : sed quum poetæ, uti arboribus omnino, quarum folia levissimo vento mota sonitum edunt, ita pinni etiam tribuant sibila, quod facit in primis Virg. Ecl. VIII, 22 : *argutum nemus et pini loquentes ;* locus non emendandus, sed interpretatione juvandus est.

51. *Vox una*, quamquam una, *super*, superat tamen omnes tubas, tam vehemens est, ut *conus*, crista galeæ, *enses*, *aurigæ rotis*, curribus, *claustra mœnibus cadant*, tantosque metus, quantos non Mars, non furiæ, non *tristis ab æthere Gorgon*, Medusæ caput, *sparserit*, injiciat. *Aut* (nec) *tantis aciem raptaverit umbris*, ea est hujus dei vox, ut simulacris inanibus in aere apparentibus acies in prælia rapiat.

56. *Ludus et ille deo*, similem sibi ludum fecit Pan, quum pecora ita territat, ut *profugi sternant dumeta juvenci*, œstro quasi perciti virgulta proculcent.

58. Clamor ferit et regis aures; lecto exsilit, somnio adhuc plenus, per quod *Bellona* ipsi apparuerat, *foribus reclusis*, in ipso cubiculo adstans, *nuda latus*, brachio exerto, *passuque sonoro orichalca*, tubam orichalco vinctam (Horatius, Arte poet. 202), *movens*, et *triplici crista*, τρυφαλεία, τριλοφία· v. cl. *Ruperti* ad Sil. Ital. V, 134), *pulsans fastigia* cubiculi. Sic magnam corpore et terribilem habitu deam videmus — *nudum latus* — *passu sonoro* — *tubam moventem* — *triplici crista* — *fastigia tangentem.*

Cyzicus. Ecce super foribus Bellona reclusis,
Nuda latus, passuque movens orichalca sonoro,
Adstitit, et, triplici pulsans fastigia crista,
Inde ciere virum; sequitur per mœnia demens
Ille deam, et fatis extrema in prælia tendit.
Qualis in Alciden et Thesea Rhœtus, iniqui
Nube meri geminam Pholoen, majoraque cernens
Antra, ruit; qualisve redit, venatibus actis,
Lustra pater Triviamque canens, humeroque Learchum
Advehit, at miseræ declinant lumina Thebæ.
Jamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur
Excubias sortita manus, quæ prima furenti
Advolat; hinc alii subeunt, ut proxima quæque
Intremuit domus, et motus accepit inanes.
 At Minyas anceps fixit pavor; ægra virorum

67. *Antra.* Pomponius Lætus apud Pium, Ald. Ed.

60. Vigilanti, non somnianti Cyzico apparet Bellona : non inscius profecto Wagnerus propriam excogitationem Valerio tribuit, non inconcinnam certe, sed interpretationis fide abscedentem. Ed.

61. *Passuque movens orichalca sonoro.* Hoc capiendum de sonitu armorum, non de tubæ clangore. Ed.

63. Sequitur deam rex *demens*, mente captus, et ad mortem properat, uti olim *Rhœtus iniqui nube meri*, vino nimio saucius, et ita oculos obnubilatus, ut *Pholoen*, montem Thessaliæ, Centaurorum sedem (lib. I, 140), *geminam*, duplicem, *majoraque antra sua* cernere sibi videretur (quod accidere solet ebriis, quibus *geminis exsurgit mensa lucernis*, Juvenal. VI, 305), *in Herculem et Thesea ruit;* sed in pugna adversus Lapithas cecidit.

67. Aut qualis redit a venatu *pater* (de *Athamante* sermo est) *lustra Triviamque canens*, ovans de felici captura, gratiasque agens Dianæ, *humeroque Learchum advehit*, nescius, se filium sua manu confectum humeris portare, quod tamen non fefellit Thebanos; *miseræ*, miserabundæ, *declinant lumina* ab tam tristi spectaculo *Thebæ*. Rem omnem latius narrat Ovid. Met. IV, 515 et seqq. quem adeat, qui opus habet.

70. *Jamque adeo non porta moratur* regem, *nec pone*, quæ prope aderat, *manus excubias sortita:* satellites præsto sunt regem comitaturi, quorum mox numerum augent alii, quos timor inanis domibus expulerat.

74. Argonautæ diu consederant navi sua paventes; galeas clipeosque per tenebras vident micare,

Corda labant, nec, quæ regio aut discrimina, cernunt,
Cur galeæ clipeique micent, num pervigil armis
Hostis, et exciti dent obvia prælia Colchi:
Donec et hasta volans immani turbine transtris
Insonuit, monuitque ratem rapere obvia cæca
Arma manu. Princeps galeam constringit Iason,
Vociferans: « Primam hanc nati, pater, accipe pugnam;
Vosque, viri, optatos huc adfore credite Colchos ».
Bistonas in medios ceu Martius exsilit astris
Currus, ubi ingentes animæ, clamorque, tubæque
Sanguineæ juvere deum: non segnius ille
Occupat arva furens; sequitur vis omnis Achivum,
Agglomerant latera, et densis thoracibus horrens
Stat manus, ægisono quam nec fera pectore virgo
Dispulerit, nec dextra Jovis, Terrorque Pavorque,

76. *Cur pervigil armet.* Ald. post Pium. — 77. Hic versus abest a Vatic. et Bon. codd. et edd. ante Carr. — 79. *Movitque.* Junt. Ald. Colin. etc. *Monuit.* Jam Pius ex codd. Ed.

dubii tamen, quid hoc rei sit; num hostis quidam externus castra nocturna securitatis causa posuerit, an *Colchi* fortasse ipsi, nam pavor remotissima etiam timet, obviam sibi processissent.

77. Jam vero hasta *immani turbine*, horrendo cum sonitu, mediam in navem advolat, jubetque arma subito rapere *manu cæca*, quæ, quem in usum, vel contra quos caperentur, adhuc ignorarent. *Princeps*, primus, *galeam constringit*, lora fortius contrahit Jason, vociferans: En! vota explentur, *optatos huc adfore Colchos*, socii dilecti, *credite*, cogitatione fingite.

83. Uti Mars, *Martius currus astris*, cælo, *in medios Bistonas*, Thracas, *exsilit*, quum *ingentes animæ* (Hom. Il. I, 3, ἡρώων ψυχαί), *et clamor*, et *tubæ sanguineæ*, cædem nuntiantes, *juvere*, magis excitavere, *deum*: sic Jason *occupat arva furens*, primus in continentem terram ruit.

87. *Agglomerant latera*, conferto agmine incedunt; *densis thoracibus horrens*, firma, immobilis, *stat manus*, ut nec *virgo fera*, Minerva, *ægisono*, ægide munito, *pectore*, nec dextra fulmine armata Jovis, nec *Terror Pavorque*, *Martis equi* (vid. II, 204), *dispellere*, disjicere, ordinesque solvere potuissent.

88. *Ægisono pectore virgo.* Maserius per hæc, intelligit Bellonam; « quod non probo, inquit Carrion, neque enim eam ægide uti usquam legi »; vide ad calcem hujus libri not. 88. Ed.

Martis equi : sic contextis umbonibus urgent :
Cæruleo veluti quum Jupiter agmine nubem
Constituit; certant Zephyri, frustraque rigentem
Pulsat utrimque Notus : pendent mortalia longo
Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.
  Hinc manus infelix clamore impellere magno
Saxa, facesque atras, et tortæ pondera fundæ ;
Fert sonitus immota phalanx, irasque retentant,
Congeries dum prima fluat : stellantia Mopsus
Tegmina, et ingentem Corythi notat Eurytus umbram.
Restitit ille gradu, seseque a lumine ferri
Sustinuit præceps, subitum ceu pastor ad amnem,

90. *Hærent.* Bonon. cod. et edd. aute Carr. — 94. *Ille.* Junt. — 98. *Stillantia.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ed.

90. Nec vero ad se defendendos tantum adstant parati, sed etiam ad adoriendum : *contextis*, ita arcte implicitis atque connexis scutis, ut ne minimum quidem interesse spatium, *umbonibus*, qui pars erant clypeorum in medio prominens et acuta, qua hostem propellere, adeoque vulnerare possent, *urgent*.

91. Stant *ut nubes*, quam Jupiter *cæruleo agmine* (*agmen* etiam de aquis usurpant poetæ, ut Virgil. Georg. I, 322 ; Æn. II, 782), nimbosam, imbribus gravidam, *constituit* ; quæ, quamquam *zephyri* inter se decertant, *Notique rigentem*, immotam, *pulsare* cupiunt, diu tamen eodem loco hæret, metuque implet homines, dubios, quod in fretum, quasve in terras tandem ruitura sit.

95. *Hinc*, ex altera parte, Cyziceni vociferantes, jacere saxa, faces, *tortæ pondera fundæ*, lapides graves, quæ omnia Argonautarum *phalanx immota* sustinet, irasque *retentant*, continent, *congeries dum prima fluat*, dum primus impetus telorum conquieverit (*telorum* addidi, non *hostium*, quum *congeries* rarissime de personis, plerumque de rebus adhiberi soleat : infra tamen, VI, 511, itidem de personis videtur usurpata esse).

98. *Stellantia tegmina*, splendentem thoracem, et clipeum, *ingentemque umbram*, quam projiciebat *Corythus*, Cyzicenus heros, *Mopsus et Eurytus notant*, vident. *Restitit ille* (quis ? Corythus, an Mopsus ? malim de hoc accipere) *gradu*, sic restitit, ut tamen gradu non dejiceretur, ut promptus ad resistendum maneret, *seseque a lumine ferri*, coruscante hostis gladio, *sustinuit præceps*, a cito impetu se continuit, *subitum ceu pastor ad amnem spumantem nimbis*, æstuantem, *fluctuque arbusta ruentem*, prosternentem.

Spumantem nimbis, fluctuque arbusta ruentem.
Et Tydeus, « En intentis quem viribus, inquit,
Experiar, manibusque dari quem comminus optem;
Quo steteris, moriere loco». Subit ilia cuspis
Olenii; dedit ille sonum, compressaque mandens
Æquora purpuream singultibus exspuit auram.
Ac velut in medio rupes latet horrida ponto,
Quam super ignari numquam rexere magistri
Præcipites impune rates: sic agmine cæco
Incurrit strictis manus ensibus. Occubat Iron,
Et Cotys, et Pirno melior genitore Bienor.
  At magis interea diverso turbida motu
Urbs agitur; Genyso conjux amoverat arma:
Ast illi subitus ventis vivoque reluxit
Torre focus; telis gaudes, miserande, repertis.
Linquit et undantes mensas, infectaque pernox

104. *Opperiar.* Vatic. et Bonon. codd. — 105. *Qui steteris.* Vitiose, ut videtur, Junt. Colin. etc. — 106. *Ochenii.* Codd. et edd. ante Carr. — 107. *Expulit hastam.* Codd. et edd. præter Ald. quam sequuti Heins. et Burman. — 113. *Et magis.* Vatic. Coki et Burm. codd. Ed.

103. Sed *Tydeus,* En! ait, in quo vires experiar; utinam comminus cum eo decertare detur! *subit ilia* Corythi *cuspis Olenii*, Tydei sagitta; *dedit ille sonum*, dum caderet, *compressaque mandens æquora*, campi glebas, in quo jacebat, mordens (idem fere, quod Horatio, Od. II, 7, 12, *solum*, terram, *tetigere mento*), *purpuream singultibus exspuit auram*, ad quemque singultum exspuit sanguinem. Fundus est Homeri, Il. V, 83, πορφύρεος θάνατος, quem imitati deinde, mutata elocutione, Virgil. Æn. IX, 349, *purpuream vomit ille animam*, et alii.

108. *Ac veluti* (luxuriatur poeta in cumulandis comparationibus) *in medio ponto horrida rupes latet*, non animadversa, quam nunquam impune tangunt nautæ, *sic agmine cæco*, temere, *strictis ensibus*, incurrunt Cyziceni, quorum plures occumbunt, in his *Bienor, melior*, fortior, *patre.*

114. Nec minor in urbe trepidatio. *Genyso* uxor arma noctu amoverat, sed illi *subitus reluxit focus*, ignem denuo accendit, ut arma occultata reperiret, et reperit magno suo malo: *telis gaudes, miserande, repertis.*

117. *Linquit undantes*, abundantes, largis dapibus instructas, *men-*

Sacra Medon; chlamys imbelli circumvenit ostro
Torta manum, strictoque vias præfulgurat ense.
Talis in arma ruit; nec vina dapesque remotæ:
Statque loco torus; insomnes mansere ministri.
Inde vagi nec tela modis, nec casibus isdem
Conseruere manum, et longe jacuere perempti.
Ecce, gravem nodis pinguique bitumine quassans

118. *Circumdedit.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 120. *Remota.* Vatic. et Bonon. codd. Junt. Ald. etc. — 121. *In quo omnes.* Edd. ante Carr. præter Ald. quæ *omen* ex Pio habuit. — 123. *Conseruere manu et.* Vatic. et Carr. codd. recte. *Conseruere manus longe et.* Junt. Ald. etc. Ed.

sas, infectaque, nondum absoluta, *sacra*, pervigilia, *Medon, chlamys imbelli ostro torta circumvenit manum*, quæ ego, an recte nescio, sic intelligo: chlamyde, quæ, quamquam purpurea, bello tamen inutilis nihilque erat profutura, sinistram circumvolvit manum, ut pro scuto esset (similis locus apud Petronium, c. 80: *intorto circa brachium pallio componit ad prœliandum gradum*), *strictoque vias præfulgurat ense*, dextra per viam in antecessum vibrat gladium (Gesner. in Thes. h. v. sic explicat: *coruscare facit*). Sic, Ovid. Metam. IV, 755, *tædas præcutere*.

120. Talis in arma ruit; *nec vina dapesque remotæ, statque loco torus;* hactenus omnia facilia, non item, quæ sequuntur: *in quo (omen) mansere ministri.* Locus salebrosus, in quo, quid ex omine facias, difficile dictu sit, nec Burmannus sibi satis ipse facit. Erat, ubi ego, mutata interpunctione, et *ministris* ad sequentia tractis, sanare locum mihi posse viderer, ita nempe: stat loco torus, in quo toro (omen) mansere sc. vina et dapes, Argonautis paratæ; *ministri inde vagi*, etc. Sed male me ominatum esse postea deprehendi, eam in primis ob causam, quod Argonautæ urbem denuo ingressi non sunt. Maneant ergo suo loco vina et dapes, et torus et ministri, solum *omen* tollatur, et pro *in quo omen* legatur *insomnes*, quod reponi jubet Bentleius in epistola ad Burmannum data: *Statque loco torus: insomnes mansere ministri.* Nec temere conjecit acutissimus ille Anglus; nam non unus codex habet *in quo omnes*, ex quo vera Valerio manus restitui potest. Neque video, cur miretur *insomnes ministros* Burmannus; equidem mirarer magis, si somno se dedissent ea nocte, qua hostes ante portas apparuisse audirent, quaque de dominis solliciti essent absentibus. Non dubitavi igitur, tam luculentam emendationem in ipsum textum recipere.

122. *Inde vagi* (Genysus et Medon? Ita volunt interpretes; possint tamen Cyziceni omnino rectius intelligi) *nec tela modis, nec casibus iisdem conseruere manum*, in quibus duo accusativi, *tela et manum*, of-

Lampada, turbata Phlegyas decurrit ab arce;
Ille leves de more manus, aciemque Pelasgum
Per noctem remeasse ratus, pulsumque requirens
Sæpe sibi vano Thamyrum clamore petebat
Arduus, et late fumanti nube coruscus:
Quantus ubi immenso prospexit ab æthere Typhon,
Igne simul ventisque rubens, quem Jupiter alte
Crine tenet; trepidant diro sub lumine puppes.
Tollitur hinc, totusque ruit Tirynthius arcu,
Pectore certa regens adversa spicula flamma,
Per piceos accensa globos: et pectus arundo

125. *Ab urbe.* Vatic. et Bonon. codd. Ed.

fendunt. Burmannus ita expedit, ut *bella* pro *tela*, *manu* pro *manum* poni velit. De *manu* facile consentio, et potiores ita libri præferunt, non item de *bellis*, quibus nihil lucramur; nam utraque formula *conserere manu bella*, et *conserere manu tela* insolita sunt Latinis, qui *conserere manum*, *pugnam*, *prælium*, *eædem* (infra, v. 274) dicere solent. Possis etiam legere: *Inde vagæ nec tela modis, nec casibus isdem conseruere manus.* Certe apud ipsum Nostrum *conserta tela* sunt, VI, 182.

125. *Phlegyas*, *leves*, levis armaturæ, *manus Pelasgorum* noctu invasisse ratus, *Thamyrum*, ducem sine dubio latronum illorum, sæpius ab se repulsum, magno cum clamore et late ardente face requirit, haud secus ac *Typhon*, turbo nautis periculosus, *igne*, fulgure, *simul ventisque rubens*, *quem Jupiter alte crine tenet;* vid. VI, 170, ubi *Typhonem Jupiter reverberat arvis.* Flaccus duplicem h. l. personam agere jubet Typhonem vel Typhoeum, primam turbinis, alteram Gigantis cælo dejecti, ideoque duas diversas fabulas miscet.

133. *Tollitur hinc*, ex altera parte contra hunc Phlegyan, *totusque ruit Hercules arcu*, *adversa flamma spicula certa regens pectore.* Obscuriora hæc et asterisco ab editoribus notata recte tamen habere putaverim. Hoc, nisi me omnia fallunt, voluit poeta: Hercules ipsam adversarii facem in usum convertit suum; prout enim hanc ille movit, ita Hercules *pectore*, ad pectus admoto arcu (nam non genis, uti nunc, applicabant inferiorem arcus partem antiqui, sed pectori, Hom. Il. IV, 123, νεύρην μαζῷ πέλασεν; Virg. Æn. XI, 862), dirigebat spicula certa, ut certo ferirent, *per piceos accensa globos*, quæ tela, ut Burmanni verbis utar, quum ipsam lampada transirent, inde ignem conceperunt, et accensa per piceos globos flammæ, pectus transfoderunt Phlegyæ, unde duplex vulnus, a ferro et ab igne, infligebatur.

135. *Pectus arundo per medium contenta*, cita, rapida, *fugit; ruit*

Per medium contenta fugit; ruit ille comanti
Ore facem supra, majorque apparuit ignis.
Ambrosium Peleus, ingentem Ancæus Ethelum
Sternit, et elatæ propius succedere dextræ
Telecoonta sinit, duplicataque ora securi
Disjecit cervice tenus; simul aspera victor
Cingula sublustri vibrantia detrahit umbra.
« Has, precor, exuvias et prima cadavera, Nestor,
Linquite, ait; ferro potius mihi dextera, ferro
Navet opus »; prensumque manu detruncat Amastrum,
Diversasque simul socios invadere turmas
Admonuit. Pergunt rupta testudine fusi,
Qua tenebræ campique ferunt. Gravis invenit Ochum
Phleias, et trepido Pollux impingitur Hebro.
Ipse super vultus, taboque labantia terga,

138. *Achelum*. Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. *Echelum*. Ald. post Pium. — 140. *Delicataqne*. Vatic. Bonon. et Carr. codd. *Dejectaque*. Bonon. I et II. Junt. Colin. etc. *Desectaque lora*. Ald. *Deductaque*. Gron. *Adducta* vel *duplicata*. Heinsius : alii aliud. — 141. *Dissecuit*. Sabellicus et Gronov. — 143. *Exuvias et opima cadavera nostro*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. etc. *Et* tamen abest a Vatic. cod. *Exuvias; o prima cadavera, nostro*. Carr. cod. *Exuvias et opima cadavera Nestor*. Ald. *Exuvias et prima cadavera Nestor*. Zinzerl. Gron. — 144. *Flerto*. Bonon. cod. Pius. Maser. *Feretro*. Ald. Colin. Voss. — 146. Hic deest folium integrum in Vatic. cod. a v. 146 ad 186. Ed.

ille, incidit, *ore comanti*, bene comato capite, in ipsam facem, *majorque apparuit ignis*, cæsariem apprehendens. Tota imago nimium quæsita.

138. Jam aliæ cædes memorantur, in quibus non nisi singula verba explicanda veniunt. Sic, 140, *duplicatam securim* alii aliter exponunt : mihi vero est vel *bipennis*, vel bis repetita, uti *congeminata*, VI, 379.

141. *Aspera cingula*, vel acu picta, vel bullis, vel cælaturis distincta.

143. *Prima cadavera linquite*, nil nisi primitiæ cædium sunt, sed his non contenti plures cædamus.

147. *Pergunt rupta testudine fusi*, referenda ad v. 87, ubi agglomerabantur, densisque thoracibus stabant; jam vero vagi hostes adoriuntur.

150. *Ipse dux* Jason *super vultus cæsos*, hostes ore humum prementes, *taboque labantia*, cruore lubrica, *terga*, *campi Martisque potens*, apertum sibi campum pugnamque videns, *ut cæca profundo hiems*,

Dux campi Martisque potens, ut cæca profundo
Currit hiems, Zelyn et Broten Abarinque relinquit
Semineces; Glaucum sequitur, Glaucumque ruentem
Occupat, et jugulo vulnus molitur aperto.
Ille manu contra telum tenet, ultima frustra
Verba ciens, fixamque videt decrescere cornum.
Hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense
Prothin, et insignem cithara cantuque fluenti
Dorcea, qui dulci festis assistere mensis
Pectine Bistoniæ magnum post ausus alumnum.
Nec pharetram, aut acres ultra Tirynthius arcus
Exercet, socia sed disjicit agmina clava.

151. *Dum campi.* Junt. Colin. *Ceu campi.* Ald. — 158. *Protinus insignem.* Bon. cod. et edd. ante Carr. Ed.

ut inopina in mari exorta tempestas, *currit.*

156. *Fixam videt decrescere cornum.* Poeta, in variis cædium generibus excogitandis non eadem semper, qua Ovidius, ingenii felicitate adjutus, singularia quædam et mira narrat; hoc tamen videtur voluisse: Jason lancea ferit Glaucum, qui telum quidem contra expedit suum, sed sentit, hastam adversarii altius intrare corpus, *videtque cornum* (corneum hastile, quo penitius infigitur), eo magis *decrescere*, eo minorem brevioremque fieri.

158. *Insignem cithara cantuque fluenti.* Fluens opponitur aridæ voci, raucæ; est igitur liquida, sonora, suavis. — *Qui dulci pectine*, plectro, proprie instrumento variæ formæ, quo lyra pulsatur vel raditur, tum per synecdochen pro tota lyra posito, *Bistoniæ*, Thraciæ, *post magnum alumnum*, Orphea, cui Thracia patria, *festis assistere mensis ausus erat*, Orphea æquare in lyra pulsanda stulte sibi persuaserat. Cæterum imitatus est Flaccus Ovidium, qui in pugna cantorem itidem sistit, Met. V, 111 et seqq.

— Num continuo stultus, si quis summum artificem æmulatur? Non ita putat Valerius, *post* Mantuæ *alumnum*, epos condere *ausus. Ausus*, v. 160, in bonam partem sumitur, ut Æn. I, 493, *audetque viris concurrere virgo;* nec video Valerium stultæ fiduciæ arguere Dorcea, quem dicat *insignem cithara cantuque fluenti.* Ed.

159. *Festis mensis.* Sic Horat. Epod. IX, 1, *festas dapes.* Ed.

161. Hercules jam non amplius pharetram et arcus *exercet* (quod verbum usurpant de rebus, quibus sæpe multumque utimur, germanico sermone, *handhaben*, ut *fatigare;* vid. supra, 21), sed disjicit agmina *clava socia*, quam ubique comitem habebat, assumpta.

Ac veluti magna juvenum quum densa securi
Silva labat, cuneisque gemit grave robur adactis,
Jamque abies piceæque ruunt: sic dura sub ictu
Ossa virum malæque sonant, sparsusque cerebro
Albet ager. Levis ante pedes subsederat Ichnon;
Occupat os barbamque viri, clavamque superne
Intonat: « Occumbens, i nunc, ait, Herculis armis;
Donum ingens, semperque tuis mirabile fatis ».
Horruit ille cadens, nomenque agnovit amicum
Primus, et ignaris dirum scelus attulit umbris.
Nec tibi Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges
Hospitiis, aut mente moras fovisse benigna,
Et laribus sacrasse diem, procul advenit Idmon,
Oblatumque ferit, galeam cristasque rubentes,
Heu tua dona! ferens. Quem te, qualemque videbit

167. *Icmon*. Bonon. Carr. codd. et edd. præter Ald. quæ *Ichnon* ex Pii comment. — 168. *Clavaque*. Edd. ante Carr. — 169. *Occumbens et nunc*. Bonon. cod. Bonon. I et II. *Occumbes et nunc*. Junt. Ald. etc. — 175. *Imon*. Eugent. Colin. etc. — 176. *Oblatamque ferit, galeam*. Junt. Ald. Eugent. Ed.

163. Qualis sonitus est silvæ, quæ cæditur, *densa silva labat magna juvenum* robustorum *securi*, *cuneisque adactis grave robur*, quercus ponderosa, *gemit* (rei inanimatæ sensus tribuitur); sic *ossa dura malæque sonant sub ictu*, *sparsusque*, conspersus (vid. infra, V, 319), *ager cerebro albet*; vid. Virg. Æn. XII, 36: *campi ingentes ossibus albent*.

167. *Subsederat*, insidiatus. — *Os barbamque*, barbatum caput, *clavam superne intonat:* active; quod quum insolentius sit, alii malunt *clava*. *I nunc*, consueta poetis irrisione infelicium, *occumbens Herculis armis*, *donum ingens*, *semperque tuis mirabile fatis;* magno tibi honori est, in fatis tuis ut mirum et honorificum memorabitur, quod Herculis manu cecideris. *Donum* sic ironice sumptum est etiam, IV, 216.

171. *Horruit* ad Herculis nomen auditum, *nomen enim agnovit amicum* (amici) *primus*, *et ignaris dirum scelus attulit umbris;* primus fuit, qui manibus eorum, qui jam jam cecidissent, quique mortis suæ auctores non nossent, hospites Argonautas fuisse nunciaret.

174. *Mente moras fovisse benigna*, benevole per aliquot dies, quibus morari deberent, excepisse, et *laribus sacrasse diem*, festum diem instituisse, quod novus hospes familiæ accessisset.

Attonitus, Crenæe, parens! en frigidus orbes
Purpureos jam somnus obit, jam candor, et anni
Deficiunt, vitaque fugit decus omne soluta.
Desere nunc nemus, et nympharum durus amores!
At diversa Sagen turbantem fallere nervo
Tum primum puer ausus Hylas, spes maxima bellis
Pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Juno;
Prostravitque virum celeri per pectora telo.
  Accessere, nefas! tenebris fallacibus acti
Tyndaridæ in sese. Castor prius ibat in ictus
Nescius: ast illos nova lux, subitusque diremit
Frontis apex: tum Castor Ityn, qua cærulus ambit
Balteus, et gemini committunt ora dracones;

178. *Attonitus cervice.* Junt. Engent. — 182. *Diversus agens.* Bonon. cod. edd. ante Carr. Ed.

177. *Quem te qualemque*, quam deformem, *videbit attonitus*, *Crenæe*, *parens!* non agnoscet, oculis non credet, te esse, qui antea tam formosus eras. *En frigidus somnus* mortis *orbes*, oculos (vide 739), *purpureos*, vividos, vegetos, pulchros omnino (v. *Jani* ad Horat. Od. IV, 1, 10, et infra, 422, *purpureum sal*), *obit*, subit: *jam candor*, candidus faciei color, *et anni*, juvenilis vigor, *deficiunt*.

181. *Desere nunc nemus, et nympharum durus amores.* Irrisio, uti paulo ante: *I nunc.* Antea ita pulchritudine superbiebas, ut nymphas contemneres, silvasque relinqueres; jam vero idem aude, si potes. —Quod apud Valerium eximio affectu plenum, frigidum fecisse videtur interpretatio. Et primum, *attonitus*, v. 178, non significat idem quod gall. *étonné*, sed repentino dolore, tanquam ictu fulmineo, percussus. Deinde, v, 181, nullus hic ironiæ locus: longissime abest ab irrisione omnis illa descriptio ad miserationem composita; hæc igitur verba, *desere nunc durus*, etc. capienda sunt hoc sensu: tene tam durum in te fuisse, ut, desertis nemoribus nymphisque dilectis, arma capesseres! Ed.

182. *Hylas.* Hic *diversa turbantem*, alia campi parte pugnas cientem, *Sagen nervo fallere*, sagitta prius missa occupare, prævertere, occulto ferire, quamquam *puer*, tamen *ausus primum* experimentum facere fortitudinis, *spes maxima bellis*, magnam herois futuri spem de se excitans, *si prospera*, propitia, *Juno sinat*, non impediat.

186. *Castor et Pollux.* Parum abfuit, quin alter alterum conficeret. *Accessere* (*nefas*) (eheu!) *tenebris fallacibus acti in sese*, *ast illos nova lux subitusque frontis apex*, flam-

Frater Hagen, Thapsumque, securigerumque Nealcen
Transigit, et Canthi pallentem vulnere Cydrum.
Torserat hic totis connisus viribus hastam
Venatori Erymo: brevis hanc sed fata ferentem
Prodidit, et piceo comitem miserata refulsit
Luna polo; cessere jubæ, raptumque per auras
Vulnus, et extrema sonuit cita casside cuspis.
Nisæum Telamon, et Opheltem vana sonantem,
Per clipei cedentis opus, partemque trilicem,
Qua stomachi secreta, ferit, lætusque profatur:
« Di, precor, hunc regem, aut æque delegerit alta
Fors mihi gente satum, magnusque et flebilis urbi

191. *Nealee.* Vatic. cod. *Frater Hagen, Tapsum securi, Gerumque Nealce.* Bonon. cod. — 197. *Cuspide cassis.* Codd. et edd. ante Carr. — 199. *Artemque.* Vatic. cod. Ed.

mula, quam nuper galeis eorum Jupiter addiderat (v. supra I, 571), jam subito visa *diremit.* Alios igitur aggrediuntur, et Castor quidem *Ityn, qua cærulus ambit balteus, et gemini committunt ora dracones*, ubi cingulum fibula continebatur, in qua duo serpentum capita ita conserta erant, ut mordere se invicem viderentur. Vid. infra VI, 59, *tereti serpens dat vulnera gemmæ;* Ovid. Met. VIII, 328: *mordet fibula vestem;* Q. Curt. III, 3: *pallam ....aurei accipitres, velut rostris inter se congruerent, adornabant.*

191. *Pollux* alios, inter eos et *Cydrum*, qui *totis connisus viribus* (sic recte, non *connixus*) hastam conjecerat in alium Cyzicenum, *venatorem Erymum:* sed hanc hastam *fata ferentem*, mortiferam, *luna brevis*, nubibus aliquantisper emicans, Diana *comitem*, venatorem, *miserata, prodidit*, in conspectum dedit, ita ut Erymus levi capitis motu hastam declinare posset; *jubæ cessere*, crista quidem galeæ feriebatur, sed *raptum per auras vulnus*, aer divisus est ictu, *et extrema sonuit cita casside cuspis*, velox lancea non nisi extremam stringebat galeam.

198. *Telamon Opheltem vana sonantem*, jactantem sine dubio generis nobilitatem, *per cedentis clipei opus* (μέγα ἔργον, χρῆμα), *partemque* (melius et magis poetice *cratem*, quod reponi suadet Gesner. Thes. v. *trilix*) *trilicem*, triplici catenularum invicem consertarum ordine munitam, *qua stomachi secreta*, ubi stomachum clipeus tegebat, *ferit.*

201. *Hunc regem, aut æque alta gente satum fors mihi delegerit.* Sic strue verba, et ita mecum intellige: Dii, precor, ut in hoc jactatore vel regem, vel alium non admodum rege inferiorem, mihi fortuna objecerit, *magnusque et flebilis urbi con-*

Conciderit ». Super addit Aren, fratremque Melanthum,
Phoceaque Oleniden, Lelegum qui pulsus ab oris,
Regis amicitiam, et famuli propioris honores
(Qua patiens non arte ?) tulit; nox alta cadentum
Ingentes donec sonitus, augetque ruinas.
Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Vesvius, attonitas acer quum suscitat urbes :
Sic pugnæ crudescit opus : neque enim ignea cedunt
Astra loco, lentis hæret nox conscia bigis.
    Perge, age, tartareæ mecum simul omnia noctis,
Musa, sequi. Trepidam Phaethon afflavit ab alto

204. *Phorea.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 206. *Non alte.* Junl. vitiose. Vid. Burm. not. — 207. *Donat sonitus.* Pius, Carr. cod. Eugent. *Duplicat.* Pius, Ald. *Denset.* Gron. Heins. ed. *Resonat* vel *reboat.* Heins. — 210. *Crebrescit.* Codd. et edd. ante Carr. — 212. *Semel.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Ed.

ciderit, cui eo majus damnum hoc interfecto infligam.

203. Huic addit præter alios *Phocea; Lelegum*, Ioniæ, *qui pulsus ab oris regis amicitiam et famuli propioris honores (qua patiens non arte ?) tulit.* h. e. qui, quamquam externus et exsul, tamen ad amicitiam Cyzici regis, et interiorem adeo admissionem (sed quibus artibus, quaque patientia?) sese evexerat.

206. Et sic Telamon sævire perrexit, donec *nox alta cadentum ingentes sonitus ruinasque augeret :* cadentium prolapsus ob noctis silentium gravius ad aures accidebat, quod noctu fieri experientia docet.

208. *Ut magis Inarime* (alias Aenaria, Pithecusa, hodie Ischia, insula prope Neapolin, Typhoeo imposita, Virg. Æn. IX, 716, ubi, si plura cupias, vide Heynium in peculiari excursu), *ut magis mugitor* (ornatus causa adjectum), *Vesvius*, Vesuvius mons (infra IV, 507, *Vesevus*), *anhelat*, *attonitas* terræ motibus et igne eructato *suscitat*, concutit, *urbes : sic pugnæ crudescit opus*, magis cruenta fit pugna nocturna : neque *enim ignea cedunt astra loco*, solito diutius in cælo morari sidera videntur, et *lentis hæret nox conscia bigis*, consulto, de industria, longius durat. Sic igitur, veste poetica detracta, inde a versu 206, omnia apte cohærent, nec desideraveris ornatum poeticum in *mugitore anhelante* (respicit autem gigantem ignivomo monte pressum), *in nocte conscia, lentis bigis hærente.* De curru noctis vid. II, 295, et omnino cel. *Eichstaedt*, Quæst. philol. p. 15—16.

212. Anhelat ipse poeta, et musam denuo in subsidium vocat, ut *tartareæ*, horrendæ, *noctis omnia sequentem*, enarraturum adjuvet.

213. *Phaeton*, Sol ipse, uti apud

Tisiphonen, graviorque locos jam luce propinqua
Umbra premit; non signa virum, non funera cernunt,
Et rabie magis ora calent. Vos prodite, divæ,
Eumenidum noctisque globos, vatique patescat
Armorum fragor, et trepidi singultibus agri
Labentum, atque acti Minyis per litora manes.
Cyzicus hic aciem vanis discursibus implet,
Fata trahens; jam pulsa sibi cessisse Pelasgum
Agmina, jam passim vacuos disjecta per agros
Credit ovans, tales aditus, ea gaudia fingit
Ira deum: fundo veluti quum Cœus in imo

218. *Tepidi.* Codd. et edd. ante Heins. — 223. *Auditus.* Vatic. et Bonon. codd. *Abitus.* Ald. *Obitus.* Voss. — 224. *Quum cessit in imo.* Bonon. I et II. *Quum Cœus in imo.* Jam Ald. post Sabell. et Pium. En.

Virg. Æn. V, 105, *afflat Tisiphonen*, equorum Solis afflatum, adventum sentit furia, et quidem *trepida*, quoniam non nisi noctu furiis vagari licebat, uti et umbris et manibus ad infera loca sub diluculum redeundum erat. Vid. Heyn. ad Virgil. Æn. VI, 538; V, 739; et Rupert. ad Sil. Ital. XIII, 808.

214. *Gravior locos jam luce propinqua umbra premit*, densiores adeo tenebræ totum campum obnubilare videntur; *non signa virum, non funera cernunt*, discernere viros non poterant, quos interficerent.

216. *Vos, prodite, divæ*, musæ, *eumenidum noctisque*, furiarum extrema nocte, ubi longiori moræ locus non esset, grassantium *globos*, conferta agmina.

218. *Trepidi singultibus labentum agri*, audax et difficile intellectu: melius *tepidi*, quod Bononiensis habet, recenti nempe sanguine, quem moribundi singultantes ejecerant.

220—242. Ipsius Cyzici cædes narratur. *Cyzicus aciem vanis discursibus implet*, per totam aciem discurrit ausu inani, *fata trahens*, morti ipse propinquus. Triumphantis quidem more sibi persuaserat, Pelasgos a se fusos, sed *tales aditus*, falsam de Pelasgorum adventu opinionem (nisi malis *animos*), *eaque gaudia immiserat ira deum*, numinis alicujus, Cybeles.

224. *Veluti quum Cœus*, Cæli ac Terræ filius, Titanum maximus (Hesiod. Theog. 133, 134; Virgil. Æn. IV, 179) *fundo in imo* Tartari, si quando ipsi contigit, *adamantinas*, durissimi ferri, chalybis, *catenas fractas Jovis* post se *trahere, vocatque* lætabundus, fortunam suam narraturus, *Saturnum Tityonque*, notum illum Gigantem, qui apud inferos *per novem jugera porrectus* jacebat (Virgil. Æn. VI, 595 sq.), *spemque ætheris amens concipit*, et stolide ad superos se evasurum cre-

Vincla Jovis fractoque trahens adamante catenas,
Saturnum Tityonque vocat, spemque ætheris amens
Concipit; ast illum; fluviis et nocte remensa,
Eumenidum canis, et sparsæ juba reppulit hydræ.
Sævit acerba fremens, tardumque a mœnibus agmen
Increpitat: « Numquamne dolor virtute subibit
Nil ausas sine rege manus? at barbara buxus
Si vocet, et motis ululantia Dindyma sacris,
Tunc ensis placeatque furor; modo tela sacerdos
Porrigat, et jussa sanguis exuberet ulna ».
Talibus insultans jam dudum numine divæ
Deficit; infracti languescunt frigore cursus;
Corda pavent; audit fremitus irasque leonum,

225. *Unda Jovis.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Urna.* Junt. *Vincla.* Jam Ald. iisdem ducibus. — 226. *Amans.* Vatic. cod. — 231. *Nil ausæ.* Bonon. cod. — 232. *Et votis.* Junt. Ald. Gryph. Voss. *Motis.* Jam Maser. — 234. *Et justa* sanguis exuberet *urna.* Codd. et edd. *Jussa . . . . . ulna.* Heins. post Grot. et Voss. Ed.

dit; *ast illum fluviis*, Styge, Phlegethonte, et *nocte*, tenebris Tartari, *remensa*, post se relicta, *eumenidum canis* (singul. pro plur. Apollon. Rhod. IV, 1665: Ἀΐδαο θοαὶ κύνες), furiarum comites et ministri (de quo vocis *canis* usu vide Ruhnkenium Epp. crit. p. 93 sq.), *et sparsæ juba hydræ*, earumdem furiarum angues circum capita sibilantes, *reppulit*. Idem igitur accidit Cyzico.

229. *Sævit acerba*, cum acerbitate, *fremens*, *tardumque a mœnibus*, quod ex urbe non approperet, *agmen increpitat: Nunquamne dolor virtute* (melius, *dolor virtusque*, virtus dolore excitata) *subibit nil ausas sine rege manus*, cives meos, nil sine me, nisi me duce, audentes? At longe alacriores estis, *barbara*, phrygia, berecynthia, *buxus*, tibia, *si vocet* (vid. Æn. XI, 737), *et motis ululantia Dindyma sacris* (*movere* vox solemnis de apparatibus dierum festorum annuorum. Sic ancilia movebant Salii), *tunc ensis placeatque furor, modo tela sacerdos*, cui magis lubenter paretis, quam regi, *porrigat, et jussa sanguis* (producta per licentiam poeticam posteriori syllaba) *exuberet ulna*, et ex præcepto Corybantum sanguis large ex brachiis incisis fundatur. Vid. *sanguineos lacertos*, supra, 20; infra, VII, 635; VIII, 239; in primis Lucretium, II, 631 sq.

235. *Talibus*, tam acerbis dictis, *insultans*, nec civibus solum, sed ipsi etiam deæ, *jam dudum numine divæ deficit*, vires deficere sentit; *infracti*, debilitati, inhibiti, *lan-*

Cornuaque, et motas videt inter nubila turres.
Tunc gravis, et certo tendens stridore per umbras,
Æsonii venit hasta ducis, latumque sub imo
Pectore rumpit iter. Quam nunc incognita vellet
Lustra sibi, nullisque datos venatibus annos!
Talia magnanimi diverso turbine fundunt
Tela viri, sonituque pedum, suspectaque motu
Explorant; prensant socios, vocemque reposcunt.
Quod si tanta lues-seros durasset in ortus,
Exstinctum genus, et solas per mœnia matres
Vidisset, stratamque dies in litore gentem.
  Tum pater omnipotens, tempus, jam rege perempto,
Flectere fata ratus, miserasque abrumpere pugnas,
Supremam celeravit opem; nutuque sereno

239. *Umbram*. Codd. et edd. ante Carr. — 242. *Nullosque*. Codd. et edd. præter Ald. quæ jam *nullis*. — 244. *Sonitusque*. Codd. et edd. ante Carr. II. Vid. Burman. — 246. *Quod si tanta Jovis seros*. Vatic. Bonon. et Carr. codd. Bonon. I et II. Junt. *Q. s. t. solis lues* pro *q. s. t. lues solis*. Ald. *Q. si Titanidis seros* vel *Tithoniæ*. Sabellicus. *Titanis*. Maser. Gryph. *Tithonis*. Carr. I. — 251. *Celebrabit*. Vatic. cod. *Celebrabat*. Bonon. cod. Bonon. I. Junt. *Celerabat*. Bonon. II. Maser. Ald. Col. *Celeravit*. Jam Pius. Ed.

guescunt frigore cursus; corda pavent; et, ne dubius maneat, unde hæc sibi accidant, *audit fremitus irasque leonum*, currui Cybeles junctorum, audit *cornua*, sonitum instrumentorum musicorum, *motas videt inter nubila turres*, coronam ipsius Cybeles turritam.

239. Tunc advolat certa et gravis Jasonis hasta, *latumque sub imo pectore iter rumpit*, aperit, patefacit (vid. I, 4; VI, 139), late hians infligit pectori vulnus.

241. *Quam nunc incognita vellet lustra*, ferarum latibula, silvas, *nullisque datos venatibus annos*, nullum venando tempus consumptum.

243. *Talia viri* fortes utrinque *tela fundunt, sonituque pedum motuque suspecta explorant*, arrectis auribus ad levissimum quemque pedum vel corporum motum suspiciosi, *prensant socios vocemque reposcunt*, ipsos sodales in tenebris corripiunt, et excubiarum nostrarum more acclamant.

246. *Quod si tanta lues*, cædes, diluculo non esset dirempta, orta dies nil nisi feminas in urbe, mares per littora stratos vidisset.

249. *Jam* vero, *rege perempto*, Jupiter ipse, ad pugnam dirimendam, opemque ferendam, *sereno cælo intonuit*, ut præsentiam numi-

Intonuit, quem nocte satæ, quem turbidus horret
Armipotens: tunc porta trucis coit infera belli.
Continuo dant terga metu, versique per agros
Diffugiunt; quæ sola salus: nec terga ruentum
Mens Minyis conversa sequi; stetit anxia virtus.
Ecce, levi primos jam spargere lumine portus
Orta dies, notæque, nefas! albescere turres.
« Di maris, attonito conclamat ab agmine Tiphys,
Ut mea fatali damnastis pectora somno!
Heu socii quantis complerunt litora monstris! »
Illi autem neque adhuc gemitus, neque conscia facti
Ora levant; tenet exsangues rigor horridus artus:
Ceu pavet ad crines, et tristia Pentheos ora

253. *Effera.* Bonon. cod. — 254. *Aversique.* Codd. et edd. ante Carr. — 257. *Primo.* Codd. et edd. ante Heins. Ed.

nis sui manifestam faceret, quo territæ *nocte satæ*, noctigenæ Furiæ (vid. Virgil. Æn. VII, 331), territus *armipotens* Mars, ut ab hac pugna desisteret; *tunc porta trucis coit infera belli*, Tartarus clausus, qui Furias emiserat. Variant libri in *infera*, et nonnulli habent *effera*, quod Heynius, Exc. 9, ad Virgilii Æn. I, præfert, cujus versiculum 293 ob oculos habuisse Flaccus videatur.

254. Cyziceni fugiunt; *quæ sola salus;* nec persequi eos Argonautis animus est; *stetit anxia virtus*, quamquam fortes, consistunt tamen, timentes, ne forte dolus simulatæ subsit fugæ.

257. Ecce die illucescente *primos* (pro *primum*, *demum*) *portus lumine sparsos*, vident; *notæque, nefas! albescere turres*, ædificia, eheu! bene sibi cognita, e tenebris procedentia conspiciunt.

259. Dii maris, exclamat Tiphys, *ut mea fatali damnastis pectora somno*, quam tristem oculis meis somnum immisistis! *quantis monstris*, quam inopino fœdoque spectaculo litora *socii* cæsi *complerunt!*

262. Argonautæ ipsi, nimis attoniti adhuc, stupentes, exsangues adstant, quam ut gemitum pudoremque de facinore a se perpetrato verbis exprimere possint.

264. Stupent haud secus ac *Thyas ad crines et tristia Pentheos ora, ubi impulsæ jam se deus agmine matris abstulit, et cæsi vanescunt cornua tauri.* Hæc omnia lucem accipient, si memineris de rege Thebarum *Pentheo:* qui quum sacra Bacchi in urbem noluisset admittere, deus iste, hunc sui contemptum ulturus, matrem et materteras regis, thyadas, mænades, bacchas, ita obcæcavit, ut in tauri (alii habent *aprum*, v. c. Ovid. Metam. III, 714, quem

Thyas, ubi impulsæ jam se deus agmine matris
Abstulit, et cæsi vanescunt cornua tauri.
Nec minus effusi grandævum ad litora vulgus,
Ut socias videre manus, dare versa retrorsus
Terga metu; dextram tendens proclamat Iason:
«Quos fugitis? vellem hac equidem me strage meosque
Procubuisse magis: deus hæc, deus asper utrisque
Implicuit; sumus en Minyæ, sumus hospita turba!
Cur etiam flammas miserosque moramur honores?»
Tum super exsangues confertæ cædis acervos
Præcipiti plangore ruunt; agnoscit in alta

272. *En Minyæ.* Edd. præter Ald. et Carr. II. In Vatic. cod. deest *sumus* ante *hospita*. Ed.

omnino consuluisse non pœnitebit) specie sibi objecta, Penthea ipsum dilacerarent; sed quum furor a deo immissus resideret, non tauri cornua, sed crines confusos, et cruore tinctos, et *tristia Pentheos ora*, caput, faciem, coram videndo, stupentes adstiterunt.

267. *Nec minus effusi grandævorum*, senum, *ad litora vulgus* (*vulgus effusi?* quid putas, Prisciane? Sed erravit Valerius meus, præeunte Virgilio, qui Æn. VI. 660, habet: manus *ob patriam pugnando vulnera* passi), quum vero *socias*, suorum, *viderent manus cæsas*, fugiunt retrorsum; sed eis acclamat Jason.

270. *Quos fugitis?* Propius intuemini, qui sint, quos fugitis. Mallem me meosque hac strage potius occubuisse: *deus hæc, deus asper utrisque implicuit*, numinis alicujus, utrisque infesti, ira hoc immisit malum; Argonautæ *sumus*, *hospita turba*, hospites modo digressi.

273. *Cur flammas miserosque moramur honores?* Age, quum factum infectum fieri nequeat, triste officium mortuis faciamus. Jason urgere nimis justa facienda videtur. Melius fecisset, si jussisset inquiri, an nonnulli fortasse spiritum adhuc traberent, servarique possent.

—Immerito culpatur Valerins, si quidem interfectorum corpora statim post pugnam cremari antiquitus usitatum. Vide Virgil. Æn. XI, 2: *Æneas, quamquam sociis dare tempus humandis Præcipitant curæ*, ubi vides præcipuam fuisse hnmationis curam, quippe quæ Teucrorum ducem urgeret, immo *præcipitem* ageret. Præterea quid vetat uno eodemque tempore fieri, quod Wagnerus ante omnia curandum præcipit? Non cremabantur profecto spirantium adhuc corpora. Ed.

275. Matres conjugesque, filios maritosque agnoscunt ex vestibus acu pictis, aliisque donis. It gemitus toto cælo per *æquora sinuosa* (*litora*

Strage virum sua texta parens, sua munera conjux.
It gemitus toto sinuosa per æquora cælo.
Pars tenues flatus, et adhuc stridentia prensant
Vulnera, pars sera componunt lumina dextra.
At vero, in mediis exsangui rege reperto
Aggeribus, tristi sileant ceu cætera planctu,
Sic famulum matrumque dolor, sic omnis ad unum
Versa manus; circa lacrimis ac mentibus ægri
Stant Minyæ, deflentque nefas, et cuspidis ictus
Æsoniæ, sortemque ducis solantur acerbam.
Ille ubi concretos pingui jam sanguine crines,
Pallentesque genas, infractaque pectore caro
Tela, neque hesternos agnovit in hospite vultus,
Ingemit, atque artus fatur complexus amicos:
« Te tamen ignarum tanti, miserande, furoris
Nox habet, et nullo testantem fœdera questu;
At mihi luctificum venit jubar: en quibus adsum
Colloquiis! cui me hospitio fortuna revexit!

278. *Fletus*. Codd. et edd. ante Carr. — 293. *Revinxit*. Junt. Maser. male. Ed.

sinuosa, II, 451-452); *pars tenues flatus*, spiritus emissi vim vitalem exiguam observant, et *adhuc stridentia*, sanguinis aliquid effundentia, *prensant vulnera* (vid. *stridentem spumam vulneris*, Ovid. Met. VIII, 417; et supra, 373), *pars sera*, certi de morte cognatorum, tandem *componunt*, comprimunt, *lumina dextra*.

280. Jam inventus etiam rex in mediis cadaverum aggeribus. *Tristi sileant ceu cætera planctu*, quasi hic solus esset lugendus, sic omnes ad eum concurrunt. Circumstant et Argonautæ, *deflentque nefas et cuspidis ictus Æsoniæ*, hastam Jasonis tam tristem cladem attulisse, *sortemque ducis acerbam*, Jasonem, qui se ipse accusat, *solantur*.

286. Jason, quum crines pingui sanguine concretos, pallidum vultum hastamque in caro amici pectore defractam videret, ingemit, et oratione, affectuum, miserationis præsertim et pudoris plena, mortuum ita alloquitur: *Te tamen ignarum tanti furoris nox habet*, at vero tu quodammodo felix prædicandus es, qui tam fœdum morte præveneris spectaculum, *et nullo testantem fœdera questu*, nec violata a me hospitii jura querentem.—Vid. ad calcem hujus libri not. 290. Ed.

Exstinguine mea (fatis hoc defuit unum)
Speravi te posse manu? talisve reliqui
Has ego, amice, domos? quod si jam bella manebant,
Et placitum hoc superis, nonne hæc mea justius essent
Funera, meque tuus potius nunc plangeret error?
Nec Clarii nunc antra dei, quercusque Tonantis
Arguerem? talesne acies, talesne triumphos
Sorte dabant? tantumne nefas mens conscia vatum
Conticuit, patriæ exitium crudele senectæ,
Et tot acerba canens? heu divis visa sinistris
Regna mihi! quinam reditus? quæ me hospita tellus
Accipiet? quæ non primis prohibebit arenis?
Invidere dei, ne, Phasidis arva remoti
Et Scythicas populatus opes, hæc rursus adirem
Litora, neve tuos irem tunc ultor in hostes.
Fas tamen est conferre genas; fas jungere tecum
Pectora, et exsangues miscere amplexibus artus.

294. *Jam defuit.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. *Id defuit.* Bonon. II. Pius, Engent. etc. — 298. *Potius* abest a Vatic. cod. *Melius nunc.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 301. *Tantumque.* Codd. et edd. ante Heins. — 305. *Cohibebit.* Carr. cod. et ed. II. Ed.

294. *Exstinguine mea speravi*, timere potui (nam *sperare* Latinis omnino est futurum aliquid exspectare), *te posse manu? Talis*, tam ingratus hospes, ut mox cruentus redirem hostis?

297. *Nonne hæc mea justius essent funera*, mihi potius moriendum erat, ... *meque tuus error nunc plangeret*, tu potius me a te inscio interfectum plorares?

299. *Nec Clarii nunc antra dei*, Apollinis, qui præter alia loca, etiam in urbe Colophoniorum Claro, et ex antro quidem, oracula edebat, *quercusque* silvæ Dodoneæ *Tonantis*, Jovis, *arguerem*, incusarem, quæ mihi talia prælia, tales triumphos prædicerent? *Cur mens conscia vatum*, vates futurorum præscii, *qui patriæ senectæ exitium crudele*, necem patris senis canebant, cur hoc tantum nefas reticuere? — Vide, ad calcem hujus libri, novi editoris not. 302. Ed.

304. *Quæ me hospita*, hospitio, *tellus accipiet*, quæ non primo a litore arcebit? *Invidere dei*, spem lætam a me conceptam, fore, ut, reversus ex Scythia, tuas terras reviserem, tibique in bello contra Pelasgos fierem comes.

Vos, age, funereas ad litora volvite silvas,
Et socios lustrate rogos; date debita cæsis
Munera, quæ nostro misisset Cyzicus igni ».
Parte alia Clite laceras super ora mariti
Fusa comas, misera in planctus vocat agmina matrum,
Fatur et hæc: « Primis conjux ereptus in annis
Cuncta trahis; necdum soboles, nec gaudia de te
Ulla mihi, quis mœsta tuos nunc, optime, casus
Perpeterer, tenui luctum solamine fallens.
Mygdonis arma patrem, funestaque prælia nuper
Natales rapuere domos; Triviæque potentis
Occidit arcana genitrix absumpta sagitta:
Tu, mihi qui conjux pariter fraterque parensque
Solus, et a prima fueras spes una juventa,

315. *Planctum*. Junt. Ald. Colin. etc. — 321. *Fatales rapuere*. Carr. cod. male. Ed.

311. *Volvite silvas* (utraque vox auget: hæc multitudinem lignorum, illa laboris magnitudinem exprimit); *socios*, sociorum, amicorum, *lustrate rogos*, circumeatis, *date munera, quæ nostro misisset Cyzicus igni*, rogo, in quo mallem imponi. Ed.

314. Jam mortui regis conjugem in scenam producit Valerius. *Clite laceras super ora mariti fusa comas* (græca forma, pro: laceris comis sese effundens), sic fatur: *primis conjux*, conjugii, *ereptus in annis, cuncta trahis*, omnia tecum mihi pereunt: *necdum soboles, nec gaudia* (gaudia sobolis) *quibus mœsta tuos nunc, optime, casus perpeterer*, quæ mœstitiam de morte tua levarent meam, *tenui* quidem *solamine* tantum *luctum fallens*.

320. *Mygdonis*, Phrygii regis, *arma*, bellum, *patrem et natales rapuere domos*, et patrem et patris hæreditatem eripuit; *Triviæque potentis occidit arcana genitrix absumpta sagitta*. Non addit, quid Dianæ iram in matrem concitaverit, nec aliunde constat; exposuerim igitur de febri maligna, quam Apollinis et Dianæ sagittis adscribere solere poetas, vel ex Hom. Il. I, novimus.

323. Nunc adeo *tu*, qui mihi omnia eras, *et conjux et frater et parens et unica spes a prima juventa* (puella sine dubio fuerat pacta), *deseris, totamque deus simul urbem impulit*, concussit (quia improlis successorem non reliquerat). Conferri in primis meretur Ovid. Her. XII, 162, ubi Medea: *Deseror, amissis regno patriaque domoque, Conjuge, qui nobis omnia solus erat.* —Homer. Il. VI, 429, σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, etc. Ed.

Deseris, heu, totamque deus simul impulit urbem!
Ast ego non media te saltem, Cyzice, vidi
Tendentem mihi morte manus, aut ulla monentis
Verba tuli; quin et thalamis modo questa morari,
Heu talem tantique metus secura recepi?»
Illam vix gemino mœrens cum Castore Pollux
Erigit hærentem, compressaque colla trahentem.
Interea innumeras nudatis montibus urgent
Certatim, decorantque pyras, et corpora mœsti
Summa locant; vadit sonipes cervice remissa;
Venatrix nec turba canum pecudumque morantur;
Funereæ quæ cuique manus, quæ cura suorum,
Quæ fortuna fuit. Medio rex aggere longe

330. *Geminam.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Colin. etc. *Gemino.* Jam Bonon. II. Ald. — 335. *Turma.* Vatic. cod. — 337. *Longo.* Codd. et edd. ante Carr. *Longe.* Jam Pius. Ed.

326. *Utinam* saltem morienti tibi adfuissem! *vidissem tendentem mihi manus, monentis*, præcipientis, jussa et mandata percepissem! *quin et thalamis modo questa morari*, quæ paulo ante tacite mecum, quod nondum redires in urbem, querebar, *heu talem*, jam mortuum, *recepi, tantique metus secura*, alia omnia, qnam tuum obitum, metuens.

330. Ita eam in *compresso* mariti *collo hærentem* mœsti ipsi Castor et Pollux vix erigere potuerunt.

332. Interea *nudatis montibus* (tot arbores ceciderant, vid. Sil. Ital. III, 640.), *innumeras* et *certatim* quidem *pyras urgent*, deproperant, *decorantque*, exornant, et *corpora mœsti summa*, in summa rogorum planitie, *locant: vadit sonipes*, equus, *cervice remissa*, languide; *venatrix nec turba canum pecudumque morantur*, adducuntur, simul cremandi, quod pluribus etiam nunc barbaris gentibus in more esse constat.

336. *Funereæ quæ cuique manus, quæ cura suorum, quæ fortuna fuit.* Locus perplexus et brevitate laborans. De *manibus* in primis hæreo, quas si licuerit interpretari de manibus in funere parando occupatis, totum locum ita intelligerem: cognatorum quisque manu sedula raptim contulerat, quæ mortuis cara in primis fuisse nosset, ad rogum exornandum, prout fortuna vel amplior, vel tenuior, permitteret. Mihi tamen nondum satis facio. Omnino deesse verbum videtur, quod latet fortasse in *quæ cuique*. Quid? si legas *funereæque tulere manus?* — Vide ad calcem hujus libri not. 336. Ed.

337. Medio aggere rex longe emi-

Eminet; hunc, crebris quatiens singultibus ora,
Allevat Æsonides, celsoque reponit in ostro.
Dat pictas auro atque ardentes murice vestes,
Quas rapuit telis festina vocantibus austris
Hypsipyle; galeam dilectaque cingula regi
Injicit; ille, suam vultum conversus ad urbem,
Sceptra manu veterum retinet gestamen avorum.
Nam quia nec proles, alius nec denique sanguis,
Ipse decus regnique refert insigne paterni.
Inde ter armatos Minyis referentibus orbes,
Concussi tremuere rogi; ter inhorruit æther,
Luctificum clangente tuba; jecere supremo
Tum clamore faces: rerum labor omnis in auras

341. *Fortuna*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. *Furtiva*. Bonon. II cum Sabell. *Formosa*. Junt. Ald. Colin. *Festina*. Bene Carr. cod. — 342. *Regni*. Codd. et edd. præter Bon. II. — 343. *Vultus*. Codd. et edd. ante Heins. — 346. *Parentis*. Vat. et Bon. codd. Junt. Col. *Parentumque*. Ald. ex Pio qui etiam *paterni* habet. — 347. *Inde per*. Codd. Bonon. I et II. Junt. *Ter*. Jam Egnat. Pius, Maser. Ald. Engent. etc. et Bonon. cod. pro varia lectione. — 350. *Cum clamore*. Carr. Ed.

net, quem Jason ipse, *crebris quatiens singultibus ora*, dolorem gemitu et lacrymis large fluentibus declarans, *celso reponit in ostro*, rogo elatiori, purpureo velamine ornato.

340. *Dat vestes, quas telis festina rapuerat, vocantibus austris, Hypsipyle*, quas vix ob subitum Jasonis abitum absolvere potuerat: *galeam porro dilectaque*, quæ carissima haberet, *cingula* rogo *injicit*.

343. Rex vero ipse vultu ad urbem converso jacuit, manu gestans sceptrum avitum. Nam quoniam nec *proles*, filius, *nec alius sanguis*, cognatus superstes est, *ipse decus paterni regni*, sceptrum, *refert*, gestat, fert secum, (gall. *remporte avec lui*. Ed.)

347. *Inde ter armatos Minyis referentibus orbes*, ter eumdem orbem repetentibus, circa rogum decurrentibus, quod et Romanis in usu fuit (Virgil. Æn. XI, 188, *Ter circum accensos cincti fulgentibus armis Decurrere rogos;* Apollon. I, 1059: τρὶς περὶ χαλκείοις σὺν τεύχεσι δινηθέντες τύμβῳ ἐνεκτερέϊξαν), *concussi* sonitu pedum *tremuere rogi*; tum *jecere faces*, incenderunt rogos, *supremo clamore*, cum ultima conclamatione, an forte in vitam redituri sint mortui.

350. *Rerum labor omnis*. Burmannus cum Gronovio malit *regum* i. e. Argonautarum: ego vero nil muto; quidni enim interpreteris: res omnes multo cum labore congestæ, li-

Solvitur, et celsis collucent æquora flammis.
Scilicet hæc illo juvenem populosque manebant
Tempore, Peliacis caderet quum montibus arbor;
Hoc volucrumque minæ, præsagaque fulmina longo
Acta mari tulerant: sed quis non prima refellat
Monstra deum, longosque sibi non auguret annos?
Jamque solutus honos cineri; jam passibus ægris
Dilapsæ cum prole nurus; tandemque quiescunt
Dissona pervigili planctu juga, qualiter, Arctos
Ad patrias avibus medio jam vere revectis,
Memphis, et aprici statio silet annua Nili.
At non inde dies, neque jam magis aspera curis

359. *Vada*. Vatic. et Bonon. codd. Pius, Maser. Col. Carr. II. *Vaga*. Bonon. I. Junt. Ald. Carr. I. *Juga*. Jam Bonon. II. *Arces*. Junt. Col. *Agros*. Carr. *Arctos*. Jam Bonon. II. Ald. — 362. *Jam* abest a Vatic. cod. *Neque magnis*. Carr. Ed.

gna, vestes, dona, etc. *in auras solvuntur*, et *celsis collucent æquora flammis*, omnia absumuntur igne tam alte in aera surgente, ut et campi, et mare ipsum, longe fulgeant. Vid. Virg. Æn. V, 4. Ed.

352. Scilicet hæc *manebant* fato destinata Jasoni sociisque.

— *Juvenem populosque*, i. e. ut nobis videtur, Cyzicum et Cyzicenos, hoc prælio interemptos; hunc enim sensum postulant hæc verba: *sed quis longos sibi non auguret annos?* Ed. — *Peliacis caderet quum montibus arbor*, ex quo expeditionis nauticæ consilium ceperant Argonautæ; *hoc volucrum minæ*, auguria sinistra, *fulminaque præsaga*, malorum prænuntia, significaverant. *Sed quis non prima refellat monstra deum?* ea nimirum est natura, idque ingenium mortalium, ut omina a diis immissa nihil ad se pertinere credant, ut ad ostenta increduli sint, *quis longos sibi non auguret annos?* Verissime dictum.

357. *Dilapsæ passibus ægris* (mœstitia lentos facit gressus) *cum prole nurus*, uxores et liberi; *tandemque quiescunt dissona pervigili planctu juga*, silent per montes dissonæ per totam noctem auditæ voces. Non secus ac oræ Ægypti, ab avibus patriam, vere ineunte, repetentibus relictæ, quod ita effertur: *qualiter, Arctos ad patrias*, ad septemtrionalem plagam, *revectis avibus*, *Memphis*, Ægyptus omnino, *et aprici*, calidioris, *statio silet annua Nili*, ad quem quotannis mitius per hiemem cælum quærunt aves nonnullæ. Totus locus adumbratus ex Virgilio, Æn. X, 265 sq.

362. At nec *dies*, nec diem proxime excipiens *nox aspera curis*, quæ asperas secum affert curas, *Minyas*

Nox Minyas tanta cæsorum ab imagine solvit:
Bis Zephyri jam vela vocant; fiducia mœstis
Nulla viris; ægro assidue mens carpitur æstu;
Necdum omnes lacrimas, atque omnia reddita cæsis
Justa putant; patria ex oculis, acerque laborum
Pulsus amor, segnique juvat frigescere luctu.
Ipse etiam Æsonides (quanquam tristissima rerum
Castiganda duci, vultuque premenda sereno)
Dulcibus indulget lacrimis, aperitque dolorem.
Tum secreta trahens Phœbeum ad litora Mopsum:
« Quænam, ait, ista lues, aut quæ sententia divum?
Decretusne venit fato pavor? an sibi nectunt
Corda moras? cur jam immemores famæque larisque
Angimur? aut pariet quemnam hæc ignavia finem? »

367. *Sacerque.* Vatic. el Bonon. codd. *Sacer atque.* Edd. ante Carr. — 374. *An tibi.* Codd. et edd. præter Ald. quæ jam *sibi* reposuerat post Pium. — 375. *Quum immemores.* Vatic. cod. *Quum jam immemores.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Cur immemores.* Carr. Ed.

ab tanta cæsorum imagine solvit, oculis animisque obversari pergit amicorum eædes. Venti flant secundi, nec tamen fiducia ulla; nondum justa omnia mortuis fecisse sibi videntur; patriæ laborisque immemores, *segni*, otioso, *luctu* torpent.

369. Ipse Jason, *quamquam tristissima rerum castiganda duci, vultuque premenda sereno* (sententia egregia! quo tristiora sunt, quæ duci exercituique ejus accidunt, eo magis dolorem reprimere vel occultare, uti v. 718, vultumque serenum atque confidentem decet præferre), *dulcibus indulget lacrimis*, quibus animam levari sentit, *aperitque*, non dissimulat, *dolorem.* Gemere adeoque lacrimari heroibus ipsisque diis haud indecorum habuerunt inde ab Homero poetæ. — Quam sententiam Valerius effert, v. 369—370, eam Virgilianus Æneas ipso usu et exemplo docet, Æn. I, 212: *curis ingentibus æger Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.* Ed.

372. Tum in secretum abducit *Phœbeum* vatem, augurem *Mopsum*, causas mali ab eo exquisiturus. *Decretusne venit fato pavor* a diis immissus, *an sibi nectunt corda moras?* an nos ipsi metu sponte animis concepto a prosequendo itinere retinemur? *cur jam immemores famæque larisque* (vid. paulo ante, 367, *patriæ laborumque amorem*) *angimur? aut pariet* (exquisite pro habebit) *quemnam hæc ignavia finem?*

« Dicam, ait, ac penitus causas labemque docebo,
Mopsus, et astra tuens : non, si mortalia membra,
Sortitusque breves, et parvi tempora fati
Perpetimur, socius superi quondam ignis Olympi,
Fas ideo miscere neces, ferroque morantes
Exigere hinc animas, redituraque semina cælo.
Quippe nec in ventos, nec in ultima solvimur ossa;
Ira manet, duratque dolor; quum deinde tremendi
Ad solium venere Jovis, questuque nefandam
Edocuere necem : patet illis janua leti,
Atque iterum remeare licet; comes una sororum
Additur, et pariter terras atque æquora lustrant.
Quisque suos sontes, inimicaque pectora pœnis

377-416. Ad hæc responsnrus Mopsus philosophatur : doctrinæ autem ab eo propositæ summa hæc est: Animæ nostræ particulæ sunt naturæ divinæ et immortales ; nefas igitur est, alios interficere. Quod si qnis tamen fecerit, animæ interfectorum, injuriæ acceptæ memores, queruntur apnd jndices inferos, qui ad superos, furia comite addita, revertere eis permittnnt, nt de interfectoribns meritas sumant pœnas. Si qui vero inscii aliis mortem intulerint, hi sua ipsorum conscientia anguntur, piaculo tamen aliqno dolori possunt mederi suo.—Hoc philosophema Argonantarum ætate utique recentius, et e Platone haustum est, unde etiam rivulos deduxit Virgilius, Æn. VI, 724—755, ubi vid. Heynium ad versum in primis 743, qui et Nostrum laudare non neglexit. Sed singula videamns.

378. *Si mortalia membra* sunt, *sortitusque breves, et parvi tempora fati perpetimur*, exiguum vitæ nostræ spatium constitutum est, *socius superi quondam ignis Olympi*, nobis, quorum animæ olim purissimi ætheris particnlæ essent, *non fas ideo miscere neces*, non ideo licet, qnemcumque velimus, pro libito, vita privare, *ferroque morantes exigere hinc animas redituraque semina cælo*, manu violenta expellere corporibus animas in cælum reversuras.

382. *Quippe nec in ventos, nec in ultima solvimur ossa*, non ex toto morimnr, meliorque nostri pars perdnrat, *ira manet, duratque dolor*, sensus eorum, qnæ passi snmns, remanet; *quum deinde tremendi Jovis*, Plutonis (supra, I, 730, *Jupiter tartareus*), *ad solium venere, questuque nefandam*, indignam, *edocuere necem; patet illis janua leti*, Stygem renavigare permittitur; *comes una sororum*, Furiarum, *additur, et pariter terras atque æquora lustrant;* Furia auxiliante, interfectores ubique investigare atque persequi datur.

389. *Quisque suos sontes*, qui in-

Implicat, et varia meritos formidine pulsant.
At quibus invito maduerunt sanguine dextræ,
Si fors sæva tulit miseros, si proxima culpæ,
Hos variis mens ipsa modis agit, et sua carpunt
Facta viros resides; et jam nihil amplius ausi,
In lacrimas, humilesque metus, ægramque fatiscunt
Segnitiem; quos ecce vides : sed nostra requiret
Cura viam. Memori jam pridem cognita vati
Est procul, ad stygiæ devexa silentia noctis,

392. *Sæva*. Codd. et edd. ante Heins. *Sed proxima culpa*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Colin. Carr. *Vel proxima culpa*. Bonon. II. Ald. *Si proxima*, pro var. lect. Bonon. cod. — 393. *Agitat*, *sua*. Junt. Maser. Ald. Col. — 394. *Fata viros*. Bonon. II. Vid. Burm. not. — 397. *Vate*. Codd. et edd. Ed.

justam necem intulerunt, *pœnis implicat*.

391. *At quibus invito maduerunt sanguine dextræ*, qui inscii cædem perpetrarunt, *si fors sæva tulit miseros*, *si proxima culpæ*, si facinus adscribendum est fortuito casui, qui non culpa quidem, sed proximus culpæ est, *hos* (*miseros*) *variis mens*, conscientia, *ipsa modis agit; sua carpunt facta viros resides* (melius fortasse cum Burmanno post *viros* incidas, ut *resides*, in primum casum abeat), conturbantur ita, ut languescere incipiant, *jam nihil amplius ausi*, animam despondentes, lacrimantur meticulosi, segnes exsistunt : *quos ecce vides* (δεικτικῶς), tales nos nunc sumus.

396. *Sed nostra requiret cura viam, memori jam pridem cognita vati.* (Sic reposui, jubente codice Burmanni, pro *vate*, quod sensu caret). *Cura nostra*, i. e. ego, et ad *vati* subintellige *mihi*; sic omnia clara : Ego viam iterum revisam, quam jam olim, bene enim memini, calcavi. —Recte, si posset jungi *viam* cum *cognita*, quartus cum primo casus : quum vero non ita sit, interpungendum sic, duce Burmanno : *sed nostra requiret Cura viam. Memori jam pridem cognita vati Est procul*, etc. *Cognita*, v. 397, jungitur cum *Cimmerium domus*, v. 399. Ed.

398. *Est procul, ad stygiæ devexa silentia noctis*, ornate pro inferorum regno, *Cimmerium domus*, *et superis incognita tellus* (ergo non in geographicis illa tabulis nostris inquirenda, sed a poetis effıcta, qui extremas mundi terras austrum et septentrionem versus Cimmeriis assignaverunt, et primo quidem ab Homero, Odyss. XI, 14 sq. quem Valerius expressit), *cæruleo*, nigro, *tenebricosa situ*, *quo sol nunquam flammea juga*, currum, *nec sidereos annos*, anni tempestates ab siderum motu pendentes, *mittit Jupiter*, hieme excepta; quæ nunquam calefit solis radiis. — Vide Cimmeriorum descriptionem apud Homerum, Odyss. XI, 14 sqq. Ed.

Cimmerium domus, et superis incognita tellus,
Cæruleo tenebrosa situ, quo flammea numquam
Sol juga, sidereos nec mittit Jupiter annos.
Stant tacitæ frondes, immotaque silva comanti
Horret verna jugo; specus umbrarumque meatus
Subter, et Oceani præceps fragor, arvaque nigro
Vasta metu, et subitæ post longa silentia voces.
Ensifer hic atraque sedens in veste Celeneus
Insontes errore luit, culpamque remittens,
Carmina turbatos volvit placantia manes.
Ille mihi, quæ danda forent lustramina cæsis,
Prodidit; ille volens Erebum terrasque retexit.
Ergo ubi puniceas oriens ascenderit undas,
Tu socios adhibere sacris, armentaque magnis

399. *Eumenidum*. Carr. — 402. *Stant citæ*. Vatic. cod. Bonon. I. Junt. *Cæcæ*. Bonon. cod. *Stant tacitæ*. Bonon. II. Maser. Ald. Col. — 412. *Adhibeto*. Edd. ante Heins. *Adhibere* in codd. exstare jam monuerat Pius. Ed.

402. *Stant* (quietem exprimit) *frondes tacitæ*, nulla ibi avis querula auditur; *immota silva comanti horret verna jugo*, ipso vere, si quod ipsi contingat, nulla tamen vel levi aura arbores in montibus agitantur, sed frigore horrent ac rigent; *specus umbrarumque meatus subter*, antra subterranea, per quæ defunctorum manes commeant; *Oceani præceps fragor* (pro *præcipitis Oceani*, sed sic sæpe transferunt epitheta poetæ), *arvaque nigro* (horrido, ut sæpe *atra cura*) *vasta metu*, tenebricosa, latissime patentia, formidine plena, *et subitæ post lunga silentia voces*, perpetua silentia raro eoque terrifico sonitu rupta.

406. *Ensifer hic atraque sedens in veste Celeneus* (nomen sine dubio a Valerio confictum, nam poetis epicis omnia definite, etiam nomina efferenda sunt) *insontes errore luit*, lustrat, purgat, *culpamque remittens, carmina turbatos*, læsos, *volvit*, ut Virgilii Sibylla folia, *placantia manes*.

409. *Ille mihi lustramina*, piacula, *prodidit*, indicavit: *volens*, sponte, benevole, *Erebum terramque retexit*, quid ad inferos placandos apud superos agendum sit.

411. *Ergo ubi oriens* sol *ascenderit* curru *undas* (nescio tamen, an melius Burmannus *accenderit* illustraverit, uti V, 370) *puniceas*, ab effectu, ut puniceæ appareant, colore purpureo tinctæ videantur, *tu socios sacris adhibere*, pro *adhibe*, more Græcorum, qui infinitivum ponunt pro imperativo. V. Dorvil. ad Chariton. p. 475, ed. Lips.

Bina deis; me jam cœtus accedere vestros
Haud fas interea, donec lustralia pernox
Vota fero. Movet en gelidos Latonia currus:
Flecte gradum, placitis sileant, age, litora cœptis ».
  Jamque sopor mediis tellurem presserat horis,
Et circum tacito volitabant somnia mundo,
Quum vigil, arcani speculatus tempora sacri,
Ampycides petit adversis Æsepia silvis
Flumina, et æquoreas pariter decurrit ad undas.
Hic sale purpureo, vivaque nitentia lympha
Membra novat, seque horrificis accommodat actis.
Tempora tum vittis et supplice castus oliva

413. *Bina*. Engent. etc. ex Pii comment. — 416. *Placidis*. Bonon. cod. — 417. *Oris*. Bonon. I et II. Vid. Pii et Maser. nott. En.

413. Me vero interea temporis vobis adesse *haud fas est*, religio prohibet, *donec*, quoad, quamdiu, *lustralia pernox vota fero*, preces fundo per silentia noctis expiatorias; et jam nox appropinquat, *movet en gelidos Latonia currus*, Luna refrigerare incipit terras. Lunæ currum jam supra vidimus, II, 295.

416. *Flecte gradum*, redeas ad socios, eosque mone, preces meas ne turbent, *placitis sileant, age, litora cœptis*.

417. Jamque media nox erat, quod poeta duobus versiculis amplificat: *sopor mediis tellurem presserat horis et circum tacito volitabant somnia mundo*. Sic enim poetæ tempora, enumeratis iis, quæ fieri quoque tempore solent, circumscribunt. Copiosiores sunt in hac noctis imagine pingenda Apollonius, III, 744, et Virgil. Æn. IV, 522 sqq.

419. *Vigil arcani sacri speculatus tempora*, justum temporis momentum rite servans, *Ampycides*, Mopsus, *petit adversis Æsepia silvis flumina*, Æsepum per proximas silvas defluentem, et inde in mare se projicientem.

422. *Hic sale purpureo* (recte, nam purpuram poetæ tribuunt omnino rebus pulchris, nitore in primis insignibus, vide supra, 179, *purpureos oculos*; Horat. Od. IV, 1, 10, *purpureos olores*; Virg. Ecl. X, 40, *purpureum ver*; Albinov. II, 62, *purpurea* (adeo) *nix*. *Sal purpureum* proprie tamen occurrit apud Strabonem, Lib. III, c. 3, p. 415, ed. *Siebenkees*, quod terendo candidum faciant Hispani), *vivaque lympha*, aqua, *membra novat*, abluit, *nitentia*, ut niteant, *seque horrificis accommodat actis*, parat omnia, quæ ad sacra diis inferis rite facienda pertinere sciret.

424. *Tempora tum vittis et supplice oliva*, quam supplices manu ferebant (ἱκετηρία. Vid. V, 362), *implicat*,

Implicat, et stricto designat litora ferro;
Circum humiles aras, ignotaque nomina divum
Instituit, silvaque super contristat opaca;
Utque metum numenque loco, sacramque quietem
Addidit, ardenti nitidum jubar evocat alto.
  Atque Argoa manus variis insignis in armis
Ibat, agens lectas aurata fronte bidentes.
Delius hic longe candenti veste sacerdos
Occurrit, ramoque vocat; jamque ipse recenti
Stat tumulo, placida transmittens agmina lauro;
Ducit et ad fluvios, ac vincula solvere monstrat
Prima pedum, glaucasque comis prætexere frondes
Imperat; hinc alte Phœbi surgentis ad orbem
Ferre manus, totisque simul procumbere campis.
Tunc piceæ mactantur oves, prosectaque partim

436. *Glaucaque*. Vatic. cod. *Glaucaque comas prætexere fronde*. Bonon. cod. et edd. ante Carr.

et stricto designat litora ferro, locum eligit in litore (*templum* vocabant augures; T. Liv. I, 7, 18); *circum aras humiles* (his enim dii inferi contenti esse debebant. Virgil. Æn. VI, 252), *ignotaque nomina divum instituit*, cuique aræ nomen aliquod dei, quanquam non nominatim, assignat (gentiles enim, ne quod forte numen negligerent, ἀγνώστοις etiam altaria erexisse δεισιδαιμονία docet Atheniensium, in Actis Apost. XVII, 23), *silvaque super contristat opaca*, multis densisque frondibus obumbrat; *utque metum numenque loco addidit:* locum ita adornaverat, ut sacrum quemdam horrorem reverentiamque in animis posset excitare. *Ardenti nitidum jubar excitat alto*, solem orientem provocat.

430. Sole orto, Argonautæ armis ornati incedunt, præ se agentes *lectas*, egregias, *bidentes*, oves, *aurata fronte*, cornibus deauratis. *Delius* (*Phœbeus*, 372) *hic sacerdos*, augur, *longe occurrit*, *ramoque vocat*, invitat, innuit, ut propius accedant; *jamque ipse recenti stat tumulo*, suggestum e viridi cespite conscendit, *placida transmittens agmina lauro*, prætereuntem quemque laurea fronde leviter tangens.

435. Ducit deinde ad fluvium, et exutis calceis aquas jubet intrare, *glaucasque frondes* (intelligo de *arundine*, *canna*) *comis prætexere; hinc manus* orientem versus solem tendere, et per campos discumbere.

439. Tunc *piceæ*, nigræ, nam

Pectora fert Mopsus, partim gerit obvius Idmon.
Ter tacitos egere gradus, ter tristia tangens
Arma simul vestesque virum, lustramina ponto
Pone jacit; rapidis adolentur cætera flammis.
Quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum
Rite locat quercus, simulataque subligat arma.
Huc stygias transire minas, iramque severi
Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas;
Atque ita lustrifico cantu vocat: « Ite perempti,
Ac memores abolete animas; sint otia vobis,
Sit Stygiæ jam sedis amor; procul agmine nostro,
Et procul este mari, cunctisque absistite bellis.

451. *Procul ite.* Edd. ante Carr. Sed *este* jam Pius. Ed.

tales inferis offerebantur, *oves mactatæ, prosectaque partim pectora per medios, partim gerit obvius Idmon.* Locus in mendo cubans ideoque obscurus, non in *prosectis* quidem, quæ constat particulas fuisse viscerum tanquam primitias abscisas, et in altaria conjectas, sed difficultas est in τῷ *partim* bis repetito, quod vel actionem duplicem, vel duas personas agentes requirit. Unice vera est, quam cel. Harlesius ex codice Bononiensi attulit, emendatio; qui codex pro *per medios* habet *fert Mopsus*, qui abesse non potest, quum sequentia ad hunc solum, non ad Idmonem, qui nil nisi prosecta circumtulit, pertineant. Nil verius, ideoque recepi.

441. Ter tacite ingressi Argonautæ, ter Mopsus arma vestesque virorum tangit; *lustramina*, purgamina, ad mare projicit; cætera comburuntur.

444. *Quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum rite locat quercus,* truncos quercuum in speciem humanam efformatos locat, *simulataque subligat arma*, exornat galeis, clipeis, armis, uti nos, quæ dicuntur, tropæa. — Vide ad calcem hujus libri not. 444. Ed.

446. *Huc*, in hæc ficta hominum simulacra, *stygias transire minas orat manes*, rogat, ut in hæc iras transferant.

448. *Lustrifico*, expiante, *cantu vocat: Ite perempti*, manes a nobis cæsorum; *memores abolete animas*, deponite memoriam facinoris nostri; *sit Stygiæ jam sedis amor*, ad inferos regrediamini.

451. Vos ego nec per Græcas urbes, nec per *trivia*, in quibus res suas habere in primis spectra credebantur, *ululare* velim; nec gregibus nostris agrisve calamitatem inferte, nec *luctifer annus*, gravis autumnus, homines incessat, nec nostri *minores*, liberi, posteri, *luant ea facta*, cædem a nobis insciis perpetratam.

Vos ego nec Graias umquam contendere ad urbes,
Nec triviis ululare velim, pecorique satisque
Nullæ ideo pestes, nec luctifer ingruat annus;
Nec populi, nostrive luant ea facta minores ».
Dixerat, et summas frondentibus intulit aris
Libavitque dapes, placidi quas protinus angues,
Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.

Continuo puppim petere, et considere transtris
Imperat Ampycides, nec visum vertere terræ;
Exciderint, quæ gesta manu, quæ debita fatis.
Illi alacres, pars arma locant, pars ardua celsis
Insternunt tabulata foris, oriturque trementum
Remorum sonus, et lætæ concordia vocis.
Jupiter urgentem ceu summa Ceraunia nubem
Quum pepulit, movitque jugis, fulsere repente

461. *Exciderunt.* Bonon. cod. Bonon. II. Ald. — 462. *Celsis* abest a Vatic. cod. *Summis.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 463. *Toris.* Codd. et edd. præter Maser. cui *foris* debetur. Ed.

456. *Dixerat, et summas*, ultimas, *frondentibus aris* (v. supra 427) *intulit, libavitque dapes*, carnes prosectas; *quas placidi*, innoxii, mites, *protinus angues, umbrarum famuli*, quibus manes alias solebant uti ad terrorem hominibus incutiendum (vid. VII, 250), *linguis rapuere coruscis.*—Vid. Virg. Æn. V, 84. Ed.

459. Continuo navem repetere Argonautas jubet Mopsus, *nec visum terræ vertere*, retrospicere; *exciderint* animo, obliviscamur, *quæ gesta manu*, in quibus inscia manus, non animus peccavit, *quæ debita fatis* (vid. V, 21; et Virg. Æn. IX, 107, *tempora Parcæ debita*), non tam nobis, quam fatorum iniquitati adscribenda.

462. Illi alacriter operi se accingunt, *ardua celsis insternunt tabulata foris* (*tabulata* a *foris* vix discriminari possis, nisi illa pro exteriori, convexa navis compagine, *foros* pro interioribus sedibus, transtris sumas; tum vero sensus esset: transtra substratis vestibus altiora fecerunt in alta nave); *lætæ concordia vocis oritur*, læti omnes uno ore conclamant.

465. Velut *Jupiter urgentem*, imminentem, *nubem summis*, altis, *Cerauniis* (*Acrocerauniis*, Horat. Od. I, 3, 20, ubi v. Jani) *quum pepulit*, dissipavit, *fulsere repente et nemora et scopuli, nitidusque reducitur æther.* Venusta comparatio et ad naturam expressa. Uti obnubilato cælo, quæ præ pedibus essent, vix poterant conspici, jam sole nubes disjiciente, prospe-

Et nemora et scopuli, nitidusque reducitur æther;
Sic animi rediere viris, jamque ipse magister
Nutat ab arce ratis, remisque obsistere tendit.
Instaurant primi certamina, liber amictu
Eurytus, et dictis Talai non territus Idas;
Inde alii increpitant, atque æquora pectore tollunt.
Par gemitu pulsuque labor, versumque vicissim
Mittitur in puppim remo mare; lætus et ipse
Alcides: « Quisnam hoc vocat in certamina fluctus? »
Dixit, et, intortis assurgens arduus undis,
Percussit subito deceptum fragmine pectus,
Atque in terga ruens, Talaum, fortemque Eribotem,
Et longe tantæ securum Amphiona molis
Obruit, inque tuo posuit caput, Iphite, transtro.
  Jam summas cœli Phœbus candentior arces
Vicerat, et longas medius revocaverat umbras;
Tardior hinc cessante viro, quæ proxima Tiphys

ctus ita longe patet, ut remota etiam nemora el scopuli appareant, et clarissima cælum occupet serenitas: eodem modo et *animi rediere viris; nutat magister ab arce ratis*, Tiphys gubernator manibus vultuque a puppi ad urgendum laborem exhortatur.

470. *Instaurant primi certamina*, invicem æmulantes, *liber amictu*, veste deposita, *Eurytus* et *Idas*, *dictis* (dicteriis) *Talai*, qui sine dubio irriserat, quod cum Euryto vellet contendere, *non territus*. Inde alii *increpitant*, se invicem excitant, atque *æquora pectore tollunt*, viribus intentis exagitant mare remis. *Par gemitu*, acclamatione, anhelitu, *pulsuque remorum labor*.

473. *Versumque vicissim mittitur in puppim mare*, ut, quo magis remos attraherent, eo majores fluctus retro puppim versus ferrentur.

474. *Lætus et Hercules*, *intortis assurgens arduus undis*, altius se erigens ad fluctus vincendos, *percussit subito deceptum fragmine pectus*, remus subito nil tale timenti ad pectus fractus est, *atque in terga ruens*, tribus post se sedentibus stratis, in transtro quarti caput impegit. Vide molem viri! conf. Apollonium, I, 1167. sq.

481. Jam meridies erat, quod ornate sic effert poeta: *jam summas cœli Phœbus candentior*, ardentior, *arces vicerat*, summum cælum ascenderat, et *longas* antea, *medius*, in medio cælo constitutus, meridie, *revocaverat*, exquisite pro contraxerat, breviores fecerat, *umbras*.

483. *Tardior hinc*, *cessante viro*, tam valido remige qualis Hercules

Litora, quosque dabat densos trabe Mysia montes,
Advehitur; petit excelsas Tirynthius ornos;
Hæret Hylas lateri, passusque moratur iniquos.
Illum ubi Juno, poli summo de vertice, puppim
Deseruisse videt, tempus rata diva nocendi,
Pallada consortem curis cursusque regentem
(Ne qua inde inceptis fieret mora) fallere prima
Molitur, caroque dolis avertere fratri.
Tunc sic alloquitur: « Procerum vi pulsus iniqua,
Germanique manu (repetis, quo crimine), Perses
Barbaricas jam movit opes Hyrcanaque signa;
Æetes contra thalamis et virgine pacta
Conciliat reges Scythicos, primusque coacta
Advehit Albana Stirus gener agmina porta.

484. *Densa trabe.* Vatic. Bonon. et Carr. codd. Ald. — 490. *Primo.* Ald. — 493 *Repetis.* Sic Maser. in notis. *Repetit.* Vatic. Bonon. Carr. codd. et edd. præter Ald. quæ *repetito crimine.* Ed.

esset, destitutam navem animadvertens, Tiphys ad proxima litora, *quosque dabat*, offerebat, ob oculos sistebat *Mysia*, *densos trabe montes*, densis arboribus consitos, *advehitur*.

485. Qua opportunitate usus Hercules, navi egreditur, inquisiturus *excelsas ornos*, unde novum sibi remum conficeret (labores Herculis in evellenda arbore egregie pingit Apollonius, I, 1197 sqq.), comitemque habet *Hylan*, qui tamen *passus* Herculis *iniquos*, pleniores, grandiores (*avidi gressus*, I, 183), æquare non potest.

487. Juno Herculem animadvertens navem deseruisse, occasionem ei nocendi oblatam arreptura, primum Palladem in partes suas trahere studet. Quod quum non adeo facile esset, quoniam hæc, *consors curis*, uti Jasoni susceptæque ab eo expeditioni, ita etiam Herculi fratri favebat, *fallere* eam *molitur*, *et dolis caro fratri avertere. Tunc ita alloquitur.* — Quem sermonem ut melius intelligant lectores, adeant ad calcem hujus libri not. 492, ubi Wagnerus breviter exponit, quæ fusius infra, V, 230—273, narrantur. Ed.

492. *Procerum vi pulsus iniqua*, *germanique*, fratris uterini Æetæ, *manu* (*repetis*, *quo crimine*) (meministi, quam falsa criminatione), *Perses jam movit opes barbaricas* (— sic Virg. Æn. VIII, 685: *Hinc ope barbarica.* Ed.), Scythicas, in primis Hyrcanas; ex Æetæ partibus stant alii Scythæ, Albani. *Albana porta*, portis Caucasiis (v. VI, 33 sqq.), *gener* futurus, procus cum armatis venit.

Bellum ingens, atque ipse citis Gradivus habenis
Fundit equos. Viden' arctoo de carcere quanta
Tollat se nubes, atque æquore pendeat atro?
Corripe prima vias; finem quum Phasidis alti
Transierit Perses, aciemque admoverit urbi,
Cœpta refer, paullumque nefas et fœdera necte
Consiliis atque arte tua; sponde, adfore reges
Dis genitos, quis arma volens, quis agmina jungat».
At virgo, quanquam insidias æstusque novercæ
Sentiat, et blandos quærentem fingere vultus,
Obsequitur tamen, et jussas petit ocius oras.
Ingemuit Juno, tandemque silentia rumpit:
«En labor, en odiis caput insuperabile nostris!
Quam Nemeen tot fessa minis, quæ prælia Lernæ
Experiar? Phrygiis ultro concurrere monstris
Nempe virum, et pulchro reserantem Pergama ponto

499. *Arctoa de pulvere.* Bonon. cod. — 502. *Faciemque.* Vatic. Bonon. Carr. codd. et edd. usque ad Heins. præter Bonon. II et Maser. — 503. *Certa refer.* Bonon. cod. — 506. *Astusque.* Ald. Engent. — 511. *Bellua Lernæ.* Codd. et edd. usque ad Burm. II, præter Ald. *Bellave.* Joh. Columbus. *Flumina.* Burm. I, ex conj. *Quæ Nemeæ tot fessa minis quæ prælia Lernæ.* Ald. Ed.

498. *Bellum ingens: Mars ipse citis habenis fundit*, agitat, *equos: arctoo de carcere mogna se tollit nubes*, nubes a ventis septemtrionalibus, Thraciæ, ubi Mars sedem habere dicebatur, collecta, *atque æquore pendet atro*, hac ipsa nube obfuscato.

501. *Corripe prima vias*, prior me in Colchidem festina, mox ipsa sequar; *cœpta refer* Persæ, jam in itinere esse auxilia, *paulumque nefas* (*kleine Schelmerey?*) *et fœdera necte* cum Persa. Faciliorem tamen sensum habebis, si cum Burmanno, et Doeringio ad Eclogas veterum poetarum, p. 213, pro *nefas* legeris *moras*.

506. At Pallas, quamquam *insidias æstusque*, dolos, iramque in Herculem novercæ sentit, obsequitur tamen, et petit Colchos.

509. Nunc sola relicta Juno secum ipsa queritur, quod odiis in Herculem nihil proficiat. *En odiis caput insuperabile nostris!* Quid prodesset, si alium ei Nemeæum leonem, aliam hydram Lernæam immitterem? Sponte quærit ipse pericula.

512. *Phrygiis ultro concurrere monstris virum, et pulchro reserantem Pergama ponto vidimus.* Sermo est de

Vidimus. En ego nunc regum soror? et mihi gentis
Ullus honos? jam tum indecores, justæque dolorum
Primitiæ, et tenero superati protinus angues.
Debueram nullos juveni jam quærere casus,
Victa nec ad tales forsan descendere pugnas.
Verum animis insiste tuis, astumque per omnem
Tende (pudor!); mox et furias Ditemque movebo».
Hæc ait, et pariter lævi juga pinea montis

514. *En mihi gentis.* Ald. — 515. *Nullus.* Bonon. cod. Bonon. II. *Jussæ.* Codd. et edd. ante Heinsium. *Cassæ.* Pius et cod. vet. clarissimi Harlesii. — 519. *Arctumque movebo.* Codd. et vett. edd. *Actumque per omnem.* Carr. cod. — 520. *Ditem quo modo verbo.* Vatic. cod., non, ut citat Heinsius, *Ditemque ciebo. Ditem quoque verbis.* Bonon. cod. *Ditem quoque verbo.* Bonon. I. Junt. *Ditem quoque verto.* Bonon. II. Maser. Ald. *Ditemque ciebo.* Engent. ex Pio. Ed.

bellua Trojæ litora infestante, et Hesione liberata, sed in ultimis verbis *pulchro* admodum friget otiosum. Possis fortasse legere *tuto*, si conferas supra, II, 545, *tuta litora:* magis tamen arridet Wakefieldii, tragœd. delect. p. 40, conject. *puro*, provocantis ad Horatii *puras plateas*, Epist. II, 2, 71, ut sensus sit: Trojanis usum maris reddidit, ex quo liberum illud viderunt monstro marino. Vid. etiam *Jacob's* Animadvers. ad Antholog. vol. I, p. 2, pag. 293.

514. *En ego nunc regum*, Jovis, Neptuni, Plutonis, *soror! et mihi gentis*, generis, Saturni filia quæ sim, *ullus honos?*

515. *Jam tum indecores*, pudori mihi erant, *justæque dolorum primitiæ*, exquisite! merito indignandum fuit, *et tenero superati protinus angues*, ab Hercule in ipsis cunis elisi. Voculam *et*, commate post *primitiæ* sublato, mutavi in *a*, nec pœnitet. Dativum *tenero* bene novi, sed vel sic, τὸ *et* inutile reperietur. Non nisi una propositio est: angues a tenero superati indecores exstiterunt.

— *Et* hoc loco significat *etiam:* itaque hanc voculam in textum reposui. Ed.

517. Quod quum infans ausus esset, *debueram victa* (ironice) nunc *juveni nullos casus*, labores immittere? *Verum animis* (iræ) *insiste tuis, astumque per omnem tende, pudor*, sine pudore dolum quemque necte; *mox et furias Ditemque*, Acheronta, *movebo.*

521. Hæc ait, et in montibus silvosis venantes videt pulchras nymphas; naiades, dryades, oreades, etc. *undarum nemorumque decus. Levis arcus* (*habilis* infra, hoc libro, 607; *facilis*, I, 109), *et manicæ virides*, armillæ e tenuibus arborum ramusculis consertæ, *et stricta myrtus habena*, sagitta (myrtis enim ad hastas etiam et jacula usos esse veteres, constat ex Virgilio, Æn. III, 23; Ge. II, 447) loris instructa, amentata. — Conf. Virg. Æn. VII,

Respicit, ac pulchro venantes agmine nymphas,
Undarum nemorumque decus; levis omnibus arcus,
Et manicæ virides, et stricta myrtus habena;
Summo palla genu; tenui vagus innatat unda
Crinis, ad obscuræ decurrens cingula mammæ.
Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum
Personat, et teneris submittit gramina plantis.
E quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
Quum fugerent jam tela feræ, processerat ultra,
Turbatum visura nemus; fontemque petebat
Rursus, et attonitos referebat ab Hercule vultus.
Hanc delapsa polo, piceæque acclinis opacæ
Juno vocat, prensaque manu sic blanda profatur:
« Quem tibi conjugio, tot dedignata, dicavi,
Nympha procos, en Hæmonia puer appulit alno,

524. *Harena.* Vatic. cod. *Avena.* Bonon. cod. et Bonon. I. Junt. Maser. Carr. *Habena.* Jam Bonon. II. Pius. Ald. Engent. Ibid. *Stricta et corytus habena.* Frustra et contra codd. fidem Wagner. ex Reinesii conj. — 525. *Umbra.* Vatic. Bonnn. et Carr. codd. Bonon. I et II. Engent. *Unda.* Jam olim Junt. Ald. — 533. *Acclivis.* Junt. Maser. Carr. I. — 534. *Sic voce.* Carr. cod. Ed.

730 sq. Vide omnino ad calcem hujus libri not. 523. Ed.

525. Pergit poeta nympharum in cultu enarrando: *summo palla genu,* stola, quam fibula ad genu retraxerat, qualem et poetæ et artifices sistere solent Dianam; *tenui vagus innatat unda crinis*, pulchre! passi capilli tenuium instar fluctuum moventur per cervicem ad mammas usque, *ad obscuræ*, tectæ, *decurrens cingula*, strophia, *mammæ.*

527. *Ipsa tellus citatarum*, propere incedentium, procurrentium, *sororum pede plausa*, percussa, *personat, et teneris*, ut superficiem tantum leviter perstringerent, *submittit,* erigit, sursum mittit, ἀναπέμπει, *gramina plantis* (vid. *Ruperti* ad Sil. I. 673), — « ne dura humo teneræ lædantur « plantæ, » ait Burmannus. A. *D. Delamalle* hæc intelligit de gramine pedibus nympharum curvato. Ed.

529. Harum nympharum una, *Dryope, Herculeo*, Herculis arbores cædentis, *fragore percussa*, commota, processerat longius, *turbatum visura nemus*, quid sibi vellet iste in silva sonitus; sed *fontem petebat rursus, et attonitos referebat ab Hercule vultus*, visa tanta viri mole territa aufugit. Ingenium muliebre, videndi audiendique cupidum, idem tamen timidum, bene expressum.

533. Hanc delapsa polo ad se vocatam Juno blande alloquitur, et

Clarus Hylas, saltusque tuos fontesque pererrat.
Vidisti, roseis hæc per loca Bacchus habenis
Quum domitas acies, et Eoi fercula regni
Duceret, ac rursus thiasos et sacra moveret:
Hunc tibi, vel posito venantem pectine Phœbum
Crede dari; quæ spes nymphis aufertur Achæis!
Præreptum quanto proles Bœbeia questu
Audiet, et flavi quam tristis nata Lycormæ! »
  Sic ait, et celerem frondosa per avia cervum
Suscitat, ac juveni sublimem cornibus offert.
Ille animos, tardusque fugæ, longumque resistens,
Sollicitat, suadetque pari contendere cursu.
Credit Hylas, prædæque ferox ardore propinquæ
Insequitur; simul Alcides hortatibus urget

539. *Fercula.* Vatic. cod. *Prælia.* Bonon. cod. Ald. *Per loca.* Bonon. I et II. *Pericula.* Junt. *Spicula.* Maser. *Pocula.* Carr. *Fercula.* Jam Pius, Engent. — 540. *Sacra moveret.* Engent. post Pium. *Moventem.* Burman. cod. Ed.

pronubæ nomen egregie tuetur. Recte fecisti, inquit, laudoque subtilem pulchri sensum, quod tot hucusque procos, ut te non satis dignos, spreveris; ipsa tibi ego juvenem conciliabo, quem profecto non aspernaberis, qui Thessalica navi huc appulit, et in ipsa hac silva oberrat, nec Baccho, nec Apollini, quos nosti pulcherrimos inter deos haberi, venustate cedentem.

538. *Vidisti roseis*, pulchris, *habenis*, curru, *per hæc loca domitas acies*, captivos, *et Eoi regni fercula*, Indiæ spolia, *ducentem Bacchum*, vidisti *rursus thiasos et sacra moventem. Movere* vox solemnis de sacris faciundis; v. supra, 232. Tò *rursus* pertinere videtur ad Bacchica sacra per expeditionem in Indiam susceptam intermissa. Ammianus, de eodem Bacchi reditu loquens, XXII, 8: *orgia pristina reparavit.* Vid. infra, V, 74 sqq. qui locus huc omnino conferendus, ubi *resides thiasi.*

541. *Hunc*, talem, æque venustum, *vel posito pectine*, lyra, *venantem Phœbum crede dari* Hylan.

542. Quantum lugebunt sibique dolebunt præreptum, quæ eum sibi speraverant, *Achææ*, patriæ, *nymphæ*, *proles Bœbeia*, Thessala (v. I, 449), *et flavi nata tristis Lycormæ*, fluvii Ætoliæ. Naiades enim fluviatilium deorum filiæ narrantur fuisse.

545. *Sic ait, et cornibus sublimem frondosa avia* subito perrumpentem Hylæ offert cervum (Virgil. Æn. I, 189: *capita alta ferentem cornibus arboreis inter nemora frondea*), qui quum, ita jubente Junone, tardius incederet, et consisteret diutius,

Prospiciens; jamque ex oculis aufertur uterque;
Quum puerum instantem quadrupes, fessaque minantem
Tela manu, procul ad nitidi spiracula fontis
Ducit, et intactas levis ipse superfugit undas.
Hoc pueri spes lusa modo est, nec tendere certat
Amplius; utque artus et concita pectora sudor
Diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes.
Stagna vaga ceu luce micant, ubi Cynthia cælo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phœbi:
Tale jubar diffundit aquis; nil umbra comæque,
Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphæ.
Illa, avidas injecta manus, heu sera cientem
Auxilia, et magni referentem nomen amici
Detrahit; adjutæ prono nam pondere vires.

555. *Puero.* Engent. *Fusa.* Vatic. et Carr. codd. *Hoc puero perfusa modo est.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. — 560. *Diffudit.* Carr. Ed.

persequendi eum lubido incessit Hylan.

550. Hercules ipse e longinquo prospiciens hortatur, et dicto citius et cervus et Hylas ex oculis ablati. Cervus puerum persequentem et jaculari, sed *fessa manu*, *minantem procul ad nitidi*, clari, *fontis spiracula*, antra (Apollon. I, 1228, κρήνη καλλίναος), *abducit*, *et levis ipse superfugit undas intactas*, uno saltu trajicit.

555. Ita spes Hylæ elusa; ut vero *artus et concita pectora*, totum corpus æstuans, *sudor diluerat*, penetraverat, madefecerat, *avidus* quietis seu potus *procumbit ad amnem*.

558. *Stagna vaga*, trepida, tremula, *ceu* (ita reposui, præeunte Heinsio, pro *sic*, ut referatur ad sequens *tale*) *luce micant*, *ubi Cynthia*, Luna, *cælo prospicit*, *aut medii*, meridie, *transit rota candida*, orbis purus, *Phœbi; tale jubar diffundit aquis* facies procumbentis Hylæ; *nil umbra comæque*, umbræ arborum (*die schauerliche Dunkelheit des Haines.* Sic verissime Lenzius Encycl. S. 309), *turbant*, nil *sonitus surgentis ad oscula nymphæ*.

562. *Illa avidas injecta* (violentiam exprimit) *manus*, brachiis amplexa cupidis, *heu sera cientem*, vocantem, *auxilia*, *et magni referentem*, sæpius repetentem, *nomen amici*, Herculis, *detrahit*, secum rapit in antrum; *adjutæ prono nam pondere vires*, nec magno labore constitit, quum suo ipsius pondere Hylas procideret. Vid. Apollon. I, 1237. Hoc Hylæ fatum si quis ab

Jam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat, magnoque jugi stridore revulsas
Terga super fulvi porrexerat horrida monstri,
Litora curva petens; alio nam calle reversum
Credit Hylan, captaque dapes auxisse ferina.
Sed neque apud socios, structasque in litore mensas
Unanimum videt æger Hylan, nec longius acrem
Intendens aciem; varios hinc excitat æstus
Nube mali percussus amor, quibus hæserit oris,
Quis tales impune moras casusve laborve
Attulerit; densam interea descendere noctem
Jam majore metu; tum vero et pallor, et amens

566. *Jugi de trude.* Carr. cod. *Revulsam.* Vatic. et Bonon. codd. — 569. *Hausisse.* Carr. cod. male. *Ferinas.* Bonon. cod. *Captatque dapes auxisse ferinas.* Bonon. I et II. Ed.

aliis alia subinde ratione narratum velit cognoscere, is mihi adeat in primis Theocritum, Id. XIII, et Propertium, I, 20.

565. Interea *pater* (respicit Hylan, qui filii loco erat) *arcibus umbrosis*, verticibus montis, *ornos depulerat* (nimis quæsitum, alibi apud Nostrum, VIII, 289, *dejicit;* I, 122, *delatum nemus;* forte rectius *impulerat*, i. e. labefactaverat, nam sequitur *revulsus*, quod idem esset cum *depellere.* Tres igitur, ad meam sententiam, poeta voluit actiones Herculis nobis narrare: *impellit — evellit — porrigit*), *magnoque jugi stridore*, sonitu, *revulsas*, eradicatas, *super horrida terga fulvi monstri*, pellis leoninæ, *porrexerat* (pingit longitudinem arboris), *litora curva petens*, sperans ibi se inventurum Hylan, cœnasque *capta ferina* lautiores atque magis dapsiles.

570. Sed neque inter socios, nec ad mensas in litore *æger*, sollicitus, videt Hylan *unanimum*, amicissimum, alteram quasi sui partem (vid. IV, 162), *nec longius acrem intendens aciem*, nec diutius hic sibi circumspiciendum commorandumque censet. Sed quid agat nescium *nube mali percussit amor*, quo magis amaret Hylan, eo atrocius malum ipsi visum est; *quis casus impune moram attulerit talem*, quam removere atque ulcisci non posset, quoniam, unde ea necteretur, ignorabat.

575. *Densam interea descendere noctem jam majore metu*, nox appropinquans magis sollicitum de Hyla suo facit; *pallor, et amens*, qui amentem faceret, *rigor*, ita extra se positus est, ut vix membra possit movere, *cum piceo*, sordido, *sudore:* brevibus adumbratum ex Virgilii Æn. IX, 812: *tum toto corpore sudor Liquitur, et piceum (nec re-*

Cum piceo sudore rigor: ceu pectora nautis
Congelat hiberni vultus Jovis agricolisve,
Quum coit umbra minax; comitis sic afficit error
Alciden, sævæque monet meminisse novercæ.
Continuo, volucri ceu pectora tactus asilo
Emicuit Calabris taurus per confraga septis,
Obvia quæque ruens: tali se concitat ardens
In juga senta fuga; pavet omnis conscia late
Silva, pavent montes, luctu succensus acerbo
Quid struat Alcides, tantaque quid apparet ira.
Ille, velut, refugi quem contigit improba Mauri

579. *Imbre minax.* Heins. conj. — 586. *Appetat.* Carr. Ed.

spirare potestas) *Flumen agit; fessos quatit acer anhelitus artus.*

577. *Ceu pectora nautis agricolisve congelat*, ad frigus usque horrorem incutit, *Jovis hiberni vultus*, conspectus insurgentis tempestatis, *quum coit umbra minax*, nubes tenebricosæ magis magisque constipantur: sic Herculem afficit error comitis; jamque sævæ subesse dolum novercæ snspicari incipit.

581. *Volucri ceu pectora tactus asilo*, œstro percitus (Apollon. III, 276: οἶστρος, ὅν τε μύωπα βοῶν κλείουσι νομῆες. Vid. eumd. I, 1265, et Virgil. Ge. III, 147), *emicuit*, celeriter exsilit, *taurus Calabris septis*, stabulis Calabriæ, divitis et pascuis, et armentorum gregibus, *per confraga*, per saxa, dumeta, *obvia quæque ruens*. Vid. Ovid. Met. XI, 334: *similisque juvenco, Spicula crabronum pressa cervice gerenti, Qua via nulla, ruit.*

583. Tali *fuga*, festinatione, se concitat ardens *in juga senta*, spinis horridos montes; *pavet omnis conscia late silva: conscia*, vel quod Herculis jam jam in cædendis arboribus furorem experta esset, vel qnod iracundiam effusurus esset in silvam, in qua, nulla tamen sua culpa, raptus esset puerulus dilectus. Posterius malim, magis quippe poeticum. Vid. IV, 356, *antra conscia.*

587. Luxuriatur Valerius comparationibus, tertiam intra viginti versiculos addens: Sicut, quem contigit *improba*, magna, valida, pertinax, *lancea Mauri refugi*, ex fuga tamen redeuntis, *sanguineus*, sauciatns, *leo vasto*, terrifico, latius audito, *murmure fertur* furens, *frangit* (vid. II, 459) *et absentem vacuis sub dentibus hostem*, eleganter, dentibns quamquam otiosis frendet, hostemque quasi præsentem comminuit. Virg. Æn. IX, 62: *inprobus ira Sævit in absentem*, quod magis exornandum sibi sumpsit Noster. Sic igitur Hercules, *et intento decurrit montibus arcu.* — Vide ad calc. hujus lib. nott. 587, 589. Ed.

Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur,
Frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem,
Sic furiis accensa gerens Tirynthius ora
Fertur, et intento decurrit montibus arcu.
Heu miseræ, quibus ille, feræ, quibus incidit usquam
Immeritis per lustra viris! volat ordine nullo,
Cuncta petens, nunc ad ripas dejectaque saxis
Flumina, nunc notas nemorum procurrit ad umbras.
Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat
Avia : responsant silvæ, et vaga certat imago.
At sociis immota fides, austrisque secundis
Certa moræ; nec parvus Hylas, quanquam omnibus æque
Grata rudimenta; Herculeo sub nomine pendent.
Illum omnes lacrimis mœstisque reposcere votis;
Incertique metu, nunc longas litore voces
Spargere, nunc seris ostendere noctibus ignes.

594-595. *Dejectaque saxi fragmina.* Junl. et poster. editt. usque ad Carr. II. — 599. *Causa moræ non parvus Hylas.* Ald. *Raptus Hylas* ex Ald. citat Heinsius. — 600. *Pendet* mavult Maser. Ed.

592. Heu miseræ feræ, miserique *immeriti*, innocentes homines, in quos usquam per *lustra*, silvas incidit! *volat nullo ordine*, temere, incertus consilii, *cuncta petens*, ubicumque Hylan reperire suspicari possit, *ripas*, *dejecta saxis flumina*, catarrhactas, *nemorum umbras*, densissimas silvas; *rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat*, h. l. proprie, clamat, ut ad se redeat: *responsant silvæ*, reddunt nomen, *et vaga certat imago*, solemnis Echus descriptio. Vix eloquutus est nomen Hylæ Hercules, quum eadem vox (certatim quasi) ad aures ejus accidit.

598. *At sociis immota fides et certa moræ*, constituerunt aliquantisper exspectare, etsi venti vocabant secundi; *nec parvus Hylas* sc. moræ est, *quamquam omnibus æque grata rudimenta*, omnes amabant, quod puer adhuc futuræ virtutis documenta dederat; v. supra 183. Melius cum Aldina legas: Causa *moræ* non *parvus Hylas*.—Vide ad calcem hujus libri not. 598. Ed.

600. *Herculeo sub* (fortasse *sed*) *nomine pendent*, dubii an iter prosequendum, quoties Herculis tanti vir nominis animum subiret. Illum omnes lacrimis votisque mæstis reposcunt; nunc *longas*, longe sonantes, *voces* per litora spargunt, nunc ignes noctu incendunt.

Ipse, vel excelsi quum densa silentia montis,
Strata vel oblatis ductor videt æquora ventis,
Stat lacrimans, magnoque viri cunctatur amore.
Illius incessus, habilemque ad terga pharetram,
Illum inter proceres, mœstæque silentia mensæ
Quærit inops, quondam ingenti comprensa trahentem
Vina manu, et duræ referentem monstra novercæ.
Nec minus interea crudelis Iapyga Juno
Assidue movet, et primis cum solibus offert.
Jamque moræ impatiens cunctantes increpat ausus
Tiphys, et oblato monet otia rumpere cursu.
Ergo animum flexus dictis instantis Iason
Concedit, sociosque simul sic fatur ad omnes:
« O utinam, Scythicis struerem quum funera terris,

609. *Compressa*. Carr. cod. — 610. *Vona manu*. Bonon. cod. *Viva*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. *Diræ*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Colin. *Duræ*. Ald. et Carr. Ed.

604. *Ipse ductor* Jason, quum alta per montes excelsos regnare silentia videret, nec vocem socii e silvis resonantem audiret, et tamen *strata oblatis ventis æquora*, secundos ventos placidumque mare conspiceret, stat lacrimans, magno tamen viri amore ductus, exspectare adhuc constituit.

607. Ubique nempe eum desiderat: non amplius videt gravem, dignitatis plenum, *incessum*, *pharetram habilem*, εὐμεταχείριστον (*levem*, supra, 523; *habilem arcum*, Virg. Æn. I, 318; *currum*, Ovid. Met. II, 531), *ad terga*, tam apte ex humeris pendentem.

608. *Illum* requirit *inter mensæ silentia inops*, tristis, vel quod dolor de tanti viri jactura mutos convivas faceret, vel quod Hercules, magnus in primis narrator, *duræ monstra novercæ* enumerans deesset, *et quondam ingenti comprensa manu trahens vina*: egregie vero pingitur Hercules, et magnus; *ingenti manu comprehendens*, avidus *trahit*.

611. Quoniam vero *Juno crudelis* in Herculem *Iapyga* ventum occidentalem, orientem igitur versus navigantibus faventem, Argonautis præbere quotidie pergebat, tandem *Tiphys*, gubernator navis, insurgit, *cunctantes increpat ausus*, quod tantum ausum tot tamen moris interpellarent. Jason his dictis quidem accedit ipse, sed socios alloquitur.

517. Quorum versuum sensus hic est: Utinam non eventum habere viderem oraculum, quod olim cecinit, fore, ut omnium sociorum meorum heros fortissimus voluntate

Vox mihi mentitas tulerit Parnasia sortes:
Agmine de toto, socius qui maximus armis
Afforet, hunc Jovis imperiis fatoque teneri,
Ante procellosum scopulis errantibus æquor!
Nec dum fama viri, nec certior exstitit auctor.
Verum agite, et, dubiis variant quia pectora curis,
Consulite, et, motis seu vos via flatibus urget,
Pergite, et inceptos mecum revocate labores;
Seu plures tolerare moras, rursusque propinquis
Quæsivisse jugis, pretium haud leve temporis acti ».
  Dixerat, et studiis jam dudum freta juventus
Orat inire vias; unum tanto abfore cœtu,
Nec minus in sese generis, dextrasque potentes
Esse ferunt. Tali mentem pars maxima flatu
Erigit, et vana gliscunt præcordia lingua.
Saltibus ut mediis tum demum læta reducit

619. *Socium*. Vatic. et Bonon. codd. — 623. *Variant qui pectora*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Maser. *Variant quis pectora*. Bonon. II. Col. *Quibus anxia pectora*. Carr. *In dubiis variant qui pectora*. Ald. En.

Jovis relinquatur, prius quam Cyaneos scopulos nobiscum superaverit.

622. *Necdum fama viri*, nondum scimus, quid ei acciderit, *nec certior exstitit auctor*, nec adhuc dum, quo gentium abierit, certo scimus.

623. Quum igitur ipse dubius sim, quid agam, vos mihi consilium detis, et si placuerit ventis uti secundis, me habebitis comitem promptissimum; sin sententia steterit hæc, ut aliquandiu adhuc moremur, montesque proximos rursus pervestigemus, fortasse operæ pretium sit, paululum exspectare, an forte tantum virum possimus recuperare.

628. *Studiis*, partium factionibus, *freta*, dedita, *juventus* orat Jasonem, ut in itinere pergat; *unum tanto abfore cœtu*, in tanto numero unum non desiderari, seque Herculi nec genere cedere, nec virtute. *Tali flatu*, tam superbe dictis, *pars maxima mentem erigit, et vana gliscunt præcordia lingua*, inanis oris jactatio paulatim vim habet ad animum ipsum. Vid. II, 278.

633-636. Adjungit poeta simile, in quo tamen comminiscendo et adornando non admodum felix fuisse videtur. *Ut cerva tum demum reducit gregem*, *utque gestit aper*, *ursaque reboat* (non apta vox ursis murmurantibus), *comminus lupis superbis* (hæc equidem, fateor, non

Cerva gregem; tum gestit aper, reboatque superbis
Comminus ursa lupis, quum sese martia tigris
Abstulit, aut curvo tacitus leo condidit antro.
At pius ingenti Telamon jam fluctuat ira
Cum fremitu, sævisque furens in jurgia dictis
Insequitur, magnoque implorat numina questu.
Idem orans prensatque viros, demissaque supplex
Hæret ad ora ducis: nil se super Hercule fari,
Sed socio quocumque gemens; quanquam aspera fama
Jam loca, jamque feras per barbara litora gentes;
Non alium contra Alciden, non pectora tanta
Posse dari. Rursum instimulat, ducitque faventes

638. *Ferens jurgia.* Vatic. cod. *Ferens in jurgia.* Bonon. cod. *Ferens fera jurgia.* Bonon. I et II. Junt. Colin. *Serens fera jurgia.* Ald. — 640. *Dememorans.* Carr. cod. et ed. II, probantibus Gifanio et Bulæo. Ed.

intelligo; intelligerem, si ursa, quidquid obmurmuret, expulsa, legere liceret: *reboantque superbis comminus* ARVA *lupis*), *quum sese tigris martia* (de ferocioribus omnino bestiis usurpatur) *abstulit, aut curvo tacitus leo condidit antro.* Quæ omnia si ad Herculem accommodentur, videbimus, nihil ab eo timendum fuisse sociis, uti cervæ a leone; melius procedit Argonautarum cum apris lupisque instituta comparatio: uti feræ istæ tigridum et leonum abitu ideo gestiunt, quod se solas in campis silvisve dominari videant, ita Argonautæ Herculem, quem se superiorem tacite secum confiterentur, abiisse gaudebant.

637. *At pius*, amore Herculis ductus, *Telamon* omnia agit, ut socios a consilio ejus relinquendi revocet: *irascitur... fremit... objurgat... deos implorat.* Quibus omnibus quum nihil profecisset, ad preces se convertit, *prensat manus*, *supplex hæret*, cupidus audiendi, quid responsurus esset, Jasonis *ad ora demissa*, qualia solent esse eorum, qui petentibus obtemperare lubenter, si possent, vellent.

641. *Nil se super Hercule fari, sed socio quocumque gemens.* Captatio, quam vocant, benevolentiæ. Non ita se studio Herculis teneri, ut non de alius cujusque socii jactura æque doliturus sit; quum tamen in eo sint, ut loca maxime periculosa adeant, remque habeant cum feris nationibus, *non alium contra Alciden*, nullum esse, qui meliorem præstare operam possit.

645. *Rursum*, contra, insurgit, *ducitque faventes*, suæ factioni addictis persuadere conatur, *Calydone*, Ætoliæ civitate, *satus*, Meleager, cujus ingenium omnino hoc fuisse dicitur, ut sibi solus sapere videretur.

Magnanimus Calydone satus; potioribus ille
Deteriora fovens, semperque inversa tueri
Durus, et haud ullis unquam superabilis æquis,
Rectorumve memor: « Non Herculis, inquit, adempti,
Sed tuus in seros hæc nostra silentia questus
Traxit honor, dum jura dares, dum tempora fandi.
Septimus hic celsis descendit montibus Auster,
Jamque ratem Scythicis forsan statuisset in oris;
Nos patriæ immemores, maneant ceu nulla revectos
Gaudia, sed duro sævæ sub rege Mycenæ,
Ad medium cunctamur iter; si finibus ullis
Has tolerare moras, et inania tempora possem,
Regna hodie, et dulcem sceptris Calydona tenerem,
Lætus opum pacisque meæ, tutusque manerem,
Quis genitor materque, locis. Quid deside terra
Hæremus? vacuos cur lassant æquora visus?

661. *Laxant*. Junt. Ald. Colin. *Lassant*. Jam Maser. in notis et Bonon. I et II. Ed.

646. *Potioribus ille deteriora fovens*, optimis consiliis habebat semper, quæ opponeret, quamquam levissima, *semper inversa tueri durus*, pertinax in defendeudis contrariis, *haud ullis unquam superabilis æquis*, nullis, ne justissimis quidem, argumentis a proposito amoveri se passus, *rectorum immemor*, monitoribus asper.

649. *Non Herculis*, inquit, *honor*, non quod rationem aliquam Herculis velim habere, *sed tuus*, mi Jason, honor, tui reverentia fecit, ut tam diu sileremus, exspectantes in dies veniam dicendi. Acerbe dictum in Jasonem, qui omnia ex arbitrio, sociis non consultis, faciat.

552. *Septimus hic* dies est, ex quo ventis utimur secundis. Nos patriæ, et in eam reditus obliti, quasi uno labore defuncti, non secus ac Hercules ab Eurystheo, ad alterum propelleremur, in medio cursu, moramur.

656. *Si finibus ullis tolerare moras et inania tempora possem*, si ulla ratione quietis, moræ desidiæque amans essem, profecto huic me expeditioni comitem non dedissem; *dulcem sceptris Calydona*, filius regis, *tenerem*.

659. *Lætus opum pacisque* (græco more, quem tamen nec pedestris Latinorum oratio respuit, subintell. *causa*, ἕνεκα), omni rerum abundantia in pace fruens iisdem, *quibus genitor materque*, *locis*. *Quid deside*

Tun' comitem Alciden ad Phasidis amplius arva
Adfore, tu socias ultra tibi rere pharetras?
Non ea fax odiis, oblitaque numine fesso
Juno sui; nova tartareo fors semine monstra,
Atque iterum Inachiis jam nuntius urget ab Argis.
Non datur hæc magni proles Jovis; at tibi Pollux
Stirpe pares Castorque manent, at cætera divum
Progenies, nec parva mihi fiducia gentis:
Ast egomet, quocumque voces, sequar; agmina ferro

662. *Tu comitem.* Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Ald. *Tum comitem.* Junt. *Tun'.* Engentl. ex Pio. *Arma.* Bonon. cod. — 664. *Pax odiis.* Heins. conj. *Oblitave.* Vatic. et Bonon. codd. — 670. *Et ego et.* Vatic. cod. *Quaque agmina* emendat Heinsius; alii alia. Ed.

(desides) *terra hæremus? vacuos cur lassant æquora visus?* Cur eadem maris facies per septem dies ob oculos ad fastidium usque versatur?

662. Noli vero credere, Herculem tibi comitem amplius fore. *Non ea*, tam languida, *fax odiis, oblitaque numine fesso Juno sui*, non immemor divinitatis, quanquam nihil adhuc in persequendo Hercule profecerit, non desistet quasi defatigata; *nova tartareo fors semine monstra*, nova fortasse ex ipso Tartaro ipsi excitabit portenta, *atque iterum Inachiis jam nuntius urget ab Argis*, novum mox ab Eurystheo Mycenarum rege jussum nuntiabitur.

667. *Non datur hæc magni proles Jovis:* fatis ita constitutum, ut hunc Jovis filium diutius comitem non haberes; at habes ejusdem originis *Castorem et Pollucem;* habes socios, aliorum deorum progeniem; *nec parva mihi fiducia gentis*, habes me.

670. *Ast egomet, quocumque voces, qua tegmina ferro plura metam.* Sic vulgo codices, *tegmina* tamen aperte in mendo cubant. Heinsius jam olim correxerat, *quaque* (ubi) *agmina metas;* Burmannus: *quæque agmina metat*, ut jungatur sequentibus, *tibi dicta manus;* Oudendorp. ad Sueton. p. 519, *quanto agmine metam.* Recte omnes in *agmina* restituendo, rectius Oudendorpius, qui retinuit *metam*, quod corrigere nihil attinet, si audias (sed quis non velit audire mecum?) cel. *Jacobs* in Miscell. philol. nuper editis, p. 74, qui præterea facillima felicissimaque conjectura primam sine dubio Valerio manum restituit, a librariis corruptam. Ita vero legit: *Ast egomet, quocumque voces, sequar; agmina ferro Plura metam; tibi dicta manus*, etc. « Facile, sic deinde pergit, agnoscis vestigia vocabuli a nobis revocati, *sequar*, in literis SQUAT, quarum primam absorpsit præcedens verbum *voces*. » Nil verius, nec est, spero, quod audaciæ notam incurrere metuam, qui hanc talem emendationem in contextum receperim.—*Tibi dicta*, dicata, *ma-*

Plura metam; tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso
Sanguine erit; jamque hinc, operum quæ maxima, posco.
Scilicet in solis profugi stetit Herculis armis
Nostra salus? nempe ora æque mortalia cuncti
Ecce gerunt; ibunt æquo nempe ordine remi.
Ille, vel insano jam dudum turbidus æstu,
Vel parta jam laude tumens, consortia famæ
Despicit, ac nostris ferri comes abnuit actis.
Vos, quibus et virtus, et spes in limine primo,
Tendite, dum rerum patiens calor, et rude membris
Robur inest; nec enim solis dare funera Colchis
Sit satis, et tota pelagus lustrasse juventa.
Spes mihi, quæ tali potuit longissima casu

671. Secundum *tibi* deest in Vatic. cod. — 672. *Sanguine enim*. Vatic. cod. sed expuncto *enim*, et supra scripto a prima manu, ut videtur, *erit*. Vid. Heins. not. — 682. *Lustrare*. Bonon. et Burman. codd. — 683. *Talis*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Ed.

nus, tibi quidquid in ipso sanguine erit, ultima sanguinis guttula, vel omnis vigor meus, uti I, 336; *jamque hinc*, ex quo Hercules abiit, *operum quæ maxima, posco*.

673. *Scilicet* (ironice) *in solis profugi* (contemptim), sponte digressi, vel erronis, *stetit Herculis armis nostra salus? nempe ora æque mortalia cuncti ecce gerunt* (crescit acerba irrisio), nos omnes miseri nil nisi mortales sumus: magnam jacturam fecimus, qui deum amisimus; *nempe ibunt æquo ordine remi*, profecimus adeo ejus abitu: deus enim nuper noster tam vehementi, jam divino robore, remorum ordinem turbare solebat, ut post se sedentes prosterneret; v. supra, 478.

676. Jam conviciari orator incipit: *Vel insano jam dudum turbidus æstu*, vel quod nuspiam diu moratur, *vel parta jam laude tumens consortia famæ Despicit*, alios omnes præ se contemnit, abiitque sponte, ne quam sibi soli inesse opinatur, virtutem nobiscum partiri velle videretur.

679. *Vos, quibus et virtus, et spes in limine primo*, quibus prima virtutis documenta edendi spes ita propinqua est, *tendite*, dum juvenilis calor et membris et animis inest; *nec enim solis dare funera*, cladem inferre, *Colchis sit satis, et tota pelagus lustrasse juventa*, juveniles annos non nisi in rebus mari gerendis consumere.

683. Tandem mitius dicere velle videtur, simulatque adeo amorem Herculis: *Spes mihi, quæ tali potuit longissima casu, fuit*, spem fovi, quandiu licuit; *quibuscumque virum perquirere silvis egit amor*, tantopere

Esse, fuit; quiscumque virum perquirere silvis
Egit amor; loca vociferans non ulla reliqui.
Nunc quoque, dum vario nutat sententia motu,
Cernere devexis redeuntem montibus opto.
Sat lacrimis comitique datum, quem sortibus ævi
Crede, vel in mediæ raptum tibi sanguine pugnæ.
Talibus OEnides urget: simul incita dictis
Heroum manus; ante omnes Argoa jubebat
Vincla rapi Calais. Fúrias miratùr ovantum
Æacides; multusque viri cunctantia corda
Fert dolor, an sese comitem tam tristibus actis
Abneget, et celsi mœrens petat ardua montis.
Non tamen et gemitus, et inanes desinit iras
Fundere: « Quis terris, proh Jupiter, inquit, Achæis
Iste dies! sævi capient quæ gaudia Colchi!
Non hi tum flatus, non ista superbia dictis,
Litore quum patrio, jam vela petentibus austris,
Cunctus ad Alciden versus favor; ipse juvaret,

689. *Crede velim.* Bonon. cod. — 691. *Argiva.* Bonon. I et II. Junt. Colin. *Argoa.* Jam Ald. Ed.

amavi virum, ut angulos silvarum omnes, latebrasque perreptarem; *loca vociferans non ulla reliqui*, ad omnes mundi plagas intendi vocem.

686. *Nunc quoque* nil magis in votis habeo, quam ut *devexis*, declivibus, *montibus redeuntem* conspiciam. *Sed satis lacrimis comitique*, piis pro comite lacrimis, *datum*, *quem*, mi Jason, *crede vel sortibus ævi*, communi hominum fato, morte, *vel in mediæ pugnæ sanguine*, in certamine aliquo oblato, *tibi ereptum.*

690. *Talibus OEnides*, Meleager (vid. IV, 33, ubi ad hunc nostrum locum respicitur), *urget: incitá dictis heroum manus*, *ante omnes* tamen *Calais*, Thrax, Boreæ filius, *Argoa vincla*, ancoras Argus, *rapi*, celerrime tolli, *jubet.*

692. *Furias miratur ovantum*, incondito clamore lætantium, quod sua sententia vicisset, *Æacides*, Telamon, quem dolor ita dubium reddidit, ut parum abesset, quin et ipse, derelicta navi, ardua peteret montium. Nec tamen desinit dolori et iræ indulgere.

697. Quam funestus, inquit, Græcis iste dies, quam lætus contra Colchis? Nuper non ita inflati superbia eramus; omnes favebant

Ipse ducis curas, meritosque subiret honores.
Jamne animis, jam gente pares, atque inclita vulgi
Dextera? nulla fides, nulli super Hercule fletus?
Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles?
Aspera nunc pavidos contra ruit agna leones?
Hanc ego, magnanimi spolium Didymaonis, hastam,
Quæ neque jam frondes, virides nec proferet umbras,
Ut semel est evulsa jugis, ac matre perempta,
Fida ministeria, et duras obit horrida pugnas,
Testor, et hoc omni, ductor, tibi numine firmo:
Sæpe metu, sæpe in tenui discrimine rerum,
Herculeas jam serus opes, spretique vocabis
Arma viri, nec nos tumida hæc tum dicta juvabunt ».

703. *Indita vulvi.* Vatic. cod. oon *vultu*, ut citat Heins. *Inclita vultum.* Bonon. cod. — 708. *Virides neque.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 709. *Avulsa.* Junt. Ald. Colin. *Excussu.* Carr. cod. *Excisa.* Voss. Heins. — 712. *Sæpe mihi.* Bonon. cod. Ed.

Herculi, gratulabantur sibi ipsi de tali comite, orabant, ut juvaret, ut meritos ducis honores subiret. Quantum nunc mutati ab illis!

703. Jam pro se quisque nihil Hercule se deteriorem, animo parem et ortu jactat, *jam inclita vulgi dextera*, jam vilissimus quisque, quique vix tirocinium posuit, in ore omnium esse sibi videtur. *Nulla fides, nulli super Hercule fletus.* Quam inconstantes estis, qui, quem tantopere coleretis, nunc ne lacrimula quidem dignum habeatis.

705. Jam acrius et acerba irrisione invehitur in duumviros, qui, nulla Herculis habita ratione, maturari iter jusserant. *Nunc Parthaonides*, Meleager, ab avo Parthaone, *nunc dux mihi* (hoc *mihi* non redundat, sed ponitur, ubi miri aliquid attendi volumus) *Thracia proles*, Calais.

706. *Aspera nunc pavidos contra ruit agna leones.* Festiva comparatio, quæ et brevitate, et ob inversam agnorum leonumque naturam, placet mirifice: Timete vero, contremiscite leones, irruunt scilicet asperæ agnæ!

707. *Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam* (hæc Dydimaonis hasta est ex Virg. Æn. V, 359), *quæ neque jam frondes, virides nec proferet umbras* (desumpta ex Homero, Il. I, 234, ex quo Virgil. Æn. XII, 207, ubi v. Heynium), *ut semel est evulsa jugis, ac matre* (obversata sine dubio Nostro est Horatii *Pontica pinus, silvæ* filia *nobilis*, Od. I, 14) *perempta, fida ministeria, et duras obit horrida pu-*

Talibus Æacides socios terroribus urgens
Illacrimat, multaque comas deformat arena.
Fata trahunt, raptusque virum certamine ductor
Ibat, et obtenta mulcebat lumina palla.
Hic vero ingenti repetuntur pectora luctu,
Ut socii sedere locis, nullæque leonis
Exuviæ, tantique vacant vestigia transtri.
Flet pius Æacides; mœrent Pæantia corda,
Ingemit et dulci frater cum Castore Pollux.
Omnis adhuc vocat Alciden, fugiente carina,
Omnis Hylan, medio percuntia nomina ponto.

715. *Sermonibus.* Carr. Ed.

gnas, hanc igitur hastam *testor*, obtestor (vid. II, 512; nec mirum, jurasse per hastas aliaque arma, quæ pro diis haberent, priscas aliquas gentes; v. Virgil. Æn. X, 773; XII, 95), et hoc tibi, Jason, *omni numine*, per omnes deos deasque, *firmo*, confirmo: *sæpe metu*, *sæpe in tenui discrimine rerum* (vid. Ovidii Metam. VII, 426: *tenue leti discrimen*), sed frustra, Herculem desiderabis, nilque te juvabit vana jactatorum nostrorum ostentatio.

715. His dictis, Telamon lacrimas fundit, pulveremque capiti inspergit, *illacrimat*, *multaque comas deformat arena*. Virgil. Æn. X, 844, *canitiem multo deformat pulvere;* Homer. Il. XVIII, 23, de Achille, Patrocli morte audita: Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν, Χεύατο κακκεφαλῆς, χαρίεν δ᾽ ᾔσχυνε πρόσωπον.

717. Jasonis contra dolor magis placidus est. *Fata trahunt*, *raptusque*, coactus, *virorum certamine ibat*, *et obtenta mulcebat lumina palla*, lacrimas fundit et ipse, quæ quum palam fusæ imperatorem non satis decerent, obtento pallio detergit.

719. Nunc suum quisque in transtris occupat locum, *sed ingenti repetuntur pectora luctu*, luctus pectorum repetitur, renovatur.

720. *Ut socii sedere locis*, *nullæque leonis Exuviæ*, *tantique vacant vestigia transtri.* Eminet hoc loco Valerius mira naturæ morumque peritia. Ea enim vis est consuetudinis, ut eo, quod amisimus, tum maxime carere nobis videamur, quum occurrunt loci quibus id videre consueveramus. Ed.

722. *Flet pius Æacides*, Telamon; *mœrent Pœantia corda*, Philoctetes; *ingemit frater cum Castore Pollux.* *Frater* referendum ad Herculem, qui æque ac Castor et Pollux filius fuit Jovis. Et dum navis alta petit, omnes semel adhuc et Herculis et Hylæ inclamant nomina, *sed medio pereuntia*, in ventos abeuntia, *ponto*. —Duos versus, 722, 723, suspectos habuit Heinsius. Ed.

Dat procul interea toto pater æquore signum
Phorcys, et immanes intorto murice phocas
Contrahit antra petens; simul et Massylus, et una
Lyctius, et Calabris redit armentarius arvis.
Ilicet extremi nox litore Solis Iberas
Condidit alta domos, et sidera sustulit astris.
Flamina conticuere, jacet sine fluctibus æquor.
Amphitryoniades, nec quæ nova lustra requirat,
Nec quo tentet iter, comitis nec fata perempti
Quæ referat, videt, aut socios qua mente revisat.
Urit amor, solisque negat decedere silvis.
Non aliter gemitu quondam lea prolis ademptæ

731. *Sustulit aris.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Maser. Col. et tuetur Pius. *Arvis.* Bonon. II. Ald. *Astris.* Carr. eod. *Axis.* Is. Voss. et Heins. — 732. *Fluminu.* Vatican. cod. *Jacet cum flatibus.* Id. et Bonon. cod. Bon. I et II. Junt. Ald. Colin. *Sine flatibus.* Carr. *Sine fluctibus.* Voss. et Heins. — 734. *Tendat iter.* Heins. conj. *Parenti.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. En.

726. Dies declinat in vesperam. Hoc varie exornat poeta, ita ut, qoæ illo tempore in mari, in terris, in cælo accidere solent, enumeret. *Pater*, erat enim in antiquissimis dĩis, *Phorcys*, filius Ponti et Terræ (v. *Hermann mythol. Handb. Th.* I, *S.* 37), *toto æquore signum dat, et immanes intorto muriee* (concha) *phoeas contrahit antra petens,* vid. Virgil. Æn. V, 824.

728. Pastores reducunt greges domum : *Massylus*, in Maurilania, *Lyctius*, Cretensis, *et Calabris redit armentarius arvis.* — Occidens sol uti domos in terris subducit oculis, ita sidera tollit in cælo. Venti quiescunt, *flamina conticuere, jacet sine fluctibus æquor.*

733. Sed quid miser Hercules? Omnibus late pervestigatis silvis et mootibus, de recuperando Hyla desperat, *nec qua mente revisat socios, videt,* quodque mortis genus perempti comitis narret. Amor dilecti pueri tantus est, ut in silvis perseverare constituat, haud secns ac leo, cui catuli erepti.

734. *Comitis nec fata perempti.* Vide ad calcem hujus libri not. 734. Ed.

737. *Non aliter gemitu quondam* (aliquando; vid. Virg. Georg. III, 99) *lea prolis ademptæ Terga dedit,* gemens de prole adempta fugere sese videt coactam, tristis redit; *sedet inde viis*, armentis metnenda; *inclusa longo pervigilant castella metu*, plores per dies pastores intra septa greges continent; *dolor attrahit orbes*, oculos contrahit, deprimit (vide locum fere similem supra, lib. I, 758, ubi iisdem sermo de leone irato: *genas et lumina pressit*), *et misero manat juba sordida*

Terga dedit; sedet inde viis, inclusaque longo
Pervigilant castella metu; dolor attrahit orbes
Interea, et misero manat juba sordida luctu.

738. *Ægra dedit*, et versu præcedenti, *gemitum* conj. Heins. *Gemitus* et *orba dedit*. Burm. *Arva quatit*. Jacobs. *Sedet in deviis*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. *In triviis*. Ald. *Sedet inde viis*. Eugent. ex Pio. — 739. *Urbes*. Bonon. cod. et edd. usque ad Carr. Sed *orbes*, jam Pius vindicaverat. Ed.

luctu, lacrimæ manant ex juba pulvere conspersa.

740. *Et misero manat juba sordida luctu*. De *juba leænæ* varie argutantur interpretes. Quid sentiamus vide ad calcem hujus libri, not. 740. Ed.

IN LIBRUM TERTIUM

ARGONAUTICON

NOTÆ

NOVI EDITORIS.

V. 1. *Tertia jam gelidas Tithonia solverat umbras,*
Exueratque polum.

Τὸ *exuere polum* vel *cælum* ellipsin habet: subaudi *umbris*. Ejusdem modi locutio, *vestire lumine*, occurrit apud Virgilium, Æn. VI, 640:

> Largior hic campos æther et lumine vestit
> Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.

V. 6. .... *sed quem sua noto*
Colle per angustæ Lesbos freta suggerit Helles.

Sua posset jungi cum *freta*; intelligendumque esset, Cyzicenos Hellespontum dicere *suum*, propter vicinium. Sed facilius videatur, si *sua* jungatur cum *Lesbos*. Cui antem referatur Lesbi possessio? Cyzicenis, non probabile. Malim *sua* referri *Baccho*, v. 5: Lesbos enim dilecta erat Baccho, propter vini sui præstantiam. Bacchus dictus est *Methymnæus* a Methymno, hujus insulæ urbe; ac verisimile est *Methymnæum* esse, collem quem Valerius innuit his verbis, *noto colle*. Vide Virgil. Georg. II, 89:

> Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
> Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

V. 34. .... *veloque Procnesson*
Teque etiam medio flaventem, Rhundace, ponto,
Spumosumque legunt fracta Scylaceion unda.

Proconesus seu *Proconessus* nomen est insulæ in Propontide, fodina lapidis celeberrimæ. Vide Strab. lib. XIII, p. 588. *Rhyndacus*, ortus in Azanitide, in Propontidem exit apud Lesbicum insulam. Vide Strab. lib. XIII, p. 576. *Scylacen* Pelasgos habitasse Herodotus refert, I, 57.

V. 49. .... *patet ad medias per devia noctes*
Sengerum latus, et torvæ coma sibila frontis.

In veteribus editionibus, quum nullum post *noctes* punctum sit, *latus* et *coma* sunt supposita verbi *patet*.

V. 50. *Et torvæ coma sibila frontis.* — Poetas arboribus sibila tribuere merito notat Wagnerus, confirmatque Virgilii exemplo, cui subjungemus unum e Catullo, Carm. IV, 11:

> ....Cytorio in jugo
> Loquente sæpe sibilum edidit coma.

V. 61. *Passuque movens orichalca sonoro.* — *Orichalca* non puto posse significare *tibiam* seu *tubam* orichalco vinctam: patetque ex his verbis, *passu movens sonoro*, capiendum esse hunc locum de armatura quæ deæ incessu mota sonitum ederet. Homerus sæpe sonitum armorum canit, seu bellator aliquis e curru in terram desilit, sive prostratus ruit. Sic etiam Virgilius, Æn. X, 488: *sonitum super arma dedere*. Idem Homerus de sagittis Phœbi incedentis hæc habet, Il. I, 46:

> Ἔκλαγξαν δ' ἄρ ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
> Αὐτοῦ κινηθέντος.

Virgilius loricam describens, *orichalcum* nominat, Æn. XII, 87:

> Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
> Circumdat loricam humeris.

Vox *orichalcum* in utroque Virgilii Valeriique loco supra laudato, nil aliud mihi significare videtur quam quod χαλκὸς in hoc Homeri loco, Il. XII, 396: ἀμφὶ δέ οἱ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ. Hesiodus, Clip. Herc. v. 122, cothurnum ex *orichalco* tribuit Herculi. Lampetie, Solis filia, patris boves pascens, dextra virgam ex *orichalco* gerebat; vid. Apollon. IV, 973, et Schol. l. l.

> V. 67. ....*qualisve redit, venatibus actis,*
> *Lustra pater Triviamque canens; humeroque Learchum*
> *Advehit: at miseræ declinant lumina Thebæ.*

Statius quoque Athamantem pingit, insana mente, referentem humero corpus Learchi filii a se occisi, quem feram putabat, gloriantemque de prospero venationis eventu: Theb. III, 185:

> ......neque funerea quum laude potitus
> Infelix Athamas trepido de monte veniret,
> Semianimem heu læto referens clamore Learchum.

> V. 75. ......*nec quæ regio, aut discrimina, cernunt:*
> *Cur galeæ clipeique micent? num pervigil armis*
> *Hostis, et exciti dent obvia prœlia Colchi?*

Postremus versus abest a codicibus, veteribusque editionibus: quem in margine sui codicis repertum, primus in textum recepit Carrion, lacunam hic esse ratus. Si vero referas *num pervigil armis* ad vocem *regio*, v. 75; sive subaudias dictionem *gens*, nihil hic deesse reperies. Præterea legitur

in editione Aldina: *cur pervigil armet;* quæ lectio jam in commentariis Pii occurrebat.

V. 88. *Ægisono quam nec fera pectore virgo dispulerit.* — *Ægisonus*, qui ægidis sonum edit. Hæc vox, quæ, puto, nusquam alias reperitur, juncta cum *pectore*, docet hic agi de *lorica* Palladis, non de clipeo, sicut et hoc Virgilii loco, Æn. VIII, 435:

> Ægidaque horriferam, turbatæ Palladis arma,
> Certatim squamis serpentum auroque polibant,
> Connexosque angues, ipsamque in *pectore* divæ
> Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Vide quoque sonantem Palladis loricam apud Horat. Od. III, 4, 57:

> Contra sonantem Palladis ægida.

V. 89. *Nec dextra Jovis, Terrorque Pavorque Martis equi.* — Burmannus ait *dextram Jovis* capiendam esse de fulmine, quod dextra solet vibrare, affertque hæc Horatii exempla, Od. I, 2, 2:

> ....et rubente
> Dextera sacras jaculatus arces
> Terruit Urbem.

Id. III, 8, 36:

> Nec fulminantis magna Jovis manus;

Quibus subjungi possit illud e Virgilio, Georg. I, 328:

> Ipse pater media nimborum in nocte corusca
> Fulmina molitur dextra.

Terror et *Pavor*, Δεῖμος καὶ Φόβος, Martis et Veneris erant filii: quibus armigeris utebatur pater; vide Hesiod. Scut. Herc. 195. Quidam auctores falso putaverunt hæc duo nomina Martis equis Homerum tribuisse, Il. XV, 119. Vide Schol. Il. IV, 440. Valerium verisimile est in hunc errorem inductum fuisse hoc Virgilii loco, Georg. III, 90: *et quorum Graii meminere poetæ Martis equi bijuges.* Alias tamen apud Nostrum *Pavor* adhibetur, ut nomen cujusdam dei, II, 204:

> Accelerat Pavor, et Geticis Discordia demens
> E stabulis;

Quæ res verisimilem efficit conjecturam Barthii legentis *Martisequi*, i. e. qui Martem sequuntur.

V. 91. *Cæruleo veluti quum Jupiter agmine nubem*
Constituit.

Constituere nubem cæruleo agmine, notanda est locutio, et similis τῷ *constituere agmen*, quod occurrit apud Livium aliosque. Vid. not. in Liv. Editione nostra, Tom. V, p. 260.

V. 100. *Restitit ille gradu.* — *Ille* indicat Dolionem Corythum, ut patet ex his verbis, quibus Tydeus illum compellat: *quo steteris, moriere loco.*

V. 103. *Et Tydeus.* — Legendum censeo: *sed Tydeus.*

V. 105. *Subit ilia cuspis Olenii.* — Olenus erat urbs Ætoliæ antiqua. *Olenius* hic Tydeum designat, Œnei regis Ætoliæ filium. Carrion sumpserat *Olenii* pro nomine alterius bellatoris, quem Alardus reperisse confidebat apud Apollonium, I, 202, ubi illa vox nil aliud quam apud Valerium significat, *ex Oleno* scilicet, sive *ex Ætolia*.

V. 115. *Ast illi subitus ventis vivoque reluxit*
Torre focus: telis gaudes, miserande, repertis.

Ex interpretatione Wagneri, Geuysus ignem titionis spiritu resuscitat, atque ita, lumine accenso, arma occultata quærit reperitque. Nobis contra videtur fortuito focum reluxisse, ut sæpe fit; quem sensum confirmat vox *subitus*. Nec putamus Genysum, torre prælucente, arma reperisse, sed ipsum torrem, pro armis, rapuisse. Non enim verisimile est futurum fuisse, ut arma de industria celata, subita luce detegerentur.

V. 121. *Statque loco torus; in quo (omen) mansere ministri.* — Locus ille manifesto mendosus est. Heinsius proponit, *inque domo mansere ministri*, vel *idque omen sensere ministri.* Ego legendum censeo, levissima cum mutatione, *inque omen mansere ministri.* Similiter dixit Virgilius, Æn. XII, 854: *inque omen Juturnæ occurrere jussit.* Occurrit sæpe *in omen vertere, in omen accipere;* sacri interruptio, apud Veteres habebatur ominosa. Juvenis Pallas, apud Virgilium, Ænea Pallanteum adventante, dum gens diis operaretur, vetat ne abrumpatur res divina, solusque ad litus properat, Æn. VIII, 109:

> Terrentur visu subito, cunctique relictis
> Consurgunt mensis: audax quos rumpere Pallas
> Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse.

Miror Burmannum, quum præter cætera exempla, illud quoque Virgilianum afferret, « qua in re fuerit illud *omen* » de quo Valerius, non intellexisse.

V. 122. *Inde vagi nec tela modis nec casibus isdem*
Conseruere manum, et longe jacuere perempti.

Capienda ista, non de Medontis famulis, ut putabat Heinsius, sed de ipso Medonte Geuysoque paulo supra memoratis. Quum alter titione, alter ense armatus ad pugnam provolasset, merito auctor dixit: *nec tela modis iisdem conseruere.*

V. 130. *Quantus ubi immenso prospexit ab æthere Typhon*
Igne simul ventisque rubens.

Egregie describit Valerius hoc phænomenon navigantibus formidolosum, quod nautis vocatur vel *turbo marinus*, vel *sipho*, vel *aquarum columna.* Confer Lucretii descriptionem poetica vi longe inferiorem, VI, 425:

> Nam fit, ut interdum tanquam demissa columna
> In mare de cælo descendat, quam freta circum
> Ferviscunt graviter spirantibus incita flabris.

Illud meteorum Lucano quoque memoratur, Phars. VII, 155:

> ....immensoque igne columnas
> Et trabibus mixtis avidos typhonas aquarum.

Cave ne illum Valerii Typhonem, Harpyiarum patrem (IV, 516), cum gigante Typhœo (II, 24; IV, 236; VI, 270) confundas.

V. 140. *Duplicata.* — Vide varias lectiones infra textum, ad v. 140. *Deducta*, Gronovii (Observ. I, 13) conjectura, potior nobis videtur lectio.

V. 143. *Has, precor, exuvias, et prima cadavera, Nestor,*
Linquite, ait.

Pro *et prima* legitur apud codices veteresque editiones *opima*, in qua voce, ut notat Burmannus, auctor respicit ad *opima spolia*.

V. 152. *Zelyn et Broten Abarinque relinquit Semineces.*—*Zelys* unus e Dolionibus est Apollonio quoque memoratus in hoc prælio, lib. I, 142. Pro *Broten* puto legendum esse *Bronten*, derivatum a *Megabrontes*, quod nomen apud Apollonium eodem loco occurrit.

V. 205. *Famuli propioris honores.*—*Famulus* hic idem valet quod *aulicus*. Occurrit apud Spartianum, in Sever. cap. 6, *famulitium aulicum*.

V. 290. *Te tamen ignarum tanti miserande furoris*
Nox habet, et nullo testantem fœdera questu
Et mihi luctificum venit jubar.

Apud Burmannum Wagnerumque, *nox* hoc loco significat *mors*. Quum vero auctor addat Cyzicum nil queri, quod supervacuum possit videri, si non ineptum, quippe quum nemo defunctus queratur, legendum censeo:

> Nox habuit nullo testantem fœdera questu:

Hoc sensu: noctu interemptus, ignoras, ideoque non quereris, fœdera tam fœde, insciis tamen hospitibus, rupta. Præterea *nox* propriam significationem necessario retinere mihi videtur respicienti quod statim sequitur: *At mihi luctificum venit jubar:* ubi *dies* opponitur *nocti;* videturque ille omnino locus ita fere capiendus: « Tu felix morte tua, qui nocte occubuisti, veri ignarus: at ego sum infelicior te; dies ortus mihi detexit horrenda noctis facinora »; vel sic: « Tu quidem non quereris de me, ignorans te hospitis manu oppressum esse: at ipse mihi velut exprobrabundus oritur dies, fœdi spectaculi conscius ».

V. 302. *Patriæ exitium crudele senectæ, Et tot acerba canens.* — Non memini me quicquam uspiam ante apud Valerium legere de illo vaticinio; nec certe meminit auctor quid supra, lib. I, v. 693-699, cecinerit de Jasone, anxio quidem de patris salute, sed exitus luctuosi qui seni instaret, minime præmonito.

V. 316. *Primis conjux ereptus in annis Cuncta trahis.* — Cyzici juventus, connubium recens, ejus exitium uxori luctuosius faciunt: quæ adjuncta ex Apollonio, I, 972, desumpsit Valerius. Quod sequitur:

........necdum soboles, nec gaudia de te
Ulla mihi; quis mœsta tuos nunc, optime, casus
Perpeterer, tenui luctum solamine fallens,

similitudine refert hunc Virgilii locum, Æn. IV, 327:

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret;
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.

V. 320. *Mygdonis arma patrem, funestaque prælia nuper*
Natales rapuere domos; Triviæque potentis
Occidit arcana genitrix absumpta sagitta.

Stephanus Byzant. meminit Mygdonis qui nomen dedit Mygdoniæ, Phrygiæ parti. Andromache apud Homerum, Il. VI, 414-428, similiter queritur se patre fratribusque orbatam esse præliis, matre vero, Dianæ sagittis. Vide quoque Macrob. Saturn. I, 17.

V. 336. *Funereæ quæ cuique manus, quæ cura suorum,*
Quæ fortuna fuit.

Tò *manus funereæ* mihi videtur eos designare qui mortuis parentabant. Servius, Æn. IX, 486, interpretans vocem *funeræ*, ait: « *funeras* autem dicebant quasi *funereas*, ad quas pertinet funus »; quo loco vox *funereæ* significationem habet eamdem quam *funeræ*, nostramque interpretationem confirmat. Vid. Virgil. nost. Vol. IV, p. 49; et VII, p. 40.

V. 362. *At non inde dies, neque jam magis aspera curis*
Nox Minyas tanta cæsorum ab imagine solvit.

Tò *jam* quod, quum abesset a Vaticano codice, metri fulciendi causa insertum est, hic ἄτοπον videtur. Heinsius lectionem a codice nimis diversam proponit; felicior, meo judicio, Vossii conjectura legentis *nec quæ magis* pro *neque magis*. — Cf. hunc Ovidii locum, Her. XIII, 104:

Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis,
Nocte tamen quam luce magis.

Vide quoque apud Nostrum, VII, 5: *et mens incensa tenebris.*

V. 412. *Tu socios adhibere sacris, armentaque magnis*
Bina deis.

Pro *bina* Pius proponit *bima*, quam lectionem receperunt editiones Engentini, Colynæi et Gryphii. Burmannus putat *armenta bina* significare *duas oves*; ego vero, *duos boves*, conjicio, quum Hygin. fab. 118, dixerit *centum armenta* pro *centum boves*. Majorem ovium numerum cæsum esse patet ex eo quod sequitur, v. 430:

Atque Argoa manus variis insignis io armis
Ibat agens lectas aurata fronte bidentes.

Et infra, 439 : *Tunc piceæ mactantur oves*. Si *magni dei* hoc loco sunt, ut videtur, Pluto et Proserpina, τὸ *bina armenta* potest designare duas victimas, taurum nempe et vaccam, quæ Plutoni et Proserpinæ solebant immolari : Virg. Æn. VI, 251 :

> ....sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
> Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
> Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Quum tamen mactatos esse postea boves non videam, ad oves redeo, hanc notam ideo tantum retinens, ut disceptatione illustretur ille locus.

V. 422. *Hic sale purpureo, vivaque nitentia lympha*
Membra novat.

Sal hic esse aquam marinam existimo, ut in hoc Virgilii loco, Æn. I, 177 :

> Et sale tabentes artus in litore ponunt.

Mare autem *purpureum* dici non opus est ut probetur.

V. 430. *Aurata fronte bidentes* — Wagnerus sic interpretatur : « oves cornibus deauratis ». Non puto Wagnerum oves vidisse *cornigeras*. Si quem tamen juvat cornua deaurata retinere, non continuo mutandæ *oves* in *tauros*, ut fecit A. *Dureau Delamalle* : sed τὸ *bidentes* posset haberi ut nomen epicœnum, et capi de arietibus æque ac de ovibus : quæ conjectura verisimilior eo videtur, quod aries aureo vellere aliquando vocatur *ovis aurata*.

V. 444. *Quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum*
Rite locat quercus.

Hoc loco nondum præclare actum est cum Valerio. Zinzerlingius legendum rebatur, *truncos*. Sollicitum hunc locum Heinsium habuisse, variæ, quas oræ libri sui adscripsit, arguunt conjecturæ. Burmannus ita construit verba : *locat quercus nemorum truncas*, ut *effigies* essent *virorum*. *Truncas* explicat, ramis et foliis abscisis. Ego quidem existimo *nemorum* non cum *quercus*, sed cum *truncas* jungendum, et *truncas* dici quercus quarum circumcisi sunt rami. Occurrit apud Virgilium *trunca* cum genitivo, Georg. IV, 310 : *trunca pedum primo*, etc. *Silva* autem apud Valerium ponitur pro *ramis*, supra, v. 427 : *silvaque super contristat opaca*; aliasque *nemus* eamdem habet significationem, I, 755 :

> Flagrantes aras, vestemque, nemusque sacerdos
> Præcipitat.

V. 460. *Exciderint quæ gesta manu, quæ debita fatis.* — Ille versus in memoriam revocat celebrem hunc Statii locum, qui Gallorum genti ingeniosam præbuit allusionem, Silv. V, ad Crisp. 88.

> Excidat illa dies ævo, ne postera credant
> Sæcula : nos certe taceamus, et obruta multa
> Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

V. 468. *jamque ipse magister*
Nutat ab arce ratis, remisque obsistere tendit.

Miror quomodo Burmannum fefellerit imago quam exhibet ille locus: *nutare* hic non significat *nutu signa dare*, ut Burmannus, Wagnerusque post illum explicat, sed *in unam et alteram partem inclinare*, ut ex eo patet quod sequitur: *remisque obsistere tendit. Nutu* Valerius utitur alias eodem sensu, VI, 382: *nutuque cadens exterruit Idam.*

V. 472. *Inde alii increpitant, atque æquora pectore tollunt;*
Par gemitu pulsuque labor.

Vox *pectore*, imaginis instar, nautas exhibet, prominenti pectore, supinos; quod sequitur, *gemitu pulsuque*, ipsam contentionem, anhelitumque nisu expressum, imitatione refert.

V. 476. *Dixit, et intortis assurgens arduus undis.* — Non poterat major fingi contentio: Hercules pingitur assurgens, quo validius deinde, totius corporis pondere in tergum renitentis adjutus, remum ad pectus adducat, graviter profecto, tanto conamine decepto, supine ruiturus.

V. 492. *Tunc sic alloquitur.* — Quo facilior intellectu sit Junonis oratio, hæc narrat Wagnerus: « Phryxus mortuus Æetæ regi per insomnium apparens, prædixerat magnum huic malum imminere, si quando vellus aureum eripi sibi, Medeamque filiam extraneo jungi, pateretur. Itaque constituit Æetes vellus diligentius custodire, filiamque immaturam Styro, Albanorum regi, desponsare. Quum vero varia ob ostenta atque prodigia cives de futuro solliciti esse cœpissent, sacerdos Æetæ suasit, ut vellus quam primum in Thessaliam remitteret. Sacerdoti se adjunxit Perses, Æetæ frater. Rex ira excandescens fratrem insimulat, quod inanibus cives terroribus impleat, ut solio se dejiciat. Persuadet idem aulæ proceribus, et Perses in exsilium abit, mox socia adjutus manu rediturus. Hæc omnia ante expeditionem Argonautarum facta ».

V. 494. *Barbaricas jam movit opes.* — Sic Virgilius, Æn. VIII, 685:

Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis.

V. 501. *Corripe prima vias.* — Nusquam postea de illo Palladis itinere meminit Valerius, qui quidem, nil aliud profecto cogitans quam ut a Junone testem importunam removeret, non sensisse videtur se, inita fabula quæ careret exitu, legentis exspectationem frustra movisse.

V. 506. *At virgo quanquam insidias æstusque novercæ*
Sentiat.

Immerito quidam *astus* legunt pro *æstus*. Respexit Valerius ad hunc Virgilii versum, Æn. I, 134:

Nec latuere doli fratrem Junonis et iræ,

quem non tam incallide imitatus esset, ut, quum verbum quasi verbo exprimeret, significantem dictionem redundanti pensaret: hinc enim *insidias*, illinc *doli*, hinc *æstus*, illinc *iræ*, hinc *sentiat*, illinc *non latuere*, singula singulis ita respondent, ut alter alteri locus, si quid opus esset, interpretationis vicem præstare posset.

V. 523. *Et maniceæ virides, et stricta myrtus habena.* — Quum vulgata lectio idoneum efficere sensum nobis videretur, Wagneri emendationem in textum non recepimus: quum tamen ejus commentarium, ex operis instituto, edamus integrum, hanc emendationem ac notam huc transtulimus, ne diverso textui subjecta interpretatio pugnaret. Sic igitur Wagnerus: « Vulgata habet: *et stricta myrtus habena*, quam si servare velis, non aliter exponere possis, quam sagittam loris instructam, amentatam. Sed longe exquisitiorem subministravit lectionem amicissimi Mulleri, scholæ Cizensis rectoris meritissimi, facilitas; a quo quum petiissem, ut, si quid in libris Thomæ Reinesii, quorum pars maxima in bibliothecam episcopalem Cizensem olim migravit, oræ Valerii mei adscriptum deprehenderet, mecum benevole communicaret, inter alia levioris momenti adnotamenta invenisse se ad hunc locum nuntiavit adjecta hæc: « *Virides maniceæ:* videri possit legendum *teretes* (nil opus); *myrtus*, lege *corytus*. Phavorinus: γώρυτος, ἡ τοῦ τόξου θήκη, pharetra. Stat. Theb. IX, 730. Stupor correctoris scioli, simul ingeniosa nequitia hic apparet ». Haetenus Reinesius, qui in hac emendatione ita sibi placuit, ut eamdem etiam suo exemplari Phavorini allineret, et in Gloss. ad Inscriptiones, p. 116, orbi erudito nollet invidere. V. Gesneri Thes. h. v. qui et ipse hanc correctionem probat, et Burmannum, si in mentem venisset, facile amplexurum fuisse, conjicit. Cæterum vox ista etiam apud alios obvia est poetas, Virgilium, Ovidium, Silium, etc. quorum loca vide apud Gesnerum. Ego vero Reinesii et Gesneri, duumvirorum præstantissimorum, auctoritati hoc dedi, ut lectionem diu immerito exsulem revocarem, ita tamen, ut, quum prima syllaba producenda sit (γώρυτος), pro *et stricta* posuerim *stricta et:* *Stricta et corytus habena*, h. e. pharetra loris humero apte accommodata ». — Non tanti nobis videtur Reinesii conjectura, ut, illius ergo, particula *et* movenda sit e loco, quod tamen fecit Wagnerus, ut *corytum* pro *myrto* in textum insereret. *Myrtus* autem *stricta habena*, jaculum est loro, quo missum retrahatur, instructum, quod Valerius alias sic exprimit, VI, 237: (*abies*) *docilis relegi docilisque relinqui*. Hoc genus est teli de quo Virgilius, Æn. VII, 730:

Teretes sunt aclides illis
Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello.

V. 539. *Quum domitas acies, et Eoi fercula regni*
Duceret.

Ferculum proprie instrumentum est in quo quid fertur; ipsas sæpe res designat, quæ ferri solebant in pompa triumphali. Seneca ait eum nun-

quam in triumpho ductum iri, qui mortem audeat contemnere, Herc. Œt. v. 110:

> Nec pompæ veniet nobile *ferculum.*

Statins eodem utitur vocabulo in descriptione triumphi quem Theseus de Amazonibus agit, Theb. XII, 523:

> Ante ducem spolia, et duri Mavortis imago,
> Virginei currus, cumulataque *fercula* cristis,
> Et tristes ducuntur equi.

V. 560. . . . . *nil umbra comæque*
Turbavitque sonus surgentis ad oscula nymphæ.

Wagnerus intelligit *umbra comæque* de arborum umbra. Mihi videntur hæc verba capienda esse de nympha emergente. Vocem *umbra* sæpe Valerius adhibet, imaginis gratia; vid. lib. III, 99: *et ingentem Corythi notat Eurytus* umbram; lib. V, 176:

> Et simul ingentem moribundæ desuper *umbram*
> Alitis.

V. 565. *Jam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos*
Depulerat.

Quum arbor una conficiendo remo sufficere potuerit, quin legimus *ornum*, eo confidentius quod vetus Vat. cod. sequenti versu habet *revulsam?*

V. 566. *Magnoque jugi stridore revulsas.* — Repetitio syllabæ *re* stridorem arboris revulsæ imitatione refert.

V. 573. *Nube mali percussus amor.* — *Nube* translate. Libenter hac voce translata Valerius utitur, uti quidquid mentem animumque perturbat, sentiendive facultatem adimit, depingat; vide supra, 66, *nube meri*; VIII, 81, *ac primi perculsus nube soporis.*

V. 584. *Pavet omnis conscia late Silva.* — Rapti scilicet Hylæ conscia et quasi particeps; sic, IV, 356:

> Antraque deprensæ tremuerunt conscia culpæ;

Vide quoque I, 526: *veteris sat conscia luctus Silva Padi.*

V. 587. *Ille velut refugi quem contigit improba Mauri*
Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur.

Nescio cur Wagnerus *refugi* sic explicet: « *ex fuga tamen redeuntis* ». Maurus jaculum fugiendo mittit, ne leo statim in se irruat: ideo jaculum auctor vocat *improbum*, id est, non generosum, ab hoste pugnam refugiente missum.

V. 589. *Frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem.* — Dixerat Virgilius de lupo circum ovile obambulante, Æn. IX, 62: *Ille asper et improbus ira Sævit in absentes.* Valerius dum vult aliquid Virgilio super addere, videtur ultra quam par erat progressus; adeo periculosum est cum summis artificibus contendere!

V. 596. *Rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat*
Avia.

Egregia imitatio hujus loci, Virg. Eclog. VI, 44:

Clamassent; ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret.

V. 597. *Responsant silvæ, et vaga certát imago* — *Vaga imago*, suppl. *vocis*, id est, echo, quæ vocis sonum, poetice imaginem, refert. Conf. Virgil. Georg. IV, 49:

......................ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Vide quoque Horat. Od. I, 12, 3: *cujus recinet jocosa nomen imago.* Verbum *certat*, echum cum voce quasi contendentem feliciter pingit. Ingeniosior æquo Barthol. Maranta, quem citat Burmannus, insigne poetæ nostri acumen et artificium sibi deprehendisse visus est in hoc versu, quo ipsius echus imaginem exprimi putat, et ultimæ syllabæ vocis *silvæ*, quasi per echo respondere primam in τῷ *vaga*, deinde *aga* iterum ex *vaga* referri per *ago*, in imago. « De quo ego, inquit Burmannus, poetam ne per somnium quidem cogitasse puto. »

V. 598. *At sociis immota fides, austrisque secundis*
Certa moræ: nec parvus Hylas: quanquam omnibus æque
Grata rudimenta, Herculeo sub nomine pendent.

Varias lectiones interpretationesque variorum non satis idoneas omitto. Intelligendo illi loco satis omnino futurum esse existimo, si pro *pendent* legatur *pendit*, h. e. alicujus est ponderis, momenti. Apud Lucret. I, 362: *tantumdem pendere* idem valet quod *tantumdem ponderis habere.*

V. 617. *Scythicis struerem quum funera terris.*— *Struere funera* mihi videtur in ore Jasonis alienum, quippe qui, Peliæ coactu, Colchicam expeditionem suscepit invitus. Non cadit ea reprehensio in hæc Meleagri verba, infra, 681: *nec enim solis dare funera Colchis Sit satis:* illa enim loquela juvenilem impetum ac ferociam arguens, Meleagri ætati et moribus rite congruit.

V. 664. *Non ea fax odiis; oblitaque numine fesso*
Juno sui.

Heinsio videtur omnino scribendum *pax* pro *fax*. Quæ lectio possit eo facilius recipi, quod in archetypo codice, Vaticano scilicet, litteræ *p* et *f* occurrant sæpe, vicibus versis, promiscuæ. Quin etiam hoc loco, *saxa facesque atras*, lib. III, 96, codex ille *paces* habet pro *faces*, sed immerito. — *Oblitaque numine fesso Juno sui.* Sic Virgil. Æn. III, 629:

Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.

V. 670. *Ast egomet quocumque voces, sequar; agmina ferro*
Plura metam.

Ingeniose quidem *sequar agmina* pro *qua tegmina* conjecit cel. *Jacobs*: sed posteriorem versus partem a priori abscidit, quas quum malim junctas legere, Heinsio libentius accesserim sic emendanti: *quaque agmina ferro Plura metam*. In Vat. cod. sic incipit versus: *Et ego et*. Heinsius proponit, *en egomet*: mihi magis placeat: *En ego, en quocumque voces*.

V. 707. *Hanc ego, magnanimi spolium Didymaonis, hastam,*
Quæ neque jam frondes, virides nec proferet umbras,
Ut semel est evulsa jugis, ac matre perempta,
Fida ministeria, et duras obit horrida pugnas.

Decertat hoc loco Valerius cum Virgilio, Æn. XII, 206:

Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Quum semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

In illo certamine propriam uterque laudem retinuit æmulus, nec victor aut victus omnino discedit alteruter. Singula si dispicias, elegantior ac mollior Virgilius: placet Valerius novitate quadam, recentioris ingenii nota: *umbras* tantum dixit Virgilius, *at virides umbras* excogitavit Valerius: *quum semel est evulsa jugis* rem non modo pingit, sed imitatur etiam asperitate soni. *Mater sceptri* non magis mihi placet quam *hastæ mater*: quis autem hanc dictionem ægre ferat, cui debetur eximius ille versus,

Matre caret, posuitque comas et brachia ferro?

quem si quis seorsum a cæteris versibus nunc primum legat, vicem alicujus, non arboris certe, doleat; adeo sensum ac vitam descriptis rebus auctor ita infundit, uti nullatenus videantur inanimatæ! De summa quid sentiat *Pope* operæ pretium erit cognoscere. Celeberrimus ille Britannus poeta præcipuam Valerio laudem asserit, quod, quum jusjurandum illud solemne vehementi quodam egeat affectu, incitatione tamen caret Virgilianus in quo adhibetur locus, quæ in Valeriano certe non desideratur.

V. 730. *Ilicet extremi nox litore solis Iberas*
Condidit alta domos, et sidera sustulit astris.

Extremus sol pro *occiduus sol*. Hæc locutio respondet illis, *primus sol*, *medius sol*, quæ sæpe apud Valerium aliosque occurrunt. Pro *astris*, variæ sunt lectiones: potior nobis videtur *axis*, quam dedit Is. Vossius.

V. 734. ....*comitis nec fata perempti*
Quæ referat, videt, aut socios qua mente revisat.

Uterque regiæ bibliothecæ codex, utraque Bononiensis, et Venetiis, anno MD, typis impressa editio, quæ tres sunt reliquis editionibus anteriores, habent *parenti*. *Perempti* Pii conjectura est, quæ in editione Juntæ

semel recepta, inde in cæteras deinceps omnes defluxit. *Perempti* autem hoc loco nou est idoneum, quum nesciat Hercules, an Hylas perierit: *parenti* vero egregium efficit sensum; Hercules uempe de matre Hylæ cogitat, quid matri filium repetenti respondeat. *Parenti* h. l. significat *matri:* uam pater Hylæ, Theodamas, ab Hercule jam cæsus fuerat; vid. Apollon. I, 1213.

V. 738. *Non aliter gemitu quodam lea prolis ademptæ*
Terga dedit.

Ut lea catulis orba refugit ab autro, sic Hercules ad socios redire non sustinet.

V. 754. *Et misero manat juba sordida luctu.* — Hic C. *Dureau Delamalle* ait immerito culpari Valerium, tanquam leænæ *jubam* imperite tribueutem: *jubam* autem interdum de pilo tautum dici sequentibus exemplis docet: Stat. Theb. IV, 777: *Icarii quamvis juba fulguret astri*, ubi astrum Icarium, canis Erigoneius est. Valerius de Caspiorum canibus, ad militiam instructis, hæc canit, VI, 110: *nam pectora ferro Terribilesque innexa jubas*, nou equidem suspicaudus *jubam* proprie dictam canibus tribuisse. Ovidius ait de Europa in tauro sedeute, Fast. V, 607:

Illa *jubam* dextra, læva retinebat amictus.

Tauros autem *juba* carere uemo nescit.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER QUARTUS

LIBRI QUARTI

ARGUMENTUM

ÆGIDIO MASERIO

AUCTORE.

Ætheris Herculeos rector miseratus amores
Increpat uxorem: curis somnoque sepultum
Alciden solatur Hylas; justisque deorum
Jupiter evictus precibus Titania solvi
Vincla jubet: Phrygii differt perjuria regis
Alcides: sævo Bithynia rege tumescens
Remigio petitur: nati percussus amore
Majores, Neptune, gemis succedere vires:
Crudo Tyndarides dat leto Bebryca cæstu:
Harpyias juvenes pellunt: oracula pandit
Fatidicus Phineus: surgunt Symplegades: Argo
Evolat; inde Lyci victrix ad litora tendit.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER QUARTUS.

ANALYSIS LIBRI QUARTI.

Jupiter, Herculis sortem miseratus, graviter et acerbe invehitur in Junonem, filioque immittit soporem, per quem Hylas apparet, et, quid sibi acciderit, enarrat, 1-49. Expergefactus Hercules, omni Hylæ sui recuperandi spe abjecta, redit ad litus, ubi socios per altum pergere videt, 50-57. Quo tendat dubius, quum in eo esset, ut ad Laomedontem, Hesiones liberatæ præmia repetiturus, abiret, a Jove, Latonæ, Apollinis et Dianæ precibus moto, ad Promethea Caucasiis a rupibus solvendum mittitur, 58-81. Argonautas, ægro animo egregii socii jacturam ferentes, consolatur Orpheus cantu, 82-89. Orto sole ante oculos habent Bebrycum regionem, qui sine legibus, inculti et barbari, rapto vivunt, hominesque naufragos ad regem Amycum trahunt captivos, qui viliores e saxis in mare præcipitari jubet, honestiores secum certare cæstibus cogit, cujus immanitatis finem instare præsagit ipse regis istius pater Neptunus, ideoque de potentiori Jove queritur, 90-132. Speculatum emissus a Jasone Echion, haud procul a litore incidit in juvenem tristem (Timantem), qui semel iterumque pedem suadet referre. Echion hunc secum ducit ad socios, ubi pericula istius regionis ulterius exponit, et Otrea, Lyci, Mariandynorum regis, fratrem, cui se itineris comitem dedisset, cæstu nuper prostratum narrat, 133-173. Nihil his territi juniores Argonautæ monstrum illud horrendum propius nosse cupiunt; et, ad antrum, dira oculis spectacula præbens, accedentes, paululum quidem paventes consistunt; præeunte tamen Polluce, mox animos colligunt,

174-198. Jam redit e silvis Amycus gigas; furibundus invehitur in advenas, et jactabundus provocat ad pugnam, 199-221. Certatim ad manus conserendas insurgunt Argonautæ; prævenit tamen omnes Pollux, quem, pugnæ se offerentem, ut juvenem imberbem contemptim habet, et illudit Amycus, 222-251. Utrique nunc induunt cæstus, et pugna committitur atrox, cujus eventus tandem is est, ut Amycus Pollucis dexteritate conficiatur, 252-324. Lætantes et gratulabundi victorem excipiunt socii, sacra diis faciunt, epulantur, 325-343. Postero die perveniunt ad Bosporum, quod nomen freto illi adhæsit ex transitu Ius, cujus fata Orphea canentem poeta inducit suavi episodio, 344-421. Aurora surgente, ad litora Thynnæa accedunt, ubi Phinea, Thraciæ olim regem, vatemque, offendunt, qui, quod arcana Jovis evulgaverat, non oculis tantum privatus, sed Harpyiarum etiam rapacitate et fœtore intolerabili multa hucusque perpessus, inter Argonautas fortasse liberatores olim sibi promissos adesse suspicatus, haud falsus sibi vates fuit, Boreæque filios, Calain et Zeten, quorum sororem in matrimonio habuerat, advenisse lætus audivit, 422-464. Argonautæ bono eum animo esse jubent, mediisque lectis accipiunt, ut ab Harpyiarum insultu defendant. Quibus mox irruentibus Calais et Zetes insurgunt, easque abactas ad Ionium usque mare persequuntur, 465-528. His ita peractis, Jovi sacra faciunt Argonautæ, dapesque apponunt Phineo post longum tempus quietas et puras. Dum ita genio indulget, Jason ab eo petit, ut vaticinandi, qua polleat, arte, futura et sibi prænuntiet. Dictis paret Phineus, et, nonnullis, maxime ad Cyaneas petras, periculis superatis, feliciter ad Phasidem perventurum esse confirmat, 529-625. Jam vero iter prosequendi tempus adesse ratus Jason socios navem revisere jubet, et, portu vix relicto, famosas illas conspiciunt Cyaneas, stupent, pavent; hortante tandem et manus admovente Jasone, intrant, summumque adeunt periculum. Adsunt deæ ex machina Juno et Pallas, quo fit, ut, extrema tantum puppis parte truncata, navis evadat, 626-702. Tum pergunt litora legere Ponti Euxini, cujus amplitudo describitur, 703-732. Tandem perveniunt ad Mariandynos, ubi Lycus rex, nuper e Bebryeum regione victor redux lætus eos tectis dapibusque excipit, 733—762.

Atque ea non oculis divum pater amplius æquis
Sustinuit; natique pios miseratus amores,
Junonem ardenti trepidam gravis increpat ira:
« Ut nova nunc tacito sub pectore gaudia tollunt!
Hæret inops, solisque furit Tirynthius oris.
At comite immemores Minyæ facilesque relicto
Alta tenent : sic Juno ducem fovet anxia curis
Æsonium, sic arma viro sociosque ministrat.
Jam, quibus incertam bellis, Scythicæque paventem
Gentis opes, quanta trepidam formidine cernam!
Tum precibus, tum me lacrymis et supplice dextra
Attentare veto : rerum mihi firma potestas.
I, Furias Veneremque move; dabit impia pœnas

1. *Utque ea.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. præter Bonon. I et II et Mascr. — 4. *Sub* abest a Vatic. cod. *Te pectore.* Carr. *Volvunt.* Pro var. lect. Bonon. et Cocki codd. — 5. *Mœret inops.* Bonon. et Burm. codd. Bonon. II. Vid. Maser. et Heins. nott. — 8. *Viro.* Heins. Wagner. — 9. *Insertam.* Maser. et Heins. — 13. *Improba.* Bonon. et Burm. codd. Ed.

1. Jupiter, miserans filium, Junonem increpat graviter. *Ut nova nunc tacito sub pectore gaudia tollunt* (se), quam impense gaudes in sinu, quod inopem, et in *solis*, desertis, *oris* furere videas Herculem!

4. *Tacito sub pectore gaudia tollunt.* Agnoscuntur Virgilii spolia, Æn. I, 502: *tacitum pertentant gaudia pectus.* Sed egregius prædator, usu callido, verbis non suis novam prorsus faciem, habitumque sibi proprium induxit; nec sine voluptate miratur lector, hinc maternos affectus, illinc novercalem invidiam ac dissimulationem (*tacito sub pectore*), iisdem fere verbis, expressam. Ed.

6. *Immemores Minyæ facilesque*, tam facile obliti, *alta petunt.* Sic Juno (ironice), egregia scilicet patrona, curam habet Jasonis, *sic arma viro* (non *viros*, quod obsidet vulgatam, uti recte monuit cel. Beckius, l. l. p. 265) *sociosque ministrat*, ut adimat.

9. Mox de belli eventu dubia, Scythicas opes spectans, formidine trepidabis; nihil vero tum efficies precibus, lacrimis, supplicationibus; *rerum mihi firma potestas*, nihil a consiliis semel captis amovere potest. Vid. I, 531 sq.

13. *I, Furias Veneremque move*, excita tibi socias. Furiarum hoc in concitandis amoris motibus officium non nisi poetarum recentiorum est. Statius, Theb. V, 66, ubi Lactantius furias Veneri conjungi ait, quoniam Veneris voluptas nihil sit nisi insania. Vid. Schneideri Analecta crit.

Virgo, nec Æetæ gemitus patiemur inultos ».
Dixit; et arcano redolentem nectare rorem,
Quem penes alta quies, liquidique potentia somni,
Detulit, inque vagi libavit tempora nati.
Ille, graves oculos, et Hylan resonantia semper
Ora ferens, ut nulla deum superare potestas,
Procumbit : tandem fessis pax reddita silvis,
Fluminaque, et vacuis auditæ montibus auræ.
Ecce, puer summa se tollere visus ab unda
Frondibus in croceis, et iniquæ munere nymphæ;
Stansque super carum tales caput edere voces :
« Quid, pater, in vanos absumis tempora questus?
Hoc nemus, hæc fatis mihi jam domus, improba quo me

20. *Fas reddita silva.* Corrupte Vatic. cod. — 26. *Hic fatis.* Bonon. cod. Ed.

p. 67. *Dabit impia* (in patrem Medea) *virgo pœnas, nec patrios gemitus patiemur inultos*, plane ut Horat. Od. I, 28, 33 : *precibus non linquar inultis.*

15. Tum immittit filio somnum. *Dixit; et arcano* (quo nomine poetis dicuntur, quæcumque vim quamdam humana majorem, insolitam exerunt) *nectare* (Hom. Il. II, 19, ἀμβρόσιος ὕπνος) *redolentem rorem*, liquorem (*redolere*, ablativo additum, rarius quidem, nec tamen sine exemplo. Ovid. Met. V, 405, *olentes sulfure.* Eidem casui junctum *spirare*, ut infra VI, 157; nec aliter Græci πνεῖν), *quem penes* (cujus ea virtus esset) *alta quies, liquidique potentia somni, detulit, inque vagi libavit tempora nati*, aspersit oculis. Verbis *roris, liquidi* et *libavit*, imitatur Noster alios poetas, qui quasi humoris quadam affusione somnum excitari volunt. Apud Homer. Od. V, 492, Minerva Ulyssi ὕπνον ἐπ' ὄμμασι χεῦε; apud Virg. Æn. I, 691, Venus Ascanio placidam *irrigat* quietem. Somno ideo tribuitur *cornu*, v. c. apud Statium, Theb. II, 144; VI, 27, et ipsum Nostrum, VIII, 121. Vid. *Lessing, wie die Alten den tod gebildet, S.* 45, 48; et *Ruperti* ad Silium, X, 356.

18. *Ille graves*, tristes, *oculos, et Hylan resonantia semper ora ferens*, tandem, *ut nulla deum*, somnum, *superare potestas*, non amplius resistere potest, *procumbit; tandem fessis*, clamore immenso defatigatis, *pax*, quies, *reddita silvis; fluminaque, et vacuis*, a vociferante liberatis, *montibus auditæ auræ*, montes jam strepitum fluminum, murmur fontium, ventosque rursus audiunt.

22. Dormienti apparet Hylas *frondibus in* (i. e. redimitus) *croceis*, corona crocea ornatus.

26. *Hoc nemus, hæc fatis* destinantibus, assignantibus *mihi jam*

Nympha rapit, sævæ monitu Junonis; inanes
Nunc Jovis accessus, et jam mihi limina cæli
Conciliat, jungitque preces et fontis honores.
O dolor! o dulces, quas gessimus ante, pharetræ!
Jam socii lætis rapuerunt vincula ventis,
Hortator postquam furiis et voce nefanda
Impulit OEnides: verum cum gente domoque
Ista luet, sævæque aderunt tua numina matri.
Surge, age, et in duris haud umquam defice; cælo
Mox aderis, teque astra ferent; tu semper amoris
Sis memor, et cari comitis ne abscedat imago. »
Talibus orantem dictis, visuque fruentem,
Ille ultro petit, et vacuis amplexibus instat,

27. *In amnes.* Codd. et edd. ante Carr. — 28. *Lumina.* Codd. et edd. præter Bonon. II et Venet. quæ *limina* habet, quam lectionem probant Maser. Zinzerling. Heins. Burmann. rejiciunt Pius et Vossius. — 29. *Preces* abest a Vatic. cod. *Jungitque suos.* Carr. cod. — 30. *Pharetram.* Vatic. cod. *Pharetras.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 31. *Plantis.* Bonon. cod. qui *ventis* pro varia lectione habet. Ed.

domus est, in quam *improba* (*iniqua,* v. 23) *nympha rapit,* Junone jubente; *inanes Jovis accessus, et jam mihi limina cæli conciliat,* quod, si sana lectio est, ita possit accipi: promittit mihi, quod fortasse præstare non potest, accessum ad Jovem et Olympum, *jungitque preces et fontis honores,* consolatur eo saltem, quod tamen fluviatilis sim deus. Brevius tamen defungi possis, si cum cl. *Jacobs,* l. l. p. 77, pro *inanes* legas *in arces.* — Vide ad calcem hujus libri not. 26. Ed.

30. Me miserum! quam vellem potius pharetratus, ut antea, tecum vivere! *Jam rapuerunt vincula,* portum reliquerunt, Argonautæ, *hortatore OEnide,* Meleagro, *nefando,* qui tamen non impune feret. — De illa Meleagri pœna, vide ad calcem hujus libri not. 33. Ed.

33. Plana quidem Valerii nostri hæc: *cum gente domoque ista luet;* sed quæ sequuntur, *sævæque aderunt tua numina matri,* si numina de Hercule in deos relato intelligas, haud inepte quidem facias, sed admodum placet, quæ Burmanno in mentem venerat, emendatio, pro *tua numina* legenti *tria numina,* i. e. Furiæ (—Immo *Parcæ.* Ed.). Facillimum tamen, si cum Heinsio reponas *sua.*

38. Talibus orantem dictis, *visuque fruentem,* cum voluptate spectantem, *ille ultro petit, et vacuis amplexibus instat,* brachia extendit, sed aera amplectitur et umbras, *languentisque movet frustra conamina*

Languentisque movet frustra conamina dextræ:
Corpus hebet somno, refugaque eluditur umbra;
Tum lacrymis, tum voce sequi, tum rumpere questus,
Quum sopor, et vano spes mœsta resolvitur actu.
Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
Quum rapit Halcyones miseræ fetumque laremque;
It super ægra parens, queriturque, tumentibus undis,
Certa sequi, quocumque ferant, audetque pavetque,
Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu est;
Illa dolens vocem dedit, et se sustulit alis:
Haud aliter somni mœstus labor: exsilit amens,
Effusisque genas lacrimis rigat: « Ibimus, inquit;
Solus et hos montes desertaque lustra tenebis,

41. *Unda*. Bonon. cod. — 45. *Cur*. Vitiose Junt. Ed.

dextræ, conatur dextram erigere: frustra, languet, somnum discutere non potest, *corpus hebet somno; refugaque eluditur umbra*.

42. Expergefactus tandem, *tum lacrimis*, quas nec heroas nec deos adeo dedecere Veteres putabant (vid. infra VI, 738, et Lessing. Laocoont. p. 6), *tum voce sequitur; tum questus rumpit*, emittit, quum spem per insomnium conceptam in nihilum redactam videt.

—Nobis videtur Wagnerus a recto sensu deflexisse: sopitus Hercules, non, ut Wagnerus putat, expergefactus, *flet*, Hylan *vocat*, *queritur* quod suos amplexus puer fugiat, donec vano conamine tandem expergefactus, *spem* una cum *sopore* videt evanescere. Ed.

44. Idem ei accidit, quod *halcyoni* (Alcedo, *Eisvogel*), avi, *cui fluctus ab saxi undisoni crepidine*, nam in summis litoribus nidos sibi struere istas volucres novimus, *rapit fetumque laremque*, pullos cum ipso nido.

46. Nescio, cur argutati sint interpretes in loco facillimo: *it*, volitat, *super undis tumentibus*, *queriturque* (querula), *audetque pavetque*, eleganter duo animi motus sibi oppositi in eodem subjecto: *certa sequi*, *quocumque ferant*, fluctibus sese prompta est committere; mox animum despondet, quum *icta*, agitata, *domus*, nidus, *fatiscit*, rimas agit, dissolvitur, *haustaque fluctu est*, et submergitur. De iisdem halcyonibus *audentibus* simul *paventibusque* vid. Sen. Agamemn. 680. sq.

50. Haud aliter Hercules, cui *somni mæstus labor*, tristis per somnum species oblata, spem injecerat, qua vigil dejiceretur.

52. Desertos igitur, mi Hyla, montes hos silvasque tenebis, *nec res mirabere nostras?* Oratio Hercule suæ sibi virtutis conscia digna! Re-

Care puer, nec res ultra mirabere nostras?»
Hæc fatus relegitque vias, et vallibus exit,
Incertus, quid Juno ferat, quas apparet iras.
Nec minus et socios cernit procul æquore ferri
Præcipites, tacitumque pudet potuisse relinqui.
Jamque iter ad Teucros, atque hospita mœnia Trojæ
Flexerat, Iliaci repetens promissa tyranni,
Quum mœsto Latona simul Dianaque vultu
Ante Jovem stetit, et supplex sic fatur Apollo:
« In quem alium Alciden, in quæ jam tempora differs
Caucasium, rex magne, senem? nullumne malorum
Finem adeo pœnæque dabis? te cuncta precantur
Gens hominum, atque ipsi jam te, pater optime, montes,
Fessaque cum silvis orant juga : sat tibi furtum
Ignis, et ætheriæ defensa silentia mensæ ».
Dixit ubi, e scopulis, media inter pabula diri

55. *Quasve.* Bonón. cod. Bonon. II. — 56. *Cernit simul.* Bonou. et Burm. codd. — 64. *Precatur.* Codd. et edd. ante Carr. — 65. *Optime* abest a Vatic. cod. — 68. *Dixit ubi*, et versu sequenti, *ipse etiam.* Codd. et edd. ante Carr. *Dixit, ibi.* Bonon. II. *Exit ubi... ipsum etiam.* Carr. cod. Ed.

rum a me gerendarum non amplius admiratorem habebo! Hæc fatus *relegit vias*, unde venerat, revertitur.

57. *Tacitumque pudet potuisse relinqui*, tacite Argonautis indignatur, quod se relinquere sustinuerint. Ed.

58. *Hospita mœnia Trojæ*, ubi ob liberatam virginem regiam hospitaliter sese exceptum iri sperabat, *repetens*, repetiturus, *promissa*, equos, *tyranni*, v. omnino II, 566 sq.

60. Sed *Latona*, cum liberis, *Diana et Apolline*, precibus adeunt Jovem, ut Herculis opera utatur ad liberandum tandem Promethea. *In quem alium Alciden* (vid. III, 644), quis, quæso, alius fortior digniorque filio tuo, Hercule? *in quæ tempora differs Caucasium senem?* Differre sic sæpe non de rebus tantum, sed etiam personis, uti paulo post, v. 78.

65. *Montes, fessaque juga.* Ad amovendam tautologiam Nodellus, Obss. p. 44, suadet *montes* mutari in *fontes*.

66. *Sat tibi furtum ignis, et ætheriæ defensa silentia mensæ*, satis tuitus es jura convivii deorum, satis pœnarum dedit Prometheus, qui arcana tua evulgavit.

68. *Exit ubi... ipsum etiam.* Sic vetustissimus codex Carrionis, ex quo tamen vix tolerabilem sensum eruere possis. Alii libri habent *dixit ubi*,

Vulturis, ipse etiam gemitu mœstaque fatigat
Voce Jovem, sævis relevans ambusta pruinis
Lumina; congeminant amnes rupesque fragorem
Caucasiæ; stupet ipse dei clamoribus ales:
Tunc etiam superas Acheronte auditur ad arces
Iapetus gravis; orantem procul arcet Erinnys,
Respiciens celsi legem Jovis. Ille, dearum
Fletibus, et magno Phœbi commotus honore,
Velocem roseis demittit nubibus Irin:
«I, Phrygas Alcides, et Trojæ differat arma:
Nunc, ait, eripiat diræ Titana volucri».
Diva volat, defertque viro celeranda parentis
Imperia, atque alacrem lætis hortatibus implet.
  Jam Minyæ mediis, claræ per sidera noctis,
Fluctibus intulerant placido cava lintea cursu,
Multaque deserto memores super Hercule volvunt:

70. *Sævis retegens.* Bonon. II. — 73. *Auditus.* Codd. et edd. ante Carr. — 74. *Orant proclamat.* Bonnn. I. Junt. *Orantem proclamat.* Bonnn. II. Maser. — 80. *Celebranda.* Bonon. et Burm. codd. Bonnn. I et II. Ed.

i. e. quæ quum Apollo dixisset, vel *dixit et*, pro quo Burmannus vult: *dixit, at.* Ego vero cum Heinsio legerim: *Excitus e scopulis...ipse* (uti Bononiensis et Beckius p. 265) *etiam*, etc.

70. *Sævis relevans ambusta*, inflammata, rubicunda, *pruinis lumina; stupet ipse dei*, Promethei, herois, ex familia Titanum (unde ipse *Titan* v. 79; et V, 170), *clamoribus ales*, vultur.

73. *Tunc etiam superas Acheronte auditur ad arces*, ita ex ipso Tartaro inclamavit, ut superæ terræ audirent, et *Iapetus*, Promethei pater, *gravis*, vel annis, vel molestus precibus.

74. *Orantem procul arcet Erinnys*, non permisit abitum ex Tartaro (cujus incola erat ob motum contra Jovem bellum), *respiciens celsi legem Jovis*, quæ Tartaro addictos vetabat inde egredi.

75. Hisce precibus motus Jupiter, *velocem roseis*, lucidis, *demittit nubibus Irim*, non Junonis solius, sed Jovis etiam, et aliorum deorum dearumve, ministram.

80. *Diva volat*, vix eloquutus erat Jupiter, quum jussa statim exsequitur, *et alacrem lætis hortatibus implet*, læta ipsa lætum nuntium affert viro ad talia promptissimo.

82. Argonautæ interea, serena nocte altum *cursu placido* secant,

Thracius at summa sociis e puppe sacerdos,
Fata deum, et miseræ solans incommodæ vitæ,
Securum numeris agit et medicabile carmen;
Quo simul assumpta pulsus fide luctus, et iræ,
Et labor, et dulces cedunt e pectore nati.
Interea, magni jamjam subeuntibus astris
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra sonant; Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum jubar, et bisseno sidere textam
Loricam induitur; ligat hanc, qui nubila contra

85. *Socios*. Edd. ante Carr. — 87. *Securum Minyis*. Junt. Ald. Colin. — 88. *Quod. s. a. pulsum*. Vat. et Bonon. codd. Pius et Ald. — 92. *Auricomis ingentibus oris*. Vatic. cod. *Urgentibus*. Bonon. cod. Pius. Col. *Vergentibus*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald .Ed.

varia de Hercule deserto cogitantes.

85. *At Thracius sacerdos*, i. e. Orpheus, *fata deum et miseræ solans incommoda vitæ*, ob calamitatem a diis immissam consolaturus, *numeris* (adstrictum) *agit carmen*, *securum*, curas pellens, *et medicabile*, quod mederi dolori possit; vid. I, 783, ubi *exorabile carmen agere*.

88. *Quo simul assumpta fide*, lyra cantui juncta, *pulsus luctus et labor, et dulces cedunt e pectore nati*. Nati? Quid his cum Argonautis, quorum nullus liberos amiserat? Nil igitur aliud voluisse videtur poeta, quam tantam fuisse cantus Orphici dulcedinem, ut, qui eum audiret, cujuscumque doloris, adeoque desiderii dulcissimorum liberorum, oblitus fuisset. Exemplar Bononiense habet quidem: *cedunt e pectore curæ*, quod tamen ob præcedentia ταυτολογίας vitio laboraret.

90. Sol oritur, quod poetæ luxurianti placet variis modis exornare. — *Magni jamjam subeuntibus astris Oceani genitale caput*, sidera infimam horizontis, quem dicunt, partem tenentia, quum occiderent, mergerentur in Oceano, quem, qui Thaletis placita sequerentur, rerum omnium genitorem esse credebant, *Titania frenis antra sonant*, auditur jam sonitus frenorum Solis equis injiciendorum.

92. *Sol auricomus, cingentibus Horis*, quæ omnino Phœbi equos abeuntes et redeuntes, ipsiusque ornatum curabant (vid. Ovid. Metam. II, 116 sqq. Stat. Theb. III, 410-414; cel. *Manso Versuche, S.* 373, *ff.*), *multifidum jubar*, coronam multos radios emittentem, *et bisseno sidere textam*, signis zodiaci decoratam, *loricam induitur*.

94. *Ligat hanc*, cinguli instar, *balteus, qui contra nubila undantem* (*imbriferum*, Tibull. I, 4, 44) *variat mortalibus arcum*, in nubibus oppositis versicolorem arcum conspiciendum præbet.

Balteus undantem variat mortalibus arcum.
Inde super terras, et Eoi cornua montis,
Emicuit, traxitque diem candentibus undis:
Et Minyas viso liquerunt flamina Phœbo.
  Proxima Bebrycii panduntur litora regni,
Pingue solum, et duris regio non invida tauris.
Rex Amycus; regis fatis et numine freti
Non muris cinxere domos, non fœdera legum
Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.
Quales Ætnæis rabidi Cyclopes in antris
Nocte sub hiberna servant freta, sicubi sævis
Advectet ratis acta notis tibi pabula dira
Et miseras, Polypheme, dapes; sic undique in omnes
Prospiciunt cursantque vias, qui corpora regi
Capta trahant: ea Neptuno trux ipse parenti
Sacrifici pro rupe jugi, media æquora supra,
Torquet agens; sin forma viris præstantior adsit,

96. *Concava montis*. Bonon. cod. *Cornua*. Pro var. lect. idem. — 104. *Rapidi*. Bonon. et Carr. codd. Mascr. textus, sed vitiose, ut ex nota apparet. — 109. *Dux ipse*. Bonon. Cod. Vid. Heins. not. — 111. *Informa*. Vatic. Bonon. et Burm. codd. *Ni forma*. Edd. ante Carr. Ed.

96. *Inde super terras et Eoi montis*, Tauri, *cornua*, vertices, *emicuit*, *traxitque*, protulit, *diem candentibus*, *undis* Oceani: *Et Minyas viso liquerunt flamina Phœbo*, venti quieverunt, ut tardius procederent (*Windstille*).

99. In conspectu jam habent Argonautæ *Bebryciam*, postea Bithyniam dictam, *pingue solum*, fertile, *et duris* ad labores perferendos *tauris non invida* (λιπόστης), admodum armentis pascendis idonea.

101. *Rex* ibi est *Amycus; incolæ regis fatis et numine freti*, quem cæstibus invincibilem a fato factum credebant, quique patris Neptuni præsidio tutus videbatur, *non muris cinxere domos* (more Spartanorum), *nec fœdera legum* (leges) *colunt*, *placidas aut jura tenentia mentes*; quibus gentes magis cultæ se adstringunt.

105. *Nocte sub hiberna*, tempestate turbida, *observant freta*, naufragis insidiantur.

109. *Ipse* rex, *pro rupe jugi*, stans in saxo promontorii, *sacrifici* (ara etiam adstitit Neptuno sacra, v. 186), *Neptuno parenti*, in honorem Neptuni patris, *torquet agens*, magna vi rotat et projicit in mare, *captivos*.

111. Sin quis vultu habituque

Tum legere arma jubet, sumptisque occurrere contra
Cæstibus; hæc miseri sors est æquissima leti.
Huc ubi devectam Neptunus gurgite puppim
Sensit, et extremum nati prospexit in oras,
Et quondam lætos domini certamine campos;
Ingemit, ac tales evolvit pectore questus:
« Infelix, imas quondam mihi rapta sub undas,
Nec potius magno, Melie, tum mixta Tonanti!
Usque adeone meam, quacumque ab origine, prolem
Tristia fata manent? sic te olim pergere sensi,
Jupiter, injustæ quando mihi virginis armis
Concidit infelix, et nunc Chaos implet Orion.
Nec tibi nunc virtus, aut det fiducia nostri,
Nate, animos, opibusque ultra ne crede paternis.

113. *Miseris.* Burm. conj. — 124. *Audet fiducia.* Vatic. el Bonon. codd. in Bonon. *aut det* pro var. lect. Ed.

meliorem conditionem prodere videretur, hunc secum *cæstibus pugnare* (πυγμαχίῃ, Apollon. II, 7) cogebat: *hæc miseri sors est æquissima leti*, hoc mitissimum mortis genus. Cæstus erant lora e corio bubulo et duro, interdum etiam globulis plumbeis ferreisve munita, quæ manibus et brachiis involvebant pugiles, et sic faciem auresque adversarii petebant. Locus noster in ea re est classicus, quia accuratius et longius totum certamen describit; brevior est Virgilius, Æn. V, 401 sqq. — Vide ad calcem hujus libri nott. 111 et 113. Ed.

114. *Neptunus pater* (adumbratum ex Virg. Æn. X, 465), futuri præscius, filio imminentem mortem vaticinatur, *extremum nati prospexit in oras*.

117. *Questus evolvit*, quo verbo magnam doloris et iræ in Jovem vehementiam, altius ducta suspiria exprimere voluit poeta.

118. Melien conjugem suam *infelicem* dicit, quæ sibi, non Jovi, olim uxor contigisset; *usque adeone meam, quacumque ab origine*, vel a deabus, vel a feminis mortalibus susceptam, *prolem*, liberos, *tristia fata manent? Sic te olim pergere*, perstare (vid. I, 31), *sensi*, Jupiter, *quando mihi injustæ virginis*, Dianæ, *armis concidit infelix Orion*, qui nunc *Chaos* (quod sæpius apud Nostrum pro inferis sumitur, I, 831; II, 86; V, 96; VII, 402) *implet*.—Quod verbum immensam ejus staturam pingit; vid. ad lib. II, 62: *tantus Orion*. Ed.

125. Nec tu igitur, mi fili Amyce, *opibus ultra credas paternis*, noli auxilio meo confidere. *Jamjam aliæ*

Jamjam aliæ vires, majoraque sanguine nostro
Vincunt fata Jovis, potior cui cura suorum est.
Atque adeo, neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuive ratem: nec jam mora morti
Hinc erit ulla tuæ. Reges preme, dure, secundos».
Abstulit inde oculos, natumque et tristia linquens
Prælia, sanguineo terras pater alluit æstu.
  Principio fluvios, gentemque, et litora ductor
Explorare jubet; paullumque egressus Echion,
Invenit obscura gemitus in valle trahentem
Clam juvenem, et cæsi mœrentem nomen amici.
Ille, virum ut contra venientem, umbrataque vidit
Tempora Parrhasio patris de more galero,
Paciferæque manu nequidquam insignia virgæ,
« Heu fuge, ait, certo, quicumque es, perdite, passu,

128. *Atque ideo*. Codd. et edd. ante Heins. — *Tumidis avertere ventis*. Codd. et edd. ante Carr. — 130. *Reges doliture secundos*. Carr. Ed.

vires, vis major, *majoraque vincunt fata* (vide *fatu majora*, VIII, 389; *magna*, V, 687) *Jovis, potior cui cura suorum est*, qui non nisi proli suæ favet.

130. *Reges preme, dure, secundos*. Acerba apostrophe ad Jovem ipsum: age, perge, ut soles, iniquus esse in alios deos, a te secundos.

132. *Sanguineo æstu*. Vir doctus (*Jortin*) in Miscell. Obss. Vol. IV, T. II, p. 168, Valerium suspicatur imitatum esse Homerum, Il. XVI, 459: uti nempe Jupiter, quum filius Sarpedon moriturus esset, pluviam sanguineam miserit, ita hic Neptunum, imminente Amyci filii morte, sanguineis undis terras alluere.

133. Jason ad exploraudam regionem emittit *Echionem* astutum et dolosum, ut decebat Mercurii filium; qui paululum progressus *invenit juvenem*, Timanta (v. 187), in obscura valle gementem, *et cæsi mœrentem nomen amici*, ipsum amicum, vel tristi voce nomen repetentem.

137. Qui quum virum propius accedentem videret, et *umbrata Parrhasio*, Arcadico, *galero tempora patris de more* (retineri possit, Mercurii nempe, qui galeam etiam habet; rectius tamen, ni fallor, *patriæ de more*, uti vult Cuperus, Obss. p. 282, ed. Lips.), *paciferæque virgæ* (*paciferæ olivæ*, Virgil. Æn. VIII, 116) *insignia nequidquam*, nihil profutura apud trucem et inhospitalem regem, *ferentem*.

140. *Fuge, certo, quicumque es, perdite passu*, certissimæ obviam is

Dum datur ». Obstupuit visu Nonacria proles,
Quid ferat, admirans. Postquam remeare monentem
Ocius, et dictis perstantem cernit in isdem;
Abripit, et sociis, quæ sint ea, promere cogit.
Ille manum tendens : « Non hæc, ait, hospita vobis
Terra, viri; non hic ullos reverentia ritus
Pectora : mors habitat, sævæque hoc litore pugnæ.
Jam veniet diros Amycus qui tollere cæstus
Imperet, et vasto qui vertice nubila pulset.
Talis in advectos Neptuni credita proles
Æternum furit, atque æquæ virtutis egentes,
Ceu superum segnes ad iniqua altaria tauros,
Constituit, tandem ut misero lavet arma cerebro.
Consulite, atque fugæ medium ne temnite tempus.
Namque isti frustra quisnam concurrere monstro
Audeat, et quænam talem vidisse voluptas? »
Ductor ad hæc : « Bebryxne venis, diversaque regi

148. *Duros*. Bonon. cod. — 156. *Tandem vidisse*. Bonon. cod. *Talem*. Pro var. lect. idem. Ed.

morti. *Nonacria proles*, Echion, Arcas, *abripit, et sociis quæ sint ea, promere cogit*, hunc secum abducit, ut Jasoni dilucidius exponat, quæ dira nuntiet pericula.

146. *Non hic ullos reverentia ritus pectora*, homines, nil curantes, quæ cultioribus gentibus in usu atque sancta esse solent. *Jam veniet Amycus, vasto qui vertice nubila pulset.* Hyperbole lyrico poeta dignior.

151. *Æquæ virtutis egentes*, non eodem, quo ipse, corporis robore instructos, *ceu superum segnes ad iniqua altaria tauros*. In hac verborum collocatione, *segnes* videri possint referendi ad *tauros*, quod non placet : immo vero ad captivos Amyci retulerim, qui ignavi, nihil resistentes ad aras trahi se patiantur.

152. *Iniqua altaria*, ad quæ tauri innocui, nihil tale merentes, cæduntur . . . *ut misero lavet arma cerebro*, ut cerebrum manet e cæstibus.

154. *Fugæ medium ne temnite tempus*, breve temporis spatium, quod hunc nostrum sermonem regisque adventum intercedit.

157. Jason homini haud satis fideus ulterius inquirit : *Bebryxne venis*, es, *diversaque regi corda gerens*, mitiori animo, quam rex tuus? *melior vulgi nam sæpe voluntas*, sæpe

Corda gerens (melior vulgi nam sæpe voluntas)?
Hostis an externis fato delatus ab oris?
Et tua cur Amycus cæstu nondum obruit ora?»
«Nomen, ait, prædulce mihi, nomenque sequutus
Otreos unanimi; decus ille et læta suorum
Gloria, nec vestros comes aspernandus in actus,
Hesionam et Phrygiæ peteret quum gaudia nuptæ,
Hic Amycum contra jussus stetit, atque ego palmas
Implicui; sed prima procul vixdum ora levantis
Fulminea frontem dextra, disjectaque fudit
Lumina, me numquam leto dignatus et armis;
Sed lacrimis potius luctuque absumor inerti.
Spes tamen, his fando si nuntius exstitit oris,

158. *Corda gerens*. Sic Pius. *Corda regens*. Codd. et edd. ante Ald. Ed.

enim fit, ut ultimæ plebis homo longe meliori animo sit, quam princeps.

159. *Hostis*, peregrinus, ex prisca latinitate (v. Cicer. de Off. I, 37), *externis fato*, forte fortuna, *delatus ab oris?*

160. Quod si ita est, miror tamen, quod Amycus tibi pepercerit.

161. Ad hæc respondet Timas: *Nomen prædulce mihi, nomenque sequutus Otreos*. Offenderunt nonnulli interpretes in bis repetito *nomine*, ideoque substituere voluerunt *numen*, i. e. nutum, ductum, voluntatem, quod tamen, quum de homine, non de deo sermo sit, haud satis aptum videtur. Nihil ego moveo; sic loquimur, verba repetentes, animo commoti: nomen prædulce mihi, et nomen quidem heu! quanti viri, Otrei, *Otreos unanimi*, amicissimi (vid. III, 571), *nec vestros comitis aspernandi in actus*, quem vos nec ipsi dedignati comitem cœptorum, rerum gerendarum fuissetis.

164. *Hesionam et Phrygiæ peteret quum gaudia nuptæ*, brevius defungi poterat poeta: Hesiones Phrygiæ quum peteret nuptias. Est vero ista Hesione eadem, quam Hercules a bellua marina liberaverat, Laomedontis, Trojani regis, filia.

165. *Jussus*, coactus ab Amyco nempe, non Laomedonte, quod Burmanno magis videtur placere, *Amycum contra stetit; ego palmas implicui* (v. 251: *cæstus induere*; Virg. Æn. V, 379: *cæstus manibus inducere*), loris, etc.

166. *Sed prima procul vixdum ora levantis*, quum vix oculos sustulisset, *frontem fulminea*, celerrima, *dextra, disjectaque*, ut disjicerentur, *fudit lumina*.

170. *Fando si nuntius his exstitit oris*, si fama hac regione ad Mariandynos pervenerit, *unde genus fraterque viro*, ubi Otreus natus, fratrem-

Et Mariandynum patrias penetravit ad urbes,
Unde genus fraterque viro; sed et ille quierit
Oro, nec a vanis cladem Lycus augeat armis. »
Hæc ubi non ulla juvenes formidine moti
Accipiunt, dolor et duras insurgere mentes,
Terga sequi, properosque jubet conjungere gressus.
Litore in extremo spelunca apparuit ingens,
Arboribus super, et dorso contecta minanti,
Non quæ dona deum, non quæ trahat ætheris ignem;
Infelix domus, et sonitu tremebunda profundi;
Et varii pro rupe metus; hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, strictoque immortua cæstu,
Ossaque tetra situ, et capitum mœstissimus ordo.
Respicias, quibus adverso sub vulnere nulla

171. *Primas penetravit.* Bonon. cod. *Patrias.* Pro var. lect. idem. — 173. *Ora nec vanis.* Vatic. cod. *Oro nec vanis.* Pius. — 174. *Nonnulla juvenis.* Vatic. cod. Bonon. I et II. *Non ulla juvenis.* Bonon. cod. Junt. Mascr. Ald. etc. *Nonnulla juvenes.* Carr. — 175. *Dolet et dura sic pergere mente.* Codd. et edd. ante Carr. — 181. *Ut varii.* Vatic. et Boon. codd. Bonnon. I. Junt. Col. *Hic varii p. r. m. hic.* Ald. *Et varii.* Bonon. II. Pius. — 183. *Et* abest a codd. et edd. ante Burm. Ed.

que regem habet *Lycum* (de quo vide Apollonium, II, 777; Heynium ad Apollodorum, p. 378, et Nostrum, infra, 589, 737 sq.), hic Lycus fratrem ulturus aderit.

172. *Sed et ille quierit oro*, opto, nec *a* (abesse poterat) *vanis*, nil profuturis, *cladem augeat armis*, ipse fortasse periturus.

174. Argonautæ, tantum abest, ut ulla formidine moveantur, ut potius dolore excitatos se sentiant, ut *duræ*, constantes, propositi tenaces, *insurgant mentes, ut terga sequantur* Timantis, *properosque conjungant gressus.*

177. *Litore in extremo*, in promontorio, *spelunca dorso*, rupe, *contecta minanti*, altissimo, uti Virgil. Æn. I, 162: *geminique minantur In cælum scopuli;* vid. eumdem, VIII, 193 sqq.

179. *Non quæ dona deum*, amœnitates campi liberioris et aprici, *non quæ trahat ætheris ignem*, solis radiis inaccessa, *sonitu tremebunda profundi*, resonans æstu maris perpetuo.

181. *Et varii pro rupe* (ante rupem) *metus*, quæ horrorem incuterent, *brachia viris rotatis rapta, ossa tetra situ, et capitum*, craniorum, *mœstissimus ordo*, longa tristisque aspectu series.

184. *Respicias*, videre possis, *quibus adverso sub vulnere nulla jam fa-*

Jam facies, nec nomen erat; media ipsius arma
Sacra metu, magnique aris imposta parentis.
Hospitis hic primum monitus rediere Timantis,
Et pavor, et monstri subiit absentis imago,
Atque oculos cuncti inter se tenuere silentes;
Donec sidereo Pollux interritus ore:
« Te tamen hac, quicumque es, ait, formidine faxo
Jam tua silva ferat, modo sint tibi sanguis et artus ».
Omnibus idem animus forti decernere pugna,
Exoptantque virum, contraque occurrere poscunt:
Qualiter ignotis spumantem funditus amnem
Taurus aquis qui primus init, spernitque tumentem,
Pandit iter : mox omne pecus, formidine pulsa,

187. *Monitis*. Vatic. Bonon. et Carr. codd. Bonon. I et II. *Rediere timentis*. Ald. *Tumentes*. Carr. cod. — 191. *Hoc.....saxo*. Bonon. cod. Bonon. I. — 196. *Taurus aquis*, etc. Hic versus abest a Vatic. et Bonon. codd. Vid. nott. Ed.

cies, a fronte accepta vulnera omnia oris lineamenta deleverant, *nec nomen erat*, cujus ea facies fuisset, non amplius dignosci poterat. Vid. Virgil. Æn. II, 558, *sine nomine corpus*.

185. *Media*, in medio horum tristium tropæorum, *ipsius* regis *arma sacra*, horrida, *metu*, *magnique aris imposta parentis*, Neptuni.

187. Hic primum Argonautis *rediere* in memoriam *monitus* Timantis; pavent, atque silent; donec *sidereo* (solitum epitheton oculorum totiusque oris pulchri, v. V, 467, *sideris ora ferens*; VIII, 123, *siderei artus*, et alibi) *Pollux ore* (Apollon. II, 40: οὐρανίῳ ἀτάλαντος ἀστέρι Τυνδαρίδης) *interritus* exclamat. — Vide ad calcem hujus libri not. 187. Ed.

191. Tua non minus ossa et cranium, quam peregrinorum a te cæsorum, ex arboribus suspensa tuam silvam ornabunt, *modo sit tibi sanguis et artus*, si corpus habes et sanguinem.

193. *Forti decernere pugna*. Sic Theocrit. Dioscur. v. 175: διακρινώμεθ' Ἄρηι. Ed.

195. *Qualiter ignotis*, quas antea non erat expertus, *aquis spumantem funditus amnem*, qui ex imo fundo vi ventorum, tempestate commotus, totus, quantus est, spuma est (hyperbole, nec tamen injucunda), *taurus primus init, spernitque tumentem*, ultra ripas effusum. — Vid. ad calcem hujus libri not. 195. Ed.

197. *Pandit iter*, dux viæ fit: *mox omne pecus pone subit*, sequitur, vestigia premit, *jamque et mediis præcedit* (non *taurus*, sed *pecus*) *ab undis*, eo confidentiæ audaciæque procedit, ut in medio flumine incipiat ipsum taurum prævertere, post se relinquere.

Pone subit, jamque et mediis præcedit ab undis.
At procul e silvis sese gregibusque ferebat
Sævus in antra gigas, quem nec sua turba tuendo
It tanti secura metus; mortalia nusquam
Signa manent, instar scopuli, qui montibus altis
Summus abit, longeque jugo stat solus ab omni.
Devolat inde furens, nec, quo via, curve profecti,
Nec genus ante rogat, sed tali protonat ira:
« Incipite, o juvenes; etenim fiducia, credo,
Huc tulit, auditas et sponte lacessitis oras.
Sin errore viæ, necdum mens gnara locorum,
Hic mihi lex, cæstus adversaque tollere contra
Brachia; sic ingens Asiæ plaga, quique per Arcton
Dexter et in lævum Pontus jacet, hæc mea visat
Hospitia; hoc cuncti remeent certamine reges.
Neptuni domus, atque egomet Neptunia proles;

198. *Procedit*. Bonon. et Carr. codd. Pius, Maser. — 201. *It taciti*. Vatic. Bonon. et Carr. codd. Pius. *Tanti*, pro var. lect. Bonon. cod. — 204. *Nec qua via*. Junt. Ald. Col. — 205. *Sed talia*. Bonon. cod. — 208. *Mens ignara*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. — 211. *Visat*. Junt. Ald. et Maser. qui v. seq. *remeent*. En.

199. Jam in conspectum venit Amycus. *E silvis procul gregibusque sese ferebat*, non simpliciter egreditur, sed gravi incessu, et jactabundus.

200. *Nec sua turba tuendo it tanti secura metus*, ipsi cives non sine timore intuentur monstrum hominis ita metuendum. Vid. I, 23.

201. *Mortalia nusquam signa manent*, quidquid hominum est, aspectum ejus fugit; ne vestigia quidem hominum longe lateque apparent: *instar scopuli, qui montibus altis summus abit*, cacumen in nubibus condit, *solusque stat procul ab omni jugo*, reliquis montibus.

204. *Devolat inde furens*, pugnæque ita cupidus, ut peregrinos ne interroget quidem, qui sint, quoque consilio venerint, *sed tali protonat*, horrenda voce exclamat, *ira: incipite*, agite, arma capite.

207. *Auditas sponte lacessitis oras*, ita audaces estis, ut periculis hujus regionis, quæ tamen vos latere non possunt, obviam ire sustineatis.

209. *Hic mihi lex*, ita a me institutum, ut cæstibus mecum pugnandum sit. *Sic*, hac igitur lege, *ingens Asiæ plaga*, et qui septemtrionem versus et ad Pontum habitant reges, hospitium mecum jungunt; hoc certamine *remeent*, si tamen possint.

Jam pridem cæstus resides, et frigida raris
Dentibus aret humus; qui mecum fœdera junget
Prima manu? cui dona fero? mox omnibus idem
Ibit honos; fuga sub terras, fuga nulla per auras.
Nec lacrimæ, nec forte preces, superive vocati
Pectora nostra movent; aliis rex Jupiter oris.
Faxo, Bebrycium nequeat transcendere puppis
Ulla fretum, et ponto volitet Symplegas inani ».
  Talia dicta dabat, quum protinus asper Iason,
Et simul Æacidæ, simul et Calydonis alumni,
Nelidesque, Idasque prior, quæ maxima surgunt
Nomina; sed nudo steterat jam pectore Pollux,
Quum pavor et gelidus defixit Castora sanguis;
Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis;
Nec sonat OEbalius caveæ favor, aut juga nota

223. *Æacides*. Codd. et edd. ante Carr. — 229. *Labitur*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junl. Ald. Ed.

214. *Jam pridem cæstus resides* quiescunt, *et frigida humus raris dentibus aret*, diu est, ex quo non incaluerit sanguine cæsorum humus, et dentibus se conspersam viderit.

215. Quæ sequuntur, ironice et cum superbia dicta: *fœdera prima— dona — honos. Cui dona fero?* egregia scilicet (vid. III, 170)! *Mox omnibus idem ibit honos. Ibit* h. l. non est, uti Burmannus opinatur, idem quod *erit*, sed ibit in ordinem, per orbem.—Ferox quidem, non insulsa tamen irrisio, siquidem hospitio jungi mos Veteribus frequens. Ed.

219. *Aliis rex Jupiter oris*, nullum hic terrarum imperium Jovis. *Faxo nequeat ulla*, nulla queat, *puppis Bebrycium fretum transcendere*, et *ponto volitet Symplegas inani*, collidantur Cyaneæ rupes incassum, nec ullam conspiciant navem, nedum comminuant.

222. *Insurgunt maxima nomina*, fortissimus quisque Argonautarum, *Jason* ipse, *Æacidæ*, Peleus et Telamon, *Calydonis alumni*, Tydens et Meleager, *Nelidesque*, Periclymenus; *Idas; sed nudo steterat jam pectore Pollux*, vestibus abjiciendis socios omnes anteverterat.

226. *Pavor Castora et gelidus defixit sanguis*, Castor horrore torpens fratrique timens, demittit vultum. *Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis*, non talem, qualis in conspectu patris Jovis in ludis Olympicis pugna dabatur.

228. *Nec sonat OEbalius*, Laconi-

Taygeti, lavitur patrios ubi victor ad amnes;
Nec pretium sonipes, aut sacræ taurus arenæ;
Præmia sed manes, reclusaque janua leti.
Illum Amycus, nec fronte trucem, nec mole tremendum,
Vixdum etiam primæ spargentem signa juventæ,
Ore renidenti lustrans obit, et fremit ausum,
Sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes.
Non aliter jam regna poli, jam capta Typhœus
Astra ferens, Bacchum ante acies, primamque deorum
Pallada, et oppositos doluit sibi virginis angues.
Sic adeo insequitur, rabidoque ita murmure terret:
« Quisquis es, infelix celera puer; haud tibi pulchræ
Manserit hoc ultra frontis decus, orave matri
Nota feres. Tune e sociis electus iniquis?
Tune Amyci moriere manu?» Nec plura moratus,

232. *Nec fronte ducem.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. — 237. *Ante alios.* Bonon. Burm. et Cocki codd. — 239. *Rapido.* Bonon. cod. et Carr. I. — 242. *Tune o sociis.* Vatic. cod. *Selectus.* Junt. et seqq. usque ad Carr. Ed.

cus, *caveæ*, amphitheatri, *favor*, læta acclamatio, *aut juga nota Taygeti*, montis Laconiæ, *lavitur patrios ubi victor ad amnes*, sudorem pulveremque abluit in Eurota suæ patriæ fluvio.

230. *Nec pretium*, præmium, *sonipes*, equus, *aut arenæ taurus sacræ*, uam ludi et spectacula ad Veterum religionem pertinuere; *præmia sed manes, reclusaque janua leti*, nil nisi mors præsentissima. — *Nec pretium*, etc. Recta constructio hæc est: *nec sonipes, aut taurus pretium est sacræ arenæ*. Ed.

232. *Illum Amycus nec fronte trucem*, vultu horridum, *nec mole tremendum*, non admodum procerum, *vixdum etiam primæ spargentem signa juventæ*, lanugine adhuc dubia. Apollon. II, 43: ἔτι χνοάοντας ἰούλους ἀντέλλων.

234. *Ore renidenti*, labiis ad subsannationem diductis, *lustrans obit* (Virgil. Æn. IV, 363: *totum pererrat luminibus*), *et fremit ausum*, quod adolescentulus secum audeat depugnare, *sanguineosque*, iratos, furentes, *rotat furiis ardentibus orbes*, oculos.

236. *Non aliter jam regna poli, jam capta Typhœus astra ferens*, jam gigas ille Tiphœus (de quo vide ad II, 24), in Olympum evasisse, Jovemque solio deturbasse sibi visus est, quum *Bacchum* (juvenem) in prima acie contra se stantem, *Minervamque* (virginem) Medusæ caput sibi opponentem spectaret.

241. *Non ora matri nota feres*, ir-

Ingentes humeros, spatiosaque pectoris ossa
Protulit, horrendosque toris informibus artus.
Deficiunt visu Minyæ, miratur et ipse
Tyndarides; redit Alcidæ jam sera cupido,
Et vacuos mœsto lustrarunt lumine montes.
At satus æquoreo fatur tunc talia rege:
« Aspice et hæc crudis durata volumina tauris,
Nec pete sortis opem, sed, quos potes, indue cæstus ».
  Dixit, et urgentis post sera piacula fati
Nescius, extremum hoc, armis innectere palmas
Dat famulis; dat et inde Lacon: odia aspera surgunt
Ignotis prius, atque incensa mente feruntur
In medium sanguis Jovis et Neptunia proles.
Hinc illinc dubiis intenta silentia votis.

246. *Deficiunt visum in se miratur.* Corrupte Vatic. et Bonon. codd. *Deficiunt visumque in se.* Bonon. I et II. Ed.

ridet acerbe juvenem: matercula filium delicatulum cæstu meo deformatum vix agnoscet; vid. III, 177; *tune e sociis electus iniquis?* Iniqui profecto socii, qui puerulum tanto certamini objecerint.

244. *Ingentes humeros, spatiosa pectoris ossa, horrendosque toris,* musculis, *informibus artus.* — Cf. Virg. Æn. V, 422: *Et magnos membrorum artus, magna ossa,* etc. Ed.

246. *Deficiunt visu,* humi fixos tenent oculos Argonautæ; *miratur,* stupet, *et ipse* Pollux; sero jam redit Herculis desiderium, mœstoque vultu respiciunt ad montes. Vid. Apollon. II, 145 sq. — *Deficiunt visu.* Quibus (*artubus*) visis, Argonautas animus deficit. Ed.

249. At Amycus pergit: *Aspice, crudis durata volumina tauris,* periphrasis cæstuum, *nec pete* (melius *peto*) *sortis opem,* nolumus sorti committere, sponte concedo (Apollon. II, 55: ὅν κ' ἐθέλησθα, πάλου ἄτερ), *sed indue, quos potes,* contemptim, graviores imberbis juvenis ne tollere quidem possis.

252. *Dixit, et urgentis post sera piacula fati nescius,* post tot cædes cruentas perpetratas tamdem sibi eamdem instare, *extremum hoc,* ultima nunc vice, *armis innectere palmas* (*implicare*, v. 166) *dat famulis,* Areto et Ornyto; v. Apollon. II, 65.

255. *Odia aspera surgunt ignotis prius,* nunc primum se videntibus invicem; *incensa mente,* furibundi, *feruntur,* ruunt in medium campum, filius Jovis et filius Neptuni.

257. *Hinc illinc dubiis intenta silentia votis,* utraque ex parte spectatores taciti, et suæ utrinque parti faventes adstant.

Et pater orantes cæsorum Tartarus umbras
Nube cava tandem ad meritæ spectacula pugnæ
Emittit: summi nigrescunt culmina montis.
 Continuo Bebryx, Malcæ velut arce fragosa
Turbo rapax, vix ora virum, vix tollere passus
Brachia, torrenti præceps agit undique nimbo,
Cursibus involvens, totaque immanis arena
Insequitur: vigil ille metu, cum pectore et armis
Huc alternus et huc, semper cervice reducta,
Semper et in digitis, et summi pulvere campi,
Projectusque redit. Spumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam sola magistri
Cura tenet, rapidum ventis certantibus æquor
Intemerata secat: Pollux sic providus ictus
Servat, et OEbalia dubium caput eripit arte.

272. *OEbalia...hasta.* Bonon. et Burm. codd. *OEbalio...ense.* Bonon. I. *Astu.* Bonon. II. *Erigit astu.* Carr. cod. et ed. I. En.

258. *Pater Tartarus* (rectius, I, 828, *pater Tartareus*, Pluto) *cæsorum* ab Amyco *umbras*, manes, petierant enim (*orantes*), *nube cava ad meritæ spectacula pugnæ* (quid, si *pœnæ?*), cujus merito testes esse debebant, ut, qui eos tam injuste interfecisset, tyrannum pœnas dare viderent, *emittit; summi nigrescunt*, omnia enim apud inferos nigra finguntur, *culmina montis*.

261. Nunc pugna ipsa conseritur. *Continuo*, uti *turbo* a *promontorio Maleæ torrenti præceps agit undique nimbo*, tempestate præ se agit omnia; sic Amycus Pollucem, *vix ora pedemque tollere passus*, *cursibus involvit*, celeriter undique in angustum cogere incurrendo nititur, *totaque arena*, campo, insequitur.

265. Pollux contra *vigil*, intentus, *cum pectore et armis hue alternus et hue*, corpus cæstusque modo huc, modo illuc versat, *semper eervice reducta*, reclinata, *semper in digitis* primoribus pedum inhærens (Virg. Æn. V, 426: *in digitos arrectus*; Apollon. II, 90: ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς πόδεσσι), *et summi pulvere campi* (velocitatem et agilitatem hæc exprimunt), *projectusque redit*, adversarium petiturus. Editiones ante me post *redit* comma habent, ego vero posui τελείαν στιγμήν, post *secat* autem colon: comparatio enim ad antecedentia trahi non potest.

268. *Spumanti qualis in alto Pleiade*, tempestate, *capta navis*, sola gubernatoris cura atque solertia, fluctus *intemerata*, illæsa, *secat: sic Pollux providus ictus servat*, observat ad quemque Amyci ictum oculos in-

Ut deinde urgentes effudit nubibus iras
Ardoremque viri, paullatim insurgere fesso
Integer, et summos manibus deducere cæstus.
Ille dies ægros Amyci sudoribus artus
Primus, et arenti cunctantem vidit hiatu;
Nec sua defessum noscunt loca, nec sua regem
Agmina; respirant ambo, paullumque reponunt
Brachia, ceu Lapithas aut Pæonas æquore in ipso
Dum refovet, fixaque silet Gradivus in hasta.
  Vix steterant, et jam ecce ruunt, inflictaque late
Terga sonant; nova vis iterum, nova corpora surgunt.
Hunc pudor, hunc noto jam spes audentior hoste
Instimulat; fumant crebro præcordia pulsu;

273. *Ingentes.* Boooo. cod. — 274. *Insurgere ferro.* Vatic. et Bonoo. codd. Boooo. I et II. Joot. Ald. — 275. *Incitat et.* Bonon. cod. Boooo. I et II. Juot. Maser. *Incipit et.* Ald. — 285. *Instimulant.* Vatic. et Booou. codd. Bonon. I et II. Eo.

tendit, et *dubium*, periculo proximum, *caput arte eripit OEbalia*, cui assuetus esset a puero ex palæstra Laconica.

273. *Ut deinde urgentes iras ardoremque viri nubibus effudit*, levi corporis declinatione fecerat, ut nimis fervidi atque cupidi adversarii ictus in nubes, ventos abirent, inanemque ferirent aera, *paulatim insurgere fesso integer*, nondum fatigatus, *et summos manibus deducere cæstus*, e brachiis manibus propius admovet, quum hucusque nil nisi ab impetu Amyci se defendisset, jam ipse incessere parat.

276. Hic dies primus fuit, qui Amycum sudantem videret, *et arenti cunctantem hiatu*, sicco gutture lentum. *Nec sua defessum noscunt loca, nec sua regem agmina*, tota regio civesque omnes mirantur, cur tantum sit mutatus ab illo, quem antea tam alacrem vidissent.

279. Ambo respirant, *ceu Gradivus*, Mars, *Lapithas aut Pæonas*, Centauros (Centauri proprie patriam habuere Thessaliam; Pæonia autem est Thraciæ; sed utramque confundunt poetæ; v. supra, I, 24), *æquore*, campo, *in ipso refovet*, respirare permittit, *fixaque* in terram *hasta silet*, quiescit. — Vide ad calcem hujus libri not. 280. Ed.

283. *Nova vis iterum, nova corpora surgunt*, novum robur infusum videtur. *Hunc*, Amycum, *pudor*, *hunc*, Pollucem, *noto jam hoste*, quem non ita periculosum animadverterat, *spes audentior instimulat; fumant*, æstuant, *crebro præcordia pulsu* cæstuum.

Avia responsant gemitu juga, pervigil ut quum
Artificum notat ipse manus, et fulmina Cyclops
Prosubigit: pulsis strepitant incudibus urbes.
Emicat hic, dextramque parat, dextramque minatur
Tyndarides; redit huc oculis et pondere Bebryx,
Sic ratus; ille autem celeri rapit ora sinistra.
Conclamant socii; et subitas dant gaudia voces.
Illum insperata turbatum fraude, furentemque
OEbalides prima refugit, dum detonet, ira,
Territus ipse etiam, atque ingentis conscius ausi.
Sævit inops Amycus, nullo discrimine sese
Præcipitans, avidusque viri (respectat ovantes
Quippe procul Minyas) cæstu velatus utroque

287. *Artificum notata manus.* Vatic. cod. supra *et*, sed expunctum. Vid. Heins. not. *A. notata manu.* Bonnn. cod. *Artificumque notata manus.* Bonnn. I et II. Junt. Ald. *Rotata manus.* Engent. post Pium. — 291. *Irritus; ille autem.* Prisci codd. juxta Pium, et sic scribi jubet Heins. — 293. *Que* in fine v. abest a Bonnn. cod. et edd. ante Carr. In antiquo codice (Vatic.) reperiri jam monuerat Pius. — 298. *Minyas tunc cæstu.* Vatic. et Bonnn. codd. Ed.

286-288. Varia excogitarunt interpretes, ut lucem obscuriori loco affunderent. Nihil tamen mutandum, si Dorvilium sequaris ad Charitonem p. 592, ed. Lips. qui sic exponit: ita sonant sub plagis pectora Pollucis et Amyci, uti strident incudes Ætnææ, quando *ipse*, Vulcanus nempe, ipse dominus et ἐργοδιώκτης, officinas Cyclopum suorum invisit, et opera eorum inspicit (*notat*), observat, et illi primas massas in fulminis figuram procudunt (*prosubigunt*), mox perpoliendas. Hactenus Dorvilius.

289. *Emicat*, prosilit Pollux, *dextramque parat*, elevat, *dextramque* (melius *dextra*) *minatur*, simulat, se dextra inferre ictum Amyco velle; *redit huc oculis et pondere Bebryx*, dextrorsum oculos totamque corporis molem vertit, *sic ratus*, dextra usurum adversarium, *ille autem celeri rapit*, ferit, *ora sinistra.*

292. *Conclamant socii; et subitas dant*, provocant, *gaudia voces. Illum insperata*, quam non timuerat, *turbatum*, statu dejectum, *fraude*, *primaque ira furentem* Pollux fugit, *dum detonet*, tonare desinat (detonare sic est apud Virgil. Æn. X, 809), defervescat ira, *territus ipse, atque ingentis conscius ausi.*

295. *Sævit inops* consilii *Amycus*, *nullo discrimine*, temere, *sese præcipitat, avidusque viri (respectat ovantes quippe procul Minyas)*, pudore exasperatus, quod ludibrio se Argonautis esse videret, *cæstu velatus utroque irruit*, h. e. uti omnium op-

Irruit; hos inter Pollux subit, et trucis ultro
Advolat ora viri; nec spes effeta, sed ambæ
In pectus cecidere manus. Hoc sævior ille
Ecce iterum vacuas agit inconsulta per auras
Brachia; sentit enim Pollux rationis egentem,
Dat genibus junctis latus, effusumque sequutus
Haud revocare gradus patitur, turbatque premitque
Ancipitem, crebros et liber congerit ictus
Desuper averso; sonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditque malis: jam tempora manant,
Sanguineæque latent aures, vitalia donec
Vincula, qua primo cervix committitur artu,

300. *Effecta*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Col. *Affecta*. Vitiose, ut videtur, Maser. textus. — 303. *Sentit eum*. Ald. Vid. nott — 305. *Gradum*. Codd. et edd. ante Burmann. — 307. *Adverso*. Bonon. cod. et edd. ante Carr. *Omnis*. Junt. Maser. Ald. Colin. et Carr. cod. — 308. *Inclinis ceciditque malis*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Engent. *Inelivis eeciditque malis*. Junt. Maser. *Acelivis ceciditque malis*. Ald. Ed.

time explicat Cuperus, Obss. p. 88, utroque cæstu caput et os præmuniens.

299. *Hos inter Pollux subit*, hoc temporis momento usus, antequam brachia demittere posset Amycus, jam accesserat, subitoque *advolat ora viri*.

300. *Nec spes effeta*. Vide ad calcem hujus libri Wagneri dubitationem, not. 300. Ed.

301. *Hoc sævior ille* (Amycus) *Ecce iterum vacuas agit inconsulta*, temere (uti 296), *per auras Brachia*.

304. *Dat genibus junctis latus*. Dare latus, ut iterum Cuperi, p. 158, verbis utar, erat commentum pugilum, ut partem alteram corporis velut non tectam eo consilio objicerent, ut, quum adversarius ictum injiceret, eum effugerent, et impetum facerent in effusum. Apollon. II, 94: ὁ δ' ἄγχ' αὐτοῖο παρ' ἐκ γόνυ γουνὸς ἀμείβων Κόψε. *Effusum*, statu dejectum, *haud revocare gradum*, consistere, colligere se, *patitur*.

306. *Liber*, integer, pleno membrorum usu gaudens, *crebros ictus congerit averso*, a tergo. *Sonat omni vulnere vertex Inclinis*, *ceditque malis*, caput inclinatum ad quemlibet ictum resonat, vulneribusque toties repetitis tandem cedere cogitur.

308. *Jam tempora*, malæ, *manant*, *Sanguineæque latent aures*, ita contusæ sunt, ut præ sanguine vix conspici possint.

309. *Vitalia donec Vincula*, *qua primo cervix committitur artu*, *Solvit dextra gravis*, donec Pollux gravi cæstu os claviculæ, jugulare, fran-

Solvit dextra gravis. Labentem propulit heros,
Ac super insistens : « Pollux ego missus Amyclis,
Et Jove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes, sic et memori noscere sepulcro ».
Bebrycas extemplo spargit fuga; nullus adempti
Regis amor, montem celeres silvamque capessunt.
Hæc sors, hæc Amycum tandem manus arguit ausi
Effera servantem Ponti loca, vimque juventæ
Continuam, et magni sperantem tempora patris.
Tenditur ille ingens hominum pavor, arvaque late
Occupat, annosi velpti si decidat olim
Pars Erycis, vel totus Athos; qua mole jacentis
Ipse etiam expleri victor nequit, oraque longo
Comminus obtutu mirans tenet. At manus omnis
Heroum densis certatim amplexibus urgent,
Armaque ferre juvat, fessasque attollere palmas.

317. *Ausis.* Codd. et edd. præter Ald. *Arcuit ausis.* Heins. et Gronov. — 424. *Ad manus.* Vatic. cod. *Et.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. Ed.

geret. —Vide ad calcem hujns libri not. 309. Ed.

311. *Labentem propulit*, sternit, ac super insistens Pollux, *ego missus*, ortus, natus, *Amyclis*, urbe Laconiæ, *et Jovis filius; mirantibus umbris*, ad Inferos quum veoeris, narra mirantibus, te potuisse vinci, *sic et memori noscere sepulcro* (non Amyci, sed Pollncis) : inter alios mei olim sepulcri titulos nomen etiam tuum, a me devicti, legetur. — Nemini profecto persuadebit Waguerus victorem iocolumemqne Pollucem proprii ounc tumuli meminisse, qnum potins Amyci jam jam morituri de tumulo, quo mox egebit, cogitandom esse videatur. Præterea in litore Bospori monstrabatur Amyci tumulus, de quo Plinius aliique auctores meminere. Ed.

317. *Hæc Amycum*, etc. pœnas snmpsit ob tot cædes perpetratas : perpetuam juventam, *et magni sperantem tempora patris*, immortalitatem.

320. *Tenditur*, porrectus longe jacet, *ille ingens hominum pavor*, tot hominibus dio terribilis, *arvaque late occupat, annosi veluti si decidat pars Erycis, vel totus Athos*. Uti omnino proceros homines montibus comparare poetæ solent, ita Valerius io primis amat.

323. Ipse Pollux expleri nequit, *ora longo comminus obtutu mirans tenet*, diu contemplans mutus adstat, stupens hominis jacentis molem.

326. *Arma ferre*, cæstus exuere,

« Salve, vera Jovis, vera o Jovis, undique, proles,
Ingeminant, o magnanimis memoranda palæstris
Taygeta, et primi felix labor ille magistri! »
Dumque ea dicta ferunt, tenues tamen ire cruores
Siderea de fronte vident; nec sanguine Pollux
Territus, averso siccabat vulnera cæstu.
Illius excelsum ramis caput, armaque Castor
Implicat, et viridi connectit tempora lauro,
Respiciensque ratem, « Patriis, ait, has precor oris,
Diva, refer frondes, cumque hac freta curre corona ».
  Dixerat; hinc valida cædunt armenta bipenni,
Perfusique sacro placati gurgitis amne,
Graminea sternuntur humo: tunc liba dapesque
Frondibus accumulant; exsortia terga Laconi
Præcipiunt pecudum: toto mox tempore mensæ

327. *V. J. veri Jovis.* Bonon. et Burman. codd. — 328. *Magna nimis.* Edd. ante Heins. præter Pium et Engent. — 332. *Adverso.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. sed jam Pius *averso.* — 341. *Prœripiunt.* Junt. Ald. et seqq. usque ad Carr. Ed.

juvat socios, *fessasque attollere palmas*, brachia fatigata levare.

327. Acclamant: *vera Jovis proles*, jucunda repetitio, ad dicta magis firmanda.

328. *O magnanimis*, illustribus, quæ tam egregios pugiles, heroas emittant, *memoranda palæstris Taygeta* (mons Laconiæ, hic neutrali forma, sc. ὄρη, juga; supra, IV, 229, *Taygetus*), *et primi felix labor ille magistri*, quanto honori est tantus discipulus primo juventutis magistro!

331. *Siderea*, pulchra (v. supra, 190, et alibi), *de fronte cruores ire vident; nec sanguine territus Pollux*, quod fortem non decuisset, *averso siccabat vulnera cæstu*, abstergit. De toto hoc Pollucis cum Amyco certamine præter Apollonium, lib. II, ab initio, conferri meretur Theocritus, Idyll. XXII.

333. *Castor ramis et viridi lauro*, ramis laureis, *caput excelsum*, ut his ipsis ramis excelsius exsisteret, *et arma et tempora ornat*, respiciensque navem, Has frondes, inquit, in patriam refer; his ornata, maria percurre, Argo!

338. *Perfusi sacro placati gurgitis amne.* Non singularis hic fluvius intelligendus, sed mare omnino, cujus aquis lustrare se et expiare debebant, ad Neptunum, cujus filius a se esset occisus, placandum.

340. *Frondibus* foliisque substratis *accumulant liba dapesque*, vina et cibos; *exsortia*, sine sorte, *pecudum terga præcipiunt*, i. e. ante alios assi-

Lætus ovat nunc laude virum, nunc vatis honoro
Carmine, victori geminans cratera parenti.
 Jamque dies auræque vocant, rursusque capessunt
Æquora, qua rigidos eructat Bosporos amnes.
Illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
Transierat fluctus, unde hæc data nomina ponto.
Tum pius Œagri claro de sanguine vates,
Admonita genitrice, refert casusque locorum,
Inachidosque vias, pelagusque emensa juvencæ
Exsilia, intentisque canit: « Videre priores
Sæpe Jovem, terras Argivaque regna Pelasgum
Virginis Iasiæ blandos descendere ad ignes.
Sentit Juno dolos, curaque accensa jugali

346. *Illos, Nile, tuos.* Vatic. Bonon. et Carr. codd. Bonon. I. Junt. Maser. *Tuis.* Bonon. II. Ald. nec aliter legebat Pius. Vid. Heins. not. — 351. *Vidisse priores.* Junt. Ald. Col. et seqq. usque ad Carr. Ed.

gnant, *Polluci;* qui *toto tempore mensæ lætus ovat*, gaudet, sibi plaudit, *nunc laude virum*, sociorum, *nunc vatis*, Orphei, *honoro*, honorifico, *carmine*, *victori geminans cratera parenti:* Jovi patri, cujus numini victoriam acceptam referebat, larga libavit Pollux vina.

344. *Jamque dies*, aurora, *auræque*, venti faventes, *vocant*, de abitu admonent; altum petunt, et quidem per Bosporum, *ubi Bosporus eructat amnes*, undas omnino.

346. Io, de qua paulo post, antequam ab Ægyptiis pro dea, Isidis nomine, coleretur, ista freta transierat, quæ postea ab ea in bovem mutata nomen acceperc.

348. Satis longo et alieno loco posito, eleganti tamen episodio, *Orphea* inducit poeta canentem fata Ius. *Œagri de sanguine vates*, Œagri filius Orpheus, *admonita*, invocata, *genitrice*, Musa Calliope, refert *Inachidos*, Inachi filiæ, Ius, *vias*, errores per multas terras, *et exsilia juvencæ emensæ pelagus*, *intentisque*, cupide audientibus Argonautis, *canit.*

351. *Videre priores*, olim viventes, *sæpe Jovem ad Iasiæ virginis*, Ius (sequitur hic Valerius eos, qui *Iasum* patrem virgini dant, nec tamen sibi constat, quum paulo ante Inachidem nominasset, paulo post Inachiam), *blandos amores descendere* furtim e cælo.

354. *Sentit Juno dolos*, *curaque jugali*, suspicione, *accensa*, *æthere desiluit; tremuit dominam*, nam Argos Junoni dicata, unde Argiva in nummis et titulis, *Lyrceia tellus*, Argolis. Pro *Lyrceia* nonnulli habent *Lynceia*, quod et defendit Brun-

Æthere desiluit; dominam Lyrceia tellus,
Antraque deprensæ tremuerunt conscia culpæ.
Quum trepida Inachiæ pellex subit ora juvencæ,
Sponte Dei; plausu fovet hanc, et pectora mulcet
Juno, renidenti cohibens suspiria vultu.
Mox ita adorta Jovem : « Da, quam modo ditibus Argis
Campus alit, primæ referentem cornua Phœbes,
Indomitamque bovem, da caræ munera nuptæ.
Ipsa ego dilectæ pecudi jam pascua digna,
Præcipuosque legam fontes ». Qua fraude negaret,
Aut quos inventos timuisset Jupiter astus?
Muneris illa potens, custodem protinus Argum

357. *Tum.* Junt. et seqq. usque ad Carr. — 358. *Pectore.* Engent. et filiæ. — 362. *Muneræ.* Vitiose Junt. *Munere.* Bonon. II. Maser. Engent. — 365. *Inventus.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. *Æstus.* Carr. cod. Ed.

ekius ad Apollon. I, 125; haud reete. Callimaehns apud Steph. Byzaut. ed. Ernest. p. 426: Λύρκειον, ὄρος Ἄργους; nee aliter Straho, lib. VIII, § 7, T. 3, ed. *Tzschucke*, p. 219; et Ovid. Metam. I, 598.

356. *Antraque deprensæ tremuerunt conscia culpæ*, rebus enim inanimatis tribuit sensum timoris poeta, quod in societatem venissent amoris furtivi. Loeum simillimum vide, III, 584.

357. *Quum pellex*, blanda, quæ pellicit, Juno nempe (sic pellax apud Virgil. Æn. II, 90), *ora juvencæ Inachiæ trepida subit*, propins ad eam accedit, *sponte dei*, Jove permittente. — Non vincet Wagnerus *pellicem* diei posse Junonem, uxorem legitimam : nec ambigne locus ille signifieat, Io Argolicæ juvencæ formam induere. Ed.

359. *Renidenti*, subsannante (v. supra 234), *vultu cohibens suspiria*. *Mox ita adorta*; importunis precibus adit, *Jovem*.

360. *Ditibus Argis*; fertilissimis; uti Horat. lib. I, Od. 7, 9, urbem istius regionis primariam, Myeenas, *dites* appellat.

361. *Primæ referentem cornua Phœbes*, qualia novæ lunæ solent esse, *bovem, caræ nuptæ*, mihi, tantopere, uniee a te dilectæ, scilicet uxori non denegabis. Maximæ ea mihi curæ erit, et pascua maxime opima, et fontes pulcherrimos ipsi eligam.

364. *Qua fraude*, legere possis *qua fronte*, suadente Dorvillio ad Charit. p. 611, ed. Lips. *Quos inventos*, excogitatos a Junone, *timuisset Jupiter astus?*

366. Jam vero *muneris potens*, voti compos, Argum custodem apponit, *cui inscia somni lumina non aliter lucent vertice, quam si Lyda*, hæ enim texturæ artifices habebantur, *sparso ostro telas maculaverit*, inser-

Adjungit; custos Argus placet, inscia somni
Lumina non aliter lucent cui vertice, quam si
Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro.
Argus et in scopulos, et monstris horrida lustra,
Ignotas jubet ire vias, heu multa morantem,
Conantemque preces, inclusaque pectore verba.
Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ.
Flevit Amymone, flerunt Messeides undæ,
Flevit et effusis revocans Hyperia lacertis.
Illa, ubi vel fessi tremerent erroribus artus,
Vel rueret summo jam frigidus æthere vesper,
Heu quoties saxo posuit latus! aut ubi longa
Ægra siti, quos ore lacus, quæ pabula carpsit!
Verbere candentes quoties exhorruit armos!
Quin et ab excelso meditantem vertice saltus,
Audentemque mori, valles citus egit in imas
Argus, et arbitrio durus servavit herili;
Quum subito Arcadio sonuit cava fistula ritu,

383. *Speravit herili.* Bonon. cod. et Bonon. I. *Suspendit herili.* Pro var. lect. Bonon. cod. *Arbitrium durus superavit herile.* Bonon. II. Ed.

tis hinc inde stellulis purpureis distinxerit.

370. *Monstris horrida lustra*, feris horribiles silvas.... *multa morantem*, sæpe consistentem, *conantemque* emittere *preces*, *inclusaque pectore*, quæ, quamtumvis vellet, promere tamen non posset, *verba*. Ovid. Metam. I, 637: *Conatoque queri mugitus edidit ore.*

374. *Flevit Amymone.... Messeides undæ.... Hyperia.* Omnes fontes in Peloponneso. — *Quos*, quam limosos (Ovid. I, 634), *ore lacus*, *quæ*, quam vilia, *pabula carpsit*, quam diversa ab iis, quæ Juno promiserat! *Quoties candentes*, pulchros, *armos exhorruit*, græcismus: quoties armi, humeri ejus cohorrescebant, *verbere*, plagis, quas Argus infligebat, infligere saltem minabatur.

382. *Audentemque mori* (nam quæ potest mori, non potest cogi), *valles in imas egit Argus*, *et arbitrio durus*, crudelis, *servavit herili*, dominæ Junonis.

384. *Subito cava* (ornans epitheton) *fistula sonuit arcadio ritu*, *imperiumque patris*, Jovis, *celerans*, prompte et alacriter exsequuturus, *Cyllenius*, Mercurius, *ales advenit*, advolat.

Imperiumque patris celerans Cyllenius ales
Advenit, et leni modulatur carmen avena,
« Quoque, ait, hinc diversus abis? heu respice cantus ».
Haud procul insectans Argum, languentia somno
Lumina cuncta notat, dulcesque sequentia somnos,
Et celerem mediis in cantibus exigit harpen.
Jamque refecta Jovi paullatim in imagine prisca
Ibat agris Io victrix Junonis; et ecce
Cum facibus spirisque et Tartareo ululatu
Tisiphonen videt, ac primo vestigia visu
Figit, et in miseræ rursus bovis ora recurrit;
Nec qua valle memor, nec quo se vertice sistat.
Inachias errore etiam defertur ad undas,
Qualis, et a prima quantum mutata juvenca!
Nec pater, aut trepidæ tentant accedere nymphæ.

386. *Carmina vena.* Vatic. cod. — 388. *Somno* deest in Vatic. cod. *Cantu* Junt. et seqq. usque ad Carr. *Tandem.* Quidam apud Pium. — 393. *Cum f. pyrisque.* Bonon. cod. *Cum facibusque pyrisque.* Junt. et seqq. usque ad Carr. *Hydrisque.* Apud Pium. — 395. *Fugit.* Vatic. et Bonon. codd. Junt. Ald. Carr. — 396. *Memor quo se vertice.* Vatic. cod. *Memor quo sese.* Vatic. Bonon. Carr. et Cocki codd. Ed.

387. *Quo hinc diversus abis?* Argum videns viam nihilo minus persequentem, Cur ita properas? ait, *heu respice cantus*, dulce tibi aliquid canam; et primo *languentia* tantum *somno lumina cuncta notat*, videt, deinde vero somno victa, *dulcesque sequentia somnos.*

390. *Et celerem mediis in cantibus exigit harpen. Harpe* falcatus ensis (Ovid. Metam. I, 717); *exigere* vero, summa vi adigere, gladio aliquem trajicere. Ovid. Metam. V, 171, *exactum viribus ensem;* Virgil. Æn. X, 815, *Exigit ensem per medium;* et *exigere hasta*, Noster infra, VI, 572.

391. *Jamque refecta Jovi*, in lætitiam Jovis pristinæ formæ restituta, *ibat agris Io*, sibi ipsa plaudens, superba incedebat, *victrix Junonis.* Sed admodum breve gaudium!

393. *Cum facibus spirisque* serpentum (Virgil. Æn. XII, 847), *et Tartareo ululatu Tisiphonen*, furiam, *videt, ac primo visu vestigia figit*, subsistit, *et in miseræ rursus bovis ora recurrit*, subito resumit formam juvencæ; *nec memor*, dubia, *qua valle*, aut *quo vertice*, monte, *se sistat.*

397. *In errore*, dum fugiens vagatur, *ad Inachias*, patris etiam defertur ad undas; sed nec pater, nec nym-

Ergo iterum silvas, iterum petit invia retro,
Ceu Styga, dilectum fugiens caput; inde per urbes
Raptatur graias, atque ardua flumina ripis;
Oblato donec paullum cunctata profundo
Incidit: absistunt fluctus, et gnara futuri
Dant pavidæ alta viam; celsis procul ipsa refulget
Cornibus, ac summa palearia sustinet unda.
Ast Erebi virgo ditem volat æthere Memphim
Præcipere, et Pharia venientem pellere terra.
Contra Nilus adest, et toto gurgite torrens
Tisiphonen agit, atque imis illidit arenis,
Ditis opem, ac sævi clamantem numina regni.
Apparent sparsæque faces, disjectaque longe
Verbera, et abruptis excussi crinibus hydri.
Nec Jovis interea cessat manus; intonat alto
Insurgens cælo genitor, curamque fatetur,

402. *Raptatus*. Vatic. cod. ubi *raptatur* legit Pius. *Raptata est.* Bonon. et Burm. codd. *Raptatur*. Pro var. lect. Bonon. cod. *Rapta furens*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. *Rapta furit*. Col. Ed.

phæ tentant accedere, *a prima quantum mutatam juvenca*, mœrore et erroribus confectam.

400. *Ergo iterum, ceu Styga, dilectum fugit caput* patris, donec ad mare pervenit: *absistunt*, retro cedunt, *fluctus; et alta gnara futuri*, maria Ægyptum alluentia, mox futuram eam deam Isidem, Lunam, prævidentia, *dant pavidæ viam*.

405. Ipsa trajicit, *procul fulgens celsis cornibus, ac palearia*, armos, pectora, *sustinet unda summa*.

407. *Ast Erebi virgo*, Tisiphone, *ditem Memphim*, Ægyptum, *volat præcipere*, incitat pennas, ut occupet, præveniat, *et Pharia venientem pellere*, utque arceat, *terra*. — Adumbratum illud e Virgilio, Æn. X, 277: *Litora præcipere, et venientes pellere terra*. Ed.

409. *Contra Nilus adest*, præsto est auxilium laturus, *et toto gurgite torrens*, omnibus aquis suis, torrentis instar, *Tisiphonen agit, atque imis illidit*, magna vi projicit, *arenis; quæ Ditis*, Plutonis, *opem, ac sævi numina regni*, quidquid deorum inferorum esset, *inclamabat*.

412. Frustra: *apparent*, circumjacent, *sparsæ faces, disjecta longe verbera*, flagella, *et abruptis excussi crinibus hydri*.

414. *Nec Jovis interea cessat manus*, auxilium, *curamque fatetur*, tonando caram sibi Io esse declarat,

Atque ipsa imperium Juno pavet. Hæc procul Io
Spectat ab arce poli, jam divis addita, jamque
Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro.
Bosporon hinc Veteres errantis nomine divæ
Vulgavere. Juvet nostros nunc ipsa labores,
Immissisque ratem sua per freta provehat Euris.»
  Dixerat, et placidi tendebant carbasa venti.
Postera non cassæ Minyis aurora retexit
Noctis iter: nova cuncta vident, Thynnæaque juxta
Litora, fatidici pœnis horrentia Phinei.
Dira deum summoque lues urgebat in ævo:

417. *Spectabat ab arce jam.* Vatic. et Bonon. codd. *Spectat ab arce Phari.* Carr. — 421. *Auris.* Junt. et seqq. usque ad Carr. — 426. *Dura.* Codd. et edd. ante Heins. præter Bonon. II. *Dura d. s. q. suis urgebat.* Vatic. et Bonon. codd. *Dura d. s. q. sui surgebat.* Carr. cod. *Dura d. s. q. lues urgebat Olympo.* Ald. Ed.

atque ipsa Juno pavet imperium Jovis.

416. *Hæc procul Io spectat ab arce poli*, cælo (II, 94; III, 481), *jam divis addita, jamque aspide cincta comas:* aspis, serpens minor, sed veneni præsentissimi, uti plurium Ægyptiorum deorum, ita in primis Isidis capiti fuit ornamento. Ovid. Metam. IX, 687, *inerant lunaria fronti Cornua;* et infra, 673, *Plenaque somniferi serpens peregrina veneni;* vid. ejusdem Amor. II, Eleg. 13; Ælian. hist. animal. X, 31, et omnino Jablonskium in Pantheo Ægypt. P. I, p. 108.

418. *Et ovanti persona sistro*, læta pulsat sistrum, instrumentum musicum, vel crepitaculum, duobus vel pluribus bacillis transversis instructum, cujus formam gemmæ, nummi, aliaque monumenta antiqua referunt, qualia multa ære expressa sistit Bened. Bachinus de sistris, Traj. ad Rhen. 1696.

419. *Bosporon hinc Veteres errantis nomine divæ Vulgavere*, hinc factum, ut majores in honorem deæ, juvencæ forma vagatæ, freto isti Bospori nomen darent.

420. *Juvet nostros nunc ipsa labores*, nam et navigationibus præesse credebatur, unde et Pelagia dicta.

422. Hactenus Orpheus. Interea venti faverant Argonautis, et *postera aurora iter non cassæ noctis retexit*, ea nocte magnum maris spatium emensos esse apparuit.

424. *Vident Thynnæa*, Bithyniæ, *litora fatidici* vatis (vid. v. 445) *pœnis horrentia Phinei.* In historia Phinei admodum variant mythologi; quæque Valerius noster in sequentibus de eo narrat, ea uno conspectu dedi in Indice, quem vide.

426. *Dira deum*, a diis immissa, *lues, summoque in ævo*, extrema senectute. — Vide ad calcem hujus libri not. 426. Ed.

Quippe neque extorrem tantum, nec lucis egentem,
Insuper Harpyiæ Typhonides, ira Tonantis,
Depopulant, ipsoque dapes prædantur ab ore.
Talia prodigia et tales pro crimine pœnas
Perpetitur: spes una seni, quod pellere sævam
Quondam fata luem dederunt Aquilone creatis.
  Ergo ubi jam Minyas, certamque accedere Phineus
Sentit opem, primas baculo defertur ad undas,
Vestigatque ratem, atque oculos attollit inanes.
Tunc tenuem spirans animam: « Salve, o mihi longum
Exspectata manus, nostrisque, ait, agnita votis.
Novimus, et divis geniti quibus, et via jussos
Qua ferat, ac vestri (rebar sic) tempora cursus,

428. *Insuper Yphoides Arpyiæ ira Tonantis.* Vatic. cod. *Insuper Hyphoides Arpyiæ iraque T.* Bonon. cod. Bonon. I. *Hirphoides.* Junt. *Insuper Typhonides Harpyiæ ira T.* Bonon. II. *I. hunc Typhonides Harpyiæ.* Maser. alia omnino a Pio mutuata Engent. Col. Gryph. — 432. *Dederant.* Codd. et edd. ante Heins. præter Engent. et filias. — 434. *Sensit.* Bonon. eod. — 439. *Quæ ferat.* Vatic. cod. Bonon. I. Junt. et seqq. *Quo ferat.* Bonon. eod. Bonon. II. Ed.

427. *Non extorrem*, exsulem, *tantum*, nec tantum *lucis egentem*, cæcum, *Harpyiæ* etiam *Typhonides*, filiæ Typhonis, *persequuntur.* Alii Thaumantis et Electræ filias fuisse perhibent, uti Apollodorus, ad quem vide omnino Heynium, p. 25, et ad Virgil. Æn. lib. III, Excurs. VII.

428. Has Harpyias dicit poeta *iram Tonantis*, per appositionem, quibus utebatur Jupiter ad iram explendam, quas ministras habebat pœnarum, infra, 521: *magnas sibi legit in iras.*

429. *Depopulant*, consumunt, macilentum me faciunt, *ipsoque dapes prædantur ab ore;* Apollon. II, 223: στόματός μοι ἀφαρπάζουσιν ἐδωδήν.

430. *Talia prodigia et tales pœnas*, i. e. tam prodigiosas pœnas.

434. *Primas baculo defertur ad undas*, scipione nixus ad litora tendit. Vivis magis coloribus vacillante gressu incedentem pingit cæcum senem Apollonius, II, 198: Βάκτρῳ σκηπτόμενος, ῥικνοῖς ποσὶν ἧε θύραζε, Τοίχους ἀμφαφόων, τρέμε δ' ἅψεα νισσομένοιο Ἀδρανίῃ γήρᾳ.

435. *Oculos inanes*, facultate privatos videndi, *tenuem spirans animam*, vix spiritum ducens, anhelans præ infirmitate corporis.

438. *Novi*, inquit, *via jussos qua* (facilius *quo*) *ferat*, quo tendatis, et quo jubente; *ac vestri* (*rebar sic*, sic enim computabam) *tempora cursus*, *proxima quæque legens*, considerans, mecum reputans, quæ vobis hucusque acciderint; novi, *quantum Lemnos traxerit*, detinuerit; novi infe-

Proxima quæque legens; quantum Vulcania Lemnos
Traxerit, infelix tulerit quæ Cyzicus arma;
Sensi et Bebrycio supremam in litore pugnam,
Jam propior, jamque hoc animam solamine mulcens.
Non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus,
Aut memorem, mea quod vates insedit Apollo
Pectora; præsentis potius miserescite fati.
Nec mihi diversis erratum casibus orbem,
Amissas aut flere domos, aut dulcia tempus
Lumina; consuetis serum est ex ordine fatis
Ingemere. Harpyiæ semper mea pabula servant,
Fallere quas nusquam misero locus: ilicet omnes
Deveniunt, niger intorto ceu turbine nimbus,
(Jamque alis procul, et sonitu mihi nota Celæno),
Diripiunt verruntque dapes, fœdataque turbant

449. *Rerum est.* Codd. et edd. *Serum.* Gronov. Obss. I, 15. — 454. *Vertuntque.* Eugent. et filiæ. Ed.

licem ad Cyzicum, supremam in Bebrycio litore pugnam.

443. *Jam propior, jamque hoc animam solamine mulcens*, quo propius vos accedere sensi, eo majori spe atque solatio impletus sum.

444. *Cretus Agenore*, filius Agenoris, Phœnicum regis, in cujus stirpe exponenda, ut verbis utar Heynii ad Apollodor. p. 525, « incredibilis est narrationis diversitas, in qua componenda frustra quis laboret ». Valerius sequitur Apollonium, II, 178; infra etiam *Tyrum* vocat *paternam*, v. 632, idemque habet unus e Scholiastis ad Eurip. Phœnissas, v. 5; nec aliter Nonnus Dionys. III, 294, p. 64, ed. *Falkenburg.*

445. *Aut mea quod vates insedit Apollo pectora*, quod vaticinandi arte polleam. Vid. I, 207, *totus dei;* V, 673, *deum, quem pectore toto jam tenet.*

447. Nihil attinet, nunc enarrare quam diversis casibus terrarum orbem pererraverim, *amissas domos*, cur in exsilium actus, *aut dulcia lumina*, cur cæcus sim.

449. *Serum est ex ordine ingemere fatis consuetis.* Sic ordines verba, et sensum habebis: nihil attinet, totam priorum, quibus assuevi sensim, malorum seriem inter lacrimas enarrare; immo audite, quæ nunc vel maxime me premunt.

450. *Harpyiæ mea pabula servant*, observant, iis insidiantur..... *Celæno*, primas agens inter eas; v. Apollon. II, 178 sqq. Virgil. Æn. III, 211 sqq. quem omnino ob oculos habuit Noster in toto loco.

Pocula; sævit odor, surgitque miserrima pugna;
Parque mihi monstrisque fames; sprevere quod omnes
Pollueruntque manus, quodque unguibus excidit atris,
Has mihi fert in luce moras: nec rumpere fata
Morte licet; trahitur victu crudelis egestas.
Sed vos, o servate, precor, prædicta deorum
Si non falsa mihi, vos finem imponite pœnis.
Nempe adsunt, qui monstra fugent, Aquilonia proles,
Non externa mihi; nam rex ego divitis Hebri,
Junctaque vestra meo quondam Cleopatra cubili ».
 Nomen ad Actææ Calais Zetesque sororis
Prosiliunt, Zetesque prior, « Quem cernimus, inquit,
Tune ille Odrysiæ Phineus rex inclytus oræ?
Tu Phœbi comes, et nostro dilecte parenti?

457. *Polluerunt.* Edd. ante Engent. *Manu.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Heins. *Excidit auris.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. *Uncis.* Bonon. II. — 460. *Observate.* Codd. et edd. ante Heins. En.

455. *Sævit odor*, ita gravis atque fœdus est, ut ferri vix possit. Apollonius, II, 229: πνεῖ τότε μυδαλέον τε καὶ οὐ τλητὸν μένος ὀδμῆς.

456. *Parque mihi monstrisque fames*, nec ego, nec Harpyiæ ipsæ famem sitimque expellere possumus, nam Celæno non me tantum, sed miseras etiam prohibet sorores (uti est infra, v. 499: *Sævit utrimque fames*); *sprevere quod omnes pollueruntque manus*, non ministrorum, quod Pius vult, sed ipsorum monstrorum (vid. v 495, et Virgil. Æn. III, 217; brachia adeo humana habuisse et pedes narrat Natalis Comes ex Isaaco *Tzetze*, p. m. 719), *has mihi fert in luce moras*, facit, ut vivere pergam.

458. *Nec rumpere fata* (alias *vitam rumpere, abrumpere*) *licet*, tam miseram vitam voluntaria morte nequeo finire; *trahitur victu crudelis egestas*, tam misero, tenui victu, invitus tamen, traho vitam per diram famem.

462. *Aquilonia proles non externa mihi;* scio, vobiscum adesse Boreæ filios, *Calain et Zeten*, mihi affines, quorum soror *Cleopatra* olim mihi conjux fuit. Apollon. II, 239.

465. *Ad nomen sororis Actææ*, Atticæ, matrem enim habebant Orithyiam, Erechthei filiam, *prosiliunt* fratres.

468. *Phœbi comes*, vates, amicus, minister Phœbi. Sic θεράποντες μουσῶν apud Græcos de poetis. Vid. imprimis *Wyttenbach* ad Plutarch. de sera numinis vindicta, p. 81; et Casaubon. de satir. poesi, ed. *Rambach*, p. 9.

O ubi nunc regni, generisque ubi gloria? quam te
Exedit labor, et miseris festina senectus!
Quin age, mitte preces, namque est tibi nostra voluntas,
Si non ira deum, vel si placabilis urget ».
  Sustulit hic geminas Phineus ad sidera palmas,
« Teque, ait, injusti, quæ nunc premis, ira Tonantis
Ante precor, nostræ tandem jam parce senectæ;
Sit modus : et fore credo equidem; nam vestra voluntas
Quo, juvenes, sine pace deum? nec credite culpam
Sævitiæ, scelerumve mihi nunc crimina pendi;
Fata loquax mentemque Jovis, quæque abdita solus
Consilia, et terris subito ventura parabat,
Prodideram, miserans hominum genus; hinc mihi tanta
Pestis, et offusæ media inter dicta tenebræ.
Jam tandem cessere iræ; nec casus, ab alto
Ipse volens nostris sed vos deus appulit oris ».

474. *Premit.* Bonon. cod. Bonon. I. — 476. *Nostra voluntas.* Bonon. I et II. Junt. Engent. — 477. *Quod juvenes.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Carr. *Haud juvenes.* Pius. Ald. Engent. — 482. *Effusæ.* Codd. et edd. ante Heins. *Offusæ.* Jam Voss. et Gronov. Ed.

470. *Miseris festina senectus*, miseri ante tempus fiunt deformes.

471. *Est tibi* præsto *nostra voluntas, Si non ira deum, vel si placabilis urget*, nisi superorum iram contraxeris, vel si expiari ea aliquo modo possit.

474. *Te*, ait, *injusti, quæ nunc premis, ira Tonantis, Ante precor*, ante omnia te ipsum, Jupiter, qui mihi irasceris, imploro. Offendere possit in ore precantis, quod *injusti* encomio ornet eum, ad quem dirigit preces; sed hoc tantum vult, Jovem immerito, acerbius justo, eum puniisse; vid. paulo post 478-481.

475. Satis pœnarum tibi dedi, et din, *nostræ tandem jam parce senectæ. Vestra voluntas Quo, juvenes, sine pace deum*, quid vos proficeretis sine permissione deorum, nisi deos habeam propitios?

477. Non sævus tyrannus sceleratusque fui, sed intemperantia linguæ me perdidit, vaticinandi arte mihi data, futura hominibus prædixeram, sed bona mente, *miserans hominum genus*.

482. *Media inter dicta*, dum vaticinarer, oculis captus sum. *Jam tandem cessere iræ; nec casus, sed ipse volens deus*, ipsa Jovis propitia voluntas, *ab alto*, mari vel cælo, *nostris vos appulit oris*.

Sic ait, et, fatis ita jam cedentibus, omnes
Impulit, et duræ commovit imagine pœnæ.
Instituere toros, mediisque tapetibus ipsum
Accipiunt, circumque jacent; simul æquora servant,
Astra simul, vescique jubent ac mittere curas,
Quum subitus misero tremor, et pallentia primæ
Ora senis fugere manus; nec prodita pestis
Ante, sed in mediis dapibus videre volucres.
Fragrat acerbus odor, patriique exspirat Averni
Halitus: unum omnes incessere planctibus, unum
Infestare manus; inhiat Cocytia nubes
Luxurians, ipsoque ferens fastidia visu.
Tum sola colluvie, atque illisis stramina mensis
Fœda rigant; stridunt alæ, prædaque retenta,
Sævit utrimque fames; nec solum horrenda Celæno
Phinea, sed miseras etiam prohibere sorores.

489. *Jubent admittere.* Vatic. cod. *Ventique jubent amittere curas.* Bonon. cod. — 493. *Patri.* Valic. cod. *Patris.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. Ed.

485. Sic ait, et omnes ad miserationem compulit calamitatibus suis enarrandis. *Simul æquora, simul astra servant*, unde Harpyias affore timebant.

490. *Pallentia primæ Ora senis fugere manus*, primæ manns sunt digiti, præ terrore torpesceotes, ut ori admovere eos non posset.

493. *Fragrat acerbus odor* (vid. v. 455), *patriique exspirat Averni Halitus.* Avernum patrium noli mirari, nam Valerius Typhonem, quem in Tartaro pœnas luere fabulatores narrant, Harpyiarnm patrem facit, v. 428, et 516; Virgil. Æn. III, 215: *nec sævior ulla Pestis et ira deum* Stygiis *sese extulit* undis. Ad eamdem originem referendum, quod paulo post eædem dicuntur *Cocytia nubes*, turbinis, procellæ instar, per aera ruentes, quæ *nubis* sigoificatio est etiam, III, 500.

494. *Unum omnes incessere planctibus* alarum; sic Virgil. Æn. III, 226: *magnis quatiunt clangoribus alas.*

496. *Ipso ferens fastidia visu. Tum sola*, pavimenta, *colluvie, atque illisis stramina*, stragulas vestes, *mensis fœda rigant.* Fastidiosa profecto hæc sunt, sed præeuntes habet epicos et ipsos poetas Homerum et Virgilium. Vid. omnino Heynium, Exc. XVI, ad Virgil. Æn. III.

499. *Sævit utrimque fames.* Dixerat supra Phineus, v. 456: *Parque mihi monstrisque fames.* Ed.

Emicat hic subito, seseque Aquilonia proles
Cum clamore levat, genitor simul impulit alas.
Hoste novo turbata lues, lapsæque ruinæ
Faucibus; et primum pavidæ Phineia tecta
Pervolitant, mox alta petunt; stant litore fixi
Hæmonidæ, atque oculis palantia monstra sequuntur.
Sic ubi prorupti tonuit quum forte Vesevi
Hesperiæ letalis apex, vix dum ignea montem
Torsit hyems, jamque Eoas cinis induit urbes;
Turbine sic rapido populos atque æquora longe
Transabeunt, nullaque datur considere terra.
Jamque et ad Ionii metas, atque intima tendunt
Saxa: vocat magni Strophadas nunc incola ponti.
Hic fessæ, letique metu propioris anhelæ

503. *Ruinæ*. Codd. et edd. præter Pium et Engent. — 509. *Ææas*. Junt. Maser. et Engent. cum Pio. — 510. *Rabido*. Codd. et edd. ante Carr. — 513. *Vocant*. Vatic. cod. Vid. Heins. nott. — 514. *Prioris*. Junt. Ald. Ed.

501. Jam insurgunt *Aquilonia proles*, Calais et Zetes; *genitor*, Boreas, *simul impulit alas*; alati etiam sunt, infra 527.

503. *Hoste novo turbata lues*, fœdæ rapinæ, vel ipsæ Harpyiæ; *mox alta petunt*, avolant; *stant litore fixi Hæmonidæ*, Argonautæ, *atque oculis palantia*, passim fugieolia, *monstra sequuntur*.

507. Sublimis est, quæ sequitur, Vesuvii montis descriplio: *ubi prorupti*, e cujus cratere prorumpunt flammæ (vid. ad VI, 632), *tonuit* gravissimum edidit sonum, *quum forte Vesevi Hesperiæ letalis apex*, Italiæ urbes haud raro evertens.

508. *Vix dum ignea hyems*, vix cœpit ignium intus furentium vis æstuare (Statius, Sylv. III, 73: *flammea diri montis hyems*), *montem torsit*, totum concutit, *jamque Eoas cinis induit urbes*, cinere atque favillis longe remotæ Orientis urbes consperguntur et quasi vestiuntur. Sic infra, 666: *imber puppim æquore vestit*.

510. *Turbine sic rapido*, eodem celeri impetu, Harpyiæ *populos atque æquora longe transabeunt*; vox rarior, qua tamen et Virgilius utitur, Æn. IX, 431.

512. *Jamque ad Ionii metas*, ad Ionium usque mare, *tendunt*, *atque intima saxa*, insulas scopulosas, quas *magni Strophadas nunc incola* (accola) *ponti* appellat, ubi Æneas postea temporis eas offendit. Virgil. Æn. III, 210 sqq.

514. Tantum terrarum marisque spatium emensæ, *fessas* se sentiunt; *leti propioris metu anhelant, trepidant*,

Dum trepidant, humilique graves timidoque volatu
Implorant clamore patrem Typhona nefando;
Extulit assurgens noctem pater, imaque summis
Miscuit, et mediis vox exaudita tenebris:
« Jam satis huc pepulisse deas: cur tenditis ultra
In famulas sævire Jovis? quas, fulmina quanquam
Ægidaque ille gerens, magnas sibi legit in iras.
Nunc quoque Agenoreis idem decedere tectis
Imperat; agnoscunt monitus, jussæque recedunt.
Mox tamen et vobis similis fuga, quum premet arcus
Letifer. Harpyiæ nunquam nova pabula quærent,
Donec erunt divum meritæ mortalibus iræ ».
Hæsit uterque polo, dubiisque elanguit alis;

521. *Gerat.* Junt. Maser. Ald. Engent. — 524. *Quum premet Argos.* Codd. et edd. ante Heins. *Arcus.* Jam Pius, et Gronov. Obs. I, 15. — 525. *Nusquam.* Bonon. cod. Ed.

alas tam agiles antea et citas movere vix possunt; *Typhona patrem implorant clamore nefando*, horribili.

517. *Extulit assurgens noctem*, nubem atram, *pater*, *imaque summis miscuit*, turbine confundere omnia velle videtur.

519. *Jam satis huc pepulisse deas* (satis honorificum nomen tersis scilicet filiabus dat pietas paterna): *cur tenditis*, pergitis, *sævire in famulas Jovis* (alias *canes*; Apollon. II, 289, κύνες Διὸς), *quas*, quanquam per se ipse terribilis et fulmine et ægide, adhibere tamen dignatur, quarum ministerio uti solet, si quos gravi exemplo velit punire.

522. *Nunc quoque Agenoreis tectis*, Phinei domo, *decedere imperat idem* Jupiter (ministrante Iride, apud Apollon. II, 286); *agnoscunt monitus, jussæque recedunt.*

524. *Quum premet arcus letifer* Herculis, cujus sagittis in insula Teno perierunt.

525. *Harpyiæ nunquam nova pabula quærent.* Suspecta hæc habet Heinsius, quod Æneam sociosque postea tamen infestaverint. — Immerito: nam Trojani Harpyias, bobus earum mactatis, in se concitaverant; vid. Æn. III, 222, et 247. Ed.

526. *Donec erunt divum meritæ mortalibus iræ.* Hunc et præcedentem versum sic intelligimus: Harpyiæ nunquam postea iræ deorum erunt ministræ. Quid sentiat Wagnerus, vid. ad calcem hujus libri, not. 525. Cur hujus sententiam illuc rejecerimus, vid. ad calcem libri tertii, n. 524, ubi præfationem invenies, quæ valeat ad ceteras hujusmodi translationes. Ed.

527. *Hæsit uterque*, Calais et Zetes, *polo*, *dubiisque elanguit alis* (vid. *dubium arcum*, I, 401), ipsi lan-

Mox abit, et sociæ victor petit agmina puppis.
  Interea Minyæ, pulsa lue, prima Tonanti
Sacra novant; tum vina toris epulasque reponunt.
Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni
Lætus, ad oblitæ Cereris suspirat honores;
Agnoscit Bacchi latices, agnoscit et undam,
Et nova non pavidæ miratur gaudia mensæ.
Hunc ubi reclinem stratis, et pace fruentem
Aspicit, ac longæ ducentem oblivia pœnæ,
Talibus appellat, supplexque ita fatur Iason:
« Vota, senex, perfecta tibi; nunc me quoque curis
Eripe, et ad nostros animum converte labores.
Omnis adhuc sors læta quidem, nec numine vano

guidi volando, dubitabant tamen, Typhonis monitis parerent, an Harpyias ulterius persequerentur; *mox victores*, voti compotes, *agmina sociæ puppis* (melius cum Heinsio *pubis*) *repetunt*.

529. *Interea* Argonautæ *Jovi sacra novant* (vid. I, 774; III, 423), iram ejus expiaturi, cujus famulas persequuti essent; *tum vina toris*, mensis, *epulasque* turbatas *reponunt*.

531. *Ipse* Phineus, *ceu dulcis imagine somni lætus*, tanquam ex jucundo somnio expergefactus, vix oculis fidens; Apollon. II, 306, οἷον τ' ἐν ὀνείρασι θυμὸν ἰαίνων. — Nescio quo fato somnia Waguerum videantur ludificare, quibus interpretandis jam tertium allucinatur; vide 1° lib. III, 59 sqq. 2° lib. IV, 43; 3° hunc locum ubi Phineus summa voluptate, tanquam felici somnio, perfunditur, non tanquam *e dulci somno expergefactus*, quum e contrario, suave somniantibus, expergefieri sit injucundum. Edit.

532. *Ad oblitæ Cereris suspirat honores*, munera Cereris, panem, diu non gustatum cupide appetit; *agnoscit Bacchi latices*, vinum genuinum, *agnoscit et undam*, aquam nunc puram atque nativam bibere se intelligit, *et nova non pavidæ*, securæ, *miratur gaudia mensæ*.

535. Genio igitur indulget, *reclinis stratis*, *et pace*, securitate, *fruens*, *ac longæ ducens oblivia pœnæ*, largiter se invitat vino, quo diuturnæ calamitatis memoriam omnem abstergeret.

537. Ita lætum compellat Jason: *Vota perfecta tibi*, quæ optaveras, tibi perfecimus; *nunc me quoque curis* tu eripias.

540. *Non numine vano*, sine numine præsidioque deorum, *tantum æquor adorti tendimus; ipsa Jovis optima proles*, Pallas, Jovi præ primis dilecta, *navem instituit*, *sociosque dedit Saturnia*, Juno, *reges*, heroas, regum progeniem.

(Si qua fides curæ superum) tantum æquor adorti
Tendimus; ipsa mihi puppim Jovis optima proles
Instituit, sociosque dedit Saturnia reges.
Fidere mens sed cæca nequit, quantumque propinquat
Phasis, et ille operum summus labor, hoc magis angunt
Proxima, nec vates sat jam mihi Mopsus et Idmon».

Ille ducem nec ferre preces, nec dicere passus
Amplius, hic demum vittas laurumque capessit,
Numina nota ciens. Stupet Æsonis inclyta proles
Phinea, ceu numquam pœnis nullaque gravatum
Peste Jovis: tam largus honos, tam mira senectæ
Majestas infusa; vigor novus auxerat artus.
Tum canit: « O terras fama venture per omnes,
Quem sociis ducibusque deis, atque arte benigna
Pallados, ipse ultro Pelias ad sidera tollit,
Demens, dum profugi non sperat vellera Phryxi,

V. 543. *Instituit dedit et socios Saturnia*. Vatic. et Bonon. codd. — 544. *Sed nostra*. Codd. et edd. ante Carr. — 547. *Ille deum*. Maser. vitiose. — 550. *Te nunquam*. Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. et Carr. I. *Ceu*. Jam Pius, Ald. Eugent. — 551. *Jam largus h. tam ira s*. Vatic. cod. *Jam l. h. tam illa*. Bonon. cod. *Tam ira* pro var. lect. idem. *Sic l. h. tantum illa*. Bonon. I et II. Junt. Ald. Eugent. Eo.

544. *Fidere mens sed cæca*, per se nihil intelligens, futuri nescia, *nequit.... nec vates sat jam mihi Mopsus et Idmon*, nec his tantam, quantam tibi, inesse suspicor vaticinandi peritiam.

548. *Vittas laurumque capessit* Phineus (locus similis III, 424: *Tempora tum vittis et supplice castus oliva Impleat*), *numina nota* Apollinis, cujus afflatum, ut vates, sæpe erat expertus, *ciens*, invocans.

551. *Tam largus honor*, insignis gravitas, *tam mira*, quæ in senem vix caderet, *senectæ majestas infusa; vigor novus auxerat artus*, qui modo incurvus præ mœstitia incesserat, jam procerior repente factus videbatur.

553. *Terras fama venture per omnes*, cujus nomen per totum terrarum orbem inclarescet.

555. *Ipse ultro Pelias ad sidera tollit*, qui tibi vel maxime cupit nocere, ipse, alia omnia cogitans, viam tibi ad nominis immortalitatem aperiet, *demens, dum non sperat*, non timet, non credit, te *Phryxi profugi vellus* unquam reportaturum.

Fata locosque tibi (possum quas reddere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.
Ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris
Sæcula, te propter fandi mihi Jupiter auctor.
Hinc iter ad Ponti caput, errantesque per altum
Cyaneas: furor his medio concurrere ponto;
Necdum ullas videre rates; sua comminus actæ
Saxa premunt, cautesque suas: quum vincula mundi
Ima labant, tremere ecce solum, tremere ipsa repente
Tecta vides; illæ redeunt, illæ æquore certant.
Di tibi progresso propius, di forsitan ipsi
Auxilium mentemque dabunt: ast ipse juvare
Ausa quibus monitis possim tua? quippe per altum
Tenditis, unde procul venti, procul unde volucres,

V. 557. *Reddere gentes.* Bonon. cod. Bonon. I et II. — 562. *Hic.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. *His.* Bonon. II. — 563. *Illas.* Vatic. et Cocki codd. — 564. *Saxa petunt.* Bonon. cod. et edd. usque ad Carr. *Ceu vincula* pro var. lect. Bonon. cod. vid. Heins. not. *Tum vincula.* Bonon. II. — 565. *Ecce repente.* Bonon. et Burm. codd. — 569. *Possum.* Eugent. cum Pio. Ed.

557. Eventus futuros, et loca tibi adeunda te docebo, qua in re sola possum aliquatenus beneficii gratiam tibi rependere. Ed.

560. *Te propter*, tui amore, *fandi mihi Jupiter auctor*, fata tibi tua nuntiare permisit.

561. Nunc totum iter enarrat. Sic Circe Ulyssi apud Homer. Od. XII, 37, sqq. et Helenus Æneæ fata navigationis, Æn. III, 343 sqq. prænuntiat. Phinei nostri vaticinia non minus copiose, quam Valerius, exposuit Apollonius, II, 317 sqq. *Hinc iter ad Ponti caput*, initium, *errantesque Cyaneas.*

562. *Furor his concurrere*, furibundæ concurrunt, — « vel melius, inquit Pius, furor vester esset his concurrere, et cum mobilibus scopulis certare ». Ed.

563. *Necdum ullas videre rates*: nondum ausa est navis transitum; *comminus actæ*, violenter invicem illisæ, *sua saxa cautesque premunt.* Pindarus, Pyth. IV, 370: σύνδρομοι πέτραι· δίδυμοι γὰρ ἔσαν ζωαί, κυλινδέσκοντό τε κραιπνότεραι ἢ βαρυγδούπων ἀνέμων στίχες. Plura dabit Index.

564. Quum terrarum orbis ex imis fundamentis erui videtur, et urbes tectaque terræ motibus concutiuntur, illæ nihil inde patiuntur, quoniam semper mobiles in superficie natant aquarum, *illæ redeunt, illæ æquore certant.*

570. *Per altum*, tam periculosum

Et pater ipse maris pavidas detorquet habenas.
Si qua brevis scopulis fuerit mora, si semel orsis
Ulla quies, fuga tunc medio properanda recursu.
Vix repetunt primæ celeres confinia terræ,
Jamque alio clamore ruunt, omnisque tenetur
Pontus, et infestis anceps cum montibus errat.
Verum animo redit illa meo sors cognita divum
(Fabor enim, nec spe dubios solabor inani):
Quum mihi Tartareas sævo clangore volucres
Protulit ira Jovis, vox hæc simul accidit aures:
« Ne vanas impende preces, finemque malorum
Expete, Agenoride; Pontum penetraverit ulla
Quum ratis, et rapidi steterint in gurgite montes,
Tunc sperare modum pœnæ veniamque licebit ».
Sic deus. Aut vobis ergo fera saxa patescunt,
Aut mea jam sævæ redeunt ad pabula Diræ.

V. 572. *Fieret mora*. Vatic. Bonon. Cocki et Burm. codd. Bonon. I et II. *Fiet*. Junt. Maser. Ald. Eugent. — 573. *Peranda* pro *properanda*. Vatic. cod. *Patranda*. Carr. cod. — 575. *Ruont* pro *ruunt*, non *ruent*. Vatic. cod. vid. Burm. not. — 580. *Excidit aures*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. *Incidit*. Bonon. II. Maser. *Exciit*. Eugent. jubente Pio, Carr. cod. — 583. *Et rabidi*. Vatic. cod. Junt. et seqq. usque ad Carr. — 585. *Fera per saxa*. Vatic. cod. Ed.

maris locum, *tenditis, unde procul venti et volucres*, illi, ne vis sua frangatur, hæ, ne collidantur, timentes; *unde pater ipse maris*, Neptunus, *pavidas detorquet habenas*, curru declinat, ne propius accedat. Sic eleganter auxit periculum poeta, quod ne deus quidem audeat subire!

572. *Si qua brevis scopulis fuerit mora*, si paululum quiescant, *fuga tunc medio properanda recursu*, tum illo temporis brevissimo momento, ubi cautes recesserunt, propere utamini ad transeundum.

574. *Vix repetunt celeres* Cyaneæ *primæ terræ confinia*, ad proxima terræ continentis litora sese receperunt, *jamque alio clamore*, novo sonitu, *ruunt, omnisque tenetur*, vim sentit, *pontus, et anceps*, fluctuans, *errat cum infestis montibus* Symplegadum se invicem semper infestantium. Vid. infra 659. — Vide P. Gyllium de Bosporo Thracico. Ed.

577. *Verum animo redit*, in memoriam revoco, *sortem divum*, oraculum, effatum deorum.

583. *Rapidi quum steterint*, constiterint, non amplius mobiles vagari desierint, *montes*.

Verum inter medias dabitur sic currere cautes
(Certe digna manus), vacuumque exibis in æquor.
Proxima regna Lyci, remeat qui victor ab oris
Bebryciis; toto non ullus litore Ponti
Mitior: hic lecto comitum de robore si quem
Perculerit vicina lues, ne defice, casus
Prædicti memor, atque animos accinge futuris.
Illic pestiferas subter juga concava torquet
Alter aquas Acheron, vastoque exundat hiatu
Fumeus, et sæva sequitur caligine campus;
Linque gravem fluvium, et miseris sua fata colonis.
Sic quoque non uno dabitur transcurrere luctu.
Quid tibi nubifera surgentem rupe Carambin,

587. *Si currere.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. — 588. *Exibit.* Bonon. II. Ald. — 592. *Prætulerit.* Bonon. cod. et Bonon. I. — 593. *Accingere futuros.* Corrupte Vatic. cod. *Accinge futuros.* Bonon. cod. et Bonon. I. — 595. *Ater aquas.* Carr. *Aquis.* Vitiose Gryph. — 596. *Campos.* Vatic. cod. Junt. Maser. Ald. et tuetur Heins. Vid. nott. Ed.

587-588. Locus intricatior, quem ad expediendum optime facere videtur conjectura Heinsii, pro *sic* reponentis *scio*. Si porro, quod meum commentum est, verba *certe digna manus* parentheseos signis includas, omnia erunt expedita: *inter medias dabitur, scio, currere cautes (certe digna manus),* tu tuique socii egregii tali fortuna digni, *vacuumque*, liberum, apertum, late patens, *exibis in æquor.*

589. *Proxima*, Cyaneis superatis, sunt *regna Lyci*, regis Mariandynorum (infra 737), *remeat qui victor ab oris Bebryciis*; vid. 748 sqq.

591. Quoniam triste aliquid prænuntiat, obscurius loquitur, minusque dicit, quam nosset. *Si quem*, quasi de uno, sed duos morbus absumpsit, Idmonem, V, 2, et Tiphyn, V, 15; et *perculerit* anceps est, duplicemque admittit sensum vel morbi, vel mortis: *ne defice*, animum ne despondeas.

594. *Illic pestiferas aquas subter juga concava*, sub antra, voragines montium, *torquet*, vi rapit, *alter Acheron*, non minus terribilis, quam Italus ille, *vastoque hiatu exundat fumeus*, tanta vi propellit undas, ut fumum emittant, qualem in cataractis licet observare.

596. Pro *sequitur* mavult Marklandus, Ep. crit. p. 34, *tegitur*. Nil opus: *sequitur* significat post hunc situs est, subest, cum excipit. *Linque gravem*, grave olentem, *fluvium.*

598. *Sic quoque*, ne sic quidem, quamvis in ripis ejus non moremini. Ed.

599. *Quid tibi nubifera surgentem*

Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon?
Proxima Thermodon hic jam secat arva, memento;
Inclyta Amazonidum, magnoque exorta Gradivo
Gens ubi; femineas nec tu nunc crede catervas,
Sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo,
Divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri.
Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppim
Ventus agat; ludo volitans quum turma superbo
Pulvereis exsultat equis, ululataque tellus
Intremit, et pugnas mota pater incitat hasta.
Non ita sit metuenda tibi, sævissima quanquam,
Gens Chalybum, duris patiens cui cultus in arvis,
Et tonat afflicta semper domus ignea massa.
Inde omnem innumeri reges per litoris oram,
Hospitii quis nulla fides; sed limite recto
Puppis, et æquali transcurrat carbasus aura.

600. *Aut torqueat.* Vatic. et Coeki codd. et edd. ante Carr. — 601. *Hic et secat.* Bonon. cod. — 603. *Gens ibi.* Codd. et edd. ante Heins. — 604. *Sed qualia et quanta.* Codd. et edd. præter Engent. — 606. *Nec tibi.* Codd. et edd. ante Carr. *Nunc.* Codd. et edd. præter Bonon. I et Heins. — 614. *Limine.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Engent. Ed.

rupe, altissimum in nubes erectum montem (vid. VIII, 214), *Carambin*, promontorium Paphlagoniæ, *quid memorem, quas Iris* fluvius *torqueat* (vehementiam designat) *aquas* et *Ancon*. — De *Ancone* v. ad calcem hujus libri not. 600. Ed.

602. *Magnoque exorta Gradivo*, Marte, *gens; nec femineas crede catervas, sed qualis, sed* (bis repetitum *sed* intendit orationem) *quanta viris insultat*, contemptim eos habet, *Enyo* (nomen græcum *Bellonæ*), *divaque innuba*, semper virgo, Pallas, *Gorgonei gestatrix monstri*, capitis Medusæ.

607. *Ludo volitans quum turma superbo Pulvereis exsultat equis.* Omnia hic bene delecta: mirifice sibi placent Amazones, quod incitatis, ut pulverem colligant, equis volitare per campos possint; *ululataque tellus*, graviter resonans, *intremit, et pugnas mota pater*, Mars, *incitat hasta*.

611. *Gens Chalybum* (vid. V, 141 sqq.), *duris patiens cui cultus in arvis*, quibus lapidosus ager tenuem victum præbet, *et tonat afflicta*, malleis percussa, *semper domus ignea massa*.

614. *Hospitii quis nulla fides*, om-

Sic demum rapidi venies ad Phasidis amnem.
Castra ibi jam Scythiæ, fraternaque surgit Erinnys;
Ipse truces illic Colchos, hostemque juvabis
Auxiliis. Nec plura equidem discrimina cerno;
Fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
Sed te non animis, nec solis viribus æquum
Credere; sæpe acri potior prudentia dextra.
Quam tulerit deus, arripe opem. Jamque ultima nobis
Promere fata nefas; sileo et precor. » Atque ita facto
Fine, dedit tacitis iterum responsa tenebris.
  Tum subita resides socios formidine Jason
Præcipitat, rumpitque moras, tempusque timendi.
Ipse viros gradiens ad primi litoris undam
Prosequitur Phineus: « Quænam tibi præmia, dixit,
Quas, decus o Boreæ, possim persolvere grates?

621. *Nec solum.* Bonon. cod. *Sed solis.* Vitiose Heins. — 624. *Sileo, precor.* Codd. et edd. ante Carr. *Sileo procul.* Maser. textus sed contra ipsius mentem; vid. Carr. not. — 625. *Tantis iterum.* Ald. — 630. *Possem.* Codd. et edd. ante Heins. Ed.

nes ἄξενοι; cavete igitur, *et limite recto, et aura æquali, navis transcurrat*, nec unquam devertat.

616. *Sic demum ad Phasin* pervenies, *ubi jam castra Scythiæ, fraternaque surgit Erinnys*, bellum jam nunc inter fratres Æetam et Persen conflatum est.

620. *Fors etiam*, hoc non tam aperte promittit, *optatam dabitur contingere pellem: sed te non animis*, robori animi, *nec solis viribus* corporis *æquum credere*.

622. *Sæpe acri potior prudentia dextra.* Juven. X, 365, *Nullum numen abest, si sit prudentia;* Horat. Od. III, 4, 65: *Vis consili expers mole ruit sua*.

623. *Quam tulerit*, obtulerit, *deus*, *arripe opem*. Apud Apollonium, II, 424, Venerem Phineus prædicit fore, cujus auxilio reditum sibi paraturi sint Argonautæ; Valerius autem Medeam potius in mente videtur habuisse, cujus artibus magis, quam sua ipsius virtute impetraturum Jasonem, quod vellet, prævidet vates, sed edicere ab incola deo prohibetur, *ultima* enim, sic pergit, *promere fata nefas*.

626. *Tum subita formidine resides socios*, in litore adhuc desides, *præcipitat*, alacres facit, properare jubet ad navem, ut fata prædicta prosequantur, *rumpitque moras, tempusque timendi*, ut ne otio diutius indulgerent, utque tempus omne excluderet, quo de instantibus periculis possent cogitare.

628. *Ipse* Phineus *gradiens*, ut

Me Pangæa super rursus juga, meque paterna
Stare Tyro, dulcesque iterum mihi surgere soles
Nunc reor; exactæ nam vere abiere volucres,
Nec metuam, tutæque dapes. Date tangere vultus;
Dem, sinite, amplexus, propiusque accedite dextræ.»
Dixerat; abscedunt terris, et litora condunt.
Omnibus extemplo sæva sub imagine rupes
Cyaneæ, propiorque labor; quando adfore, quaque
Parte putent; stant ora metu, nec fessa recedunt
Lumina diversas circum servantibus undas:
Quum procul audiri sonitus, insanaque saxa;
Saxa neque illa viris, sed præcipitata profundo
Siderei pars visa poli; dumque ocius instant

633. *Exactæ verumne*. Vatic. et Bonnn. codd. Maser. Engent. *Verum næ*. Junt. Ald. — 635. *Desinite*. Cndd. et edd. ante Heins. præter Bonnn. II quæ *Et sinite*. — 641. *Auditis*. Vatic. cod. *Auditus*. Bonon. cod. Bonnn. I et II. Junt. Engent. *Auditi*. Maser. Ald. *Auditur*. Carr. cod. *Audiri*. Jam Maser. in nott. — 643. *Instat*. Vatic. et Cocki codd. Ed.

cumque cæcus poterat, *viros prosequitur..... Decus o Boreæ*, filii patre digni!

631. *Me Pangæa*, Thraciæ montis (vid. I, 598), *super rursus juga, meque paterna stare Tyro* (vid. supra 494), *dulcesque iterum mihi surgere soles*, visum me recepturum esse, *reor*.

634. *Date tangere vultus; Dem, sinite amplexus, propiusque accedite dextræ*. Et hæc ad cæcum referenda.

636. *Abscedunt terris, et litora condunt*, post se relinquunt, ex oculis amittunt.

637. *Omnibus extemplo sæva sub imagine rupes Cyaneæ*, omnes occupantur una imagine Symplegadum, et laboris mox instantis.

639. *Stant*, immobilia rigent, silent, *ora metu, nec fessa recedunt lumina diversas circum servantibus undas*, haud desinunt oculos ad omnes æquoris partes convertere.

641. *Quum procul audiri sonitus insanaque saxa*, sonitus immanium, furibundorum saxorum, saxa tamen ipsa nondum conspecta, *sed siderei poli pars præcipitata profundo*, in mare, *visa est*.

643. *Dumque ocius instant*, remos impellunt, *vident ferre fugam*, fugere (inusitata, sed Valerio et alibi, VII, 297, VIII, 5, usitata loquendi formula), *maria ante ratem* (hactenus bene: nam, discedentibus Cyaneis, occupare vacuum spatium properabant), *maria ipsa repente diffugere* (quæ modo dixerat, gravius efferre voluisse videtur poeta verbis

Ferre fugam, maria ante ratem, maria ipsa repente
Diffugere, adversosque vident discedere montes;
Omnibus et gelida rapti formidine remi.
Ipse per arma volans, et per juga summa carinæ
Hortatur, supplexque manus intendit Iason,
Nomine quemque premens: « Ubi nunc promissa superba,
Ingentesque minæ, mecum quibus ista sequuti?
Idem animos Amyci viso timor omnibus antro
Perculerat; stetimus tamen, et deus adfuit ausis.
Quin iterum idem aderit, credo, deus ». Hæc ubi fatus,
Corripit abjecti remumque locumque Phaleri,
Et trahit; insequitur flammata pudore juventus.
Unda laborantes præceps rotat, ac fuga ponti
Obvia; miscentur rupes, jamque æquore toto

645. *Defigere*. Vatic. et Bonon. codd. ubi de plano *Diffugere* legit Pius. — *Dejicere*. Bonon. I et II. *Disjicere*. Junt. Maser. Ald. Engent. *Descendere*. Codd. et edd. ante Heins. Sed jampridem *discedere* Sabellicus. — 651. *Idem Amyci certe viso t.* Vatic. et Bonod. codd. Bonon. II. Carr. *Idem animos certe viso t.* Bonon. I. Junt. Maser. Engent. Ed.

ipsa et *repente*, sed tautologiæ maculam voci *diffugere* vix abstergas. Cujus loco si, quod nonnulli suaserunt, *disjicere*, vel, quod ego aliquando opinabar, *diffluere* ponas, nil magnopere proficias, totumque locum in iis habendum puto, cui, uti aliis, poeta, si diutius vixisset, emendatricem manum adhibiturus fuisset), *adversosque*, quos ante oculos jam habebant, *discedere montes*. — Nil vitiosum h. l. nisi Wagneri interpunctio; vide autem ad calcem hujus libri not. 643. Ed.

646. *Omnibus et gelida rapti*, manibus exciderunt, *formidine remi;* Apollon. II, 577, τεῦς δ' ἐλάοντας ἔχεν τρόμος· oppositum infra, 673, *redíere viris manus*.

647. *Ipse Jason per arma*, armamenta, transtra, *volans*, *et per juga summa carinæ*, mox proram, mox puppim, *hortatur supplex* (VIII, 285), *nomine quemque premens*, urgens.

649. *Ubi nunc promissa superba*, *ingentesque minæ:* bono h. l. sensu, uti apud Horat. Serm. II, 3, 9: *vultus multa et præclara minantis*.

654. *Corripit abjecti*, paulisper remoti, surgere jussi, *remumque locumque Phaleri*.

656. *Unda laborantes præceps rotat, ac fuga ponti Obvia*, quanquam omnes vires intenderent, vehementia tamen ante se, Cyaneas versus, fugientis æquoris, quasi vertice, abripiuntur.

657. Jam vero *miscentur*, colli-

Cyaneæ juga præcipites illisa remittunt.
Bis fragor infestas cautes, adversaque saxis
Saxa dedit, flamma expresso bis fulsit in imbri.
Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror
Effugit, et tenebras nimbosque intermicat ignis,
Terrificique ruunt tonitrus, elisaque noctem
Lux dirimit, pavor ora virum, pavor occupat aures;
Haud secus implevit pontum fragor; effluit imber
Spumeus, et magno puppim procul æquore vestit.
  Advertere dei, defixaque numina ponto,
Quid scopulis præclusa ratis, quid dura juventus
Expediat; pendet magnis favor ortus ab ausis.
Prima coruscanti signum dedit ægide virgo,
Fulmineam jaculata facem: vixdum ardua cautes

duntur, *rupes*, *jamque* (quid si *cumque?*) *æquore toto juga illisa remittunt*, vix collisæ, retrahunt cacumina, quo fit, ut toti æquori liberum cursum transituumque aperiant.

659. *Bis fragor infestas cautes* (subintellige: *cautibus*) *adversaque saxis saxa dedit*, bis magno cum fragore, inimicorum instar, commissæ erant Cyaneæ, *flamma expresso bis fulsit in imbri*, ex ipsis cautibus elisus ignis illustrat nubes.

661-664. Comparatio cum tonitru instituta satis trita est, nihilque habet singularis difficultatisve; eadem tamen bis dicta et hic invenies.

665. *Effluit imber spumeus*, spumantes defluunt cautibus fluctus (vid. omnino Virgil. Æn. I, 113-115), *et magno æquore*, magna vi, multitudine aquarum, *procul*, quanquam remotam, *puppim vestit*. *Induit urbem cinis*, supra, v. 509.

667. *Advertere dei, defixaque numina ponto*, irretortis prospexere oculis, *quid scopulis præclusa*, impedita, *ratis*, *quid dura*, laboriosa, *juventus expediat; pendet magnis favor ortus ab ausis*, favent quidem tantum opus aggressis, ipsi tamen fere dubitant de felici successu.

670. *Prima coruscanti signum dedit ægide virgo, Fulmineam jaculata facem*; cave, *coruscanti ægide* et *signum dedit* jungas; immo vero, *coruscanti ægide virgo*, est periphrasis Palladis eadem, quæ supra, 605, *diva Gorgonei gestatrix monstri*; signum vero dedit fulmine, concedente Jove. Vid. Virgil. Æn. I, 42; Æschyli Eumen. 825, omninoque, quæ adscripsimus, I, 116 et 372.

671. *Vixdum ardua cautes* (singul. pro plur.) *cesserat; illa*, fulminea fax, *tenui luce per conexa saxa* (I, 4) *fugit; rediere viris animique manusque*, novum animis manibusque robur accedere sentiunt, *ut videre viam* a fulmine monstratam et illustratam.

Cesserat; illa volans tenui per concita saxa
Luce fugit; rediere viris animique manusque,
Ut videre viam.« Sequor, o. quicumque deorum,
Æsonides, vel fallor», ait, præcepsque fragores
Per medios ruit, et fumo se condidit atro.
  Cœperat hinc cedens abductis montibus unda
Ferre ratem, pelagoque dies occurrere aperto;
Sed neque permissis jam fundere rector habenis
Vela, nec eniti remis pote, quum super adsunt
Cyaneæ; premit umbra ratem, scopulique feruntur
Comminus. Hic Juno præcepsque ex æthere Pallas
Insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet,
Hunc conjux Jovis; ut valido qui robore tauros
Sub juga, et invito detorquet in ilia cornu.

673. *Cecidere viris.* Codd. et edd. ante Carr. præter Bonon. II, et Maser. qui *rediere* ex Sabellico. — 675. *Vel fallit.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Maser. Ald. *Fallace.* Engent. ex Pio. Carr. — 676. *Et fuso.* Vatic. cod. *Et fuso... antro.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 677. *Incendens adductis.* Vatic. cod. *Intendens adductis.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Intendens abductis.* Sabell. Junt. Maser. Engent. *Incumbens.* Ald. *Incedens.* Carr. — 680. *Remis quoque.* Carr. I. — 682. *Juno* deest in Vatic. cod. — 683-684. *Hinc...hinc.* Bonon. cod. et edd. ante Heins. Ed.

674. *Seqnor, o quicumque deorum* ades, *vel fallor,* nisi me fallit sententia, ait Jason, et præceps ruit, *et fumo se condidit atro,* nebulis atque tenebris.

677. *Cœperat hinc cedens abductis montibus unda Ferre ratem*, scopulis recedentibus desederunt aquæ, navemque propulerunt, *pelagoque dies occurrere aperto*, ita ut nunc e tenebris ad alteram maris partem possent prospicere.

679. *Sed neque permissis*, remissis, laxatis, *jam fundere rector*, gubernator, *habenis vela, nec eniti remis pote,* nec velis omnibus expansis, nec remorum impulsu omnium angustias poterat superare.

680. Jam *super Cyaneæ adsunt*, denuo reversuræ; *premit umbra ratem*, jam umbra sua cingunt denuo navem, *scopulique feruntur comminus*, in eo sunt, ut rursus collidantur.

682. Sed en deæ ex machina! *Juno et Pallas ex æthere insiliunt pariter scopulos;* alterum *nata*, alterum *conjux Jovis coercet*, reprimit; *ut valido qui robore tauros sub juga, et invito*, reluctante, *cornu detorquet in ilia*, vi detrahit in terram, ut caput ventrem spectet. —Vide ad calcem hujus libri not. 682. Ed.

Inde, velut mixtis Vulcanius ardor arenis
Verset aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto
Angitur, et clausum scopulos super effluit æquor.
Contra omnes validis tenui discrimine remis
Pergere iter, mediosque ratem transferre per ictus;
Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis,
Parsque (nefas) deprensa jugis; nam cætera cælo
Debita. Conclamant Minyæ; latera utraque quippe
Dissiluisse putant: fugit ipse novissimus ictus
Tiphys, et e mediis sequitur freta rapta ruinis;
Nec prius obsessum scopulis respexit ad æquor,
Aut sociis tentata quies, nigrantia quam jam

686. *Mixtus...ahenis.* Sabellic. conf. Heins. — 687. *Versat.* Carr. *Una fremunt.* Vitiose Bonon. I. *Unda fremit.* Ald. — 688. *Scopulo super.* Carr. cod. — 690. *Porgere.* Sabell. — 695. *Et mediis.* Vatic. cod. *Et in mediis.* Bonon. et Burm. codd. Ed.

686. *Inde, velut mixtis Vulcanius ardor*, mons ignivomus, *arenis versat aquas, fluctuque coacto*, in unum collecto, *angitur*, comprimitur, *et clausum scopulos super effluit*, redundat, *æquor*, sic scopuli fremunt.

689. *Contra omnes tenui discrimine*, parum aberat, quin ipsi comprimerentur, *remis pergere iter.* — Subaudi *in* ante hæc verba, *tenui discrimine*, et sic intellige: remigant *in tenui discrimine*, i. e. per angustum intervallum quo *discriminantur* seu distant scopuli. Ed.

691. *Saxa sed extremis tamen increpuere*, magno cum sonitu inciderunt, *corymbis*, græce, ἄφλαστα; Homer. Il. IX, 241; Apollon. II, 603, utrumque jungit: ἀφλάστοιο ἄκρα κόρυμβα. Latini etiam *aplustria*. Erant autem prominentia et incurva ornamenta in puppibus navium, quibus etiam lintea ad explorandos ventos (*Windfahne*) affixa. Vid. *Böttiger's archæologisches Museum*, *Heft* I, *S.* 23.

692. *Parsque deprensa jugis*, transtris, *nefas!* Tam parum reverenter habebant saxa navem originis divinæ; *nam cætera cælo debita*, inviolabilis, Olympo destinata, I, 4. Vid. omnino Claudianum de Bello Getico, 1-30.

693. *Conclamant* anxii *Minyæ; fugit ipse novissimus*, in extrema navis parte, puppi stans, *Tiphys*, et *e mediis ruinis*, decidentibus saxorum fragmentis, *sequitur freta rapta*, quantum potest celerrime in altum properat.

697. *Nigrantia litora*, promontorium; nigrum dictum, ἄκρην μέλαιναν, Apollon. II, 653, *quam longinqui exirent*, in mare se exonerarent, *flumina Rhebæ*, hodie *Riva*. Apollon. II, 349 et 650, ponit *nigrantia li-*

Litora, longinquique exirent flumina Rhebæ.
  Tunc fessas posuere manus, tunc arida anheli
Pectora, discussa quales formidine Averni
Alcides Theseusque comes pallentia jungunt
Oscula, vix primis amplexi luminis oris.
Nec vero ipse metus curasque resolvere ductor,
Sed maria aspectans: « Heu quis datus iste deorum
Sorte labor nobis! serum ut veniamus ad amnem
Phasidis, et mites, inquit, dent vellera Colchi,
Unde per hos iterum montes fuga? » Talia fundit,
Imperio fixos Jovis æternumque revinctos
Nescius: id fati certa nam lege manebat,
Si qua per hos undis umquam ratis isset apertis.

698. *Flumina Phœbi.* Vatic. Bonon. Burm. Cocki codd. et Bonon. I. sed jam *Rhebæ.* Bonon. II ex Sabell. *Rhebi.* Junt. Ald. — 702. *Amplexis.* Junt. Maser. *Primas amplexi l. oras.* Ald. ex Pio. — 704. *Qui datus.* Codd. et edd. ante Carr. vid. Burm. — 708. *Fixus.* Vatic. cod. *Fixus...revinctus.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Maser. Ald. — 709. *Et fati... manebant.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Maser. Carr. *Et fati... manebat.* Junt. Ald. Eugent. Ed.

tora post *Rhebam*. Quid, si uno eodemque loco ponenda sint, ut Rhebas prope promontorium in mare effluxerit?

698. *Longinquique exirent flumina Rhebæ*. Recta constructio hæc est: non prius quieverunt Argonautæ, quam *exirent*, i. e. præterirent, *flumina*, ostium, *Rhebæ longinqui*, longe post se relicti. Ed.

699. *Tunc* demum animum collegere: *quales discussa*, posita, *formidine Averni*, Tartari, *Hercules Theseusque comes pallentia*, Orci modo relicti horrore pleni, *jungunt oscula*. — Vide ad calcem hujus libri not. 699. Ed.

702. *Vix primis amplexi luminis oris*. Hæc vulgata lectio, cujus sensus est: vix supernas attigerant regiones, quum sese amplecterentur. Vide ad calcem hujus libri not. 702. Ed.

704. *Heu quis*, quantus, *datur iste deorum sorte*, voluntate, imperio, *labor nobis! serum ut*, quamvis, *veniamus*, fac sero nos venire, *ad amnem Phasidis, et mites*, faciles ita sint, *ut dent vellera Colchi, unde per hos montes iterum fuga?*

707. *Talia*, tales querelas, *fundit* Jason, *nescius*, *imperio Jovis fixos*, immobiles, *æternumque revinctos*, vinctos; Ovid. Met. XV, 339, *quæ nunc immotæ perstant, ventisque resistunt;* Pyndarus, Pyth. IV, 372, antea *vivas*, tum *mortuas* esse dicit.

709. *Id fati certa nam lege mane-*

Tum freta, quæ longis fuerant impervia seclis,
Ad subitam stupuere ratem, Pontique jacentis
Omne solum, regesque patent, gentesque repostæ.
Non alibi effusis cesserunt longius undis
Litora, nec tantas quamvis Tyrrhenus et Ægan
Volvat aquas, geminis et desint Syrtibus undæ;
Nam super huc vastos tellus quoque congerit amnes.
Non septemgemini memorem quas exitus Histri,
Quas Tanais, flavusque Lyces, Hypanisque, Melasque

712. *Obstupuere ratem*. Bonon. cod. — 715. *Ægon*. Codd. et edd. ante Heins. — 719. *Hypanisque Novasque*. Vatic. et Bonon. codd. *Nomasque*. Edd. ante Carr. Ed.

bnt, si qua navis viam sibi per eas aperuisset.

711. *Freta longis impervia seclis*, I, 1, *ad subitam*, subito, tam inopinato visam, *stupuere ratem*, *Pontique jacentis*, late patentis, *omne solum*, æquor (*Fläche*), *regesque*, regna, *patent*, oculis subjiciuntur, *gentesque repostæ*, longius remotæ, et hucusque incognitæ.

714. Amplitudo Ponti describitur, comparatione cum aliis maribus instituta. *Non alibi effusis cesserunt longius undis Litora*, pictura satis suavis, nam quo longius litora distant, eo latius fit flumen, vel mare interfluens.

715. *Nec tantas quamvis Tyrrhenus*, Tyrrhenum mare, *et Ægan*, Ægæum, I, 629, *volvat aquas*, *geminis et desint Syrtibus undæ*. Syrtes, pars pro toto Mediterraneo mari. Nihil aliud voluit Valerius, quam hoc: quamvis Tyrrhenum mare et Ægæum magnas volvant aquas, non tantas tamen volvunt, quantas Pontus Euxinus. —V. ad calcem hujus libri not. 714. Ed.

717. Pergit Valerius aliam causam amplitudinis Ponti Euxini afferre. *Nam super* (adverbial.), præterea quod per se magnam aquarum molem complectitur, *huc*, in eum, *vastos tellus quoque congerit amnes*.

718. *Non memorem*, *quas opes* (*divitias*, Ovid. Amor. III, 6, 94, Sil. Ital. I, 606) *addant Histri*, Danubii, *gemini* (vel quod, antequam in mare effluit, in duo brachia dividitur, unde *geminum flexum Danubii* dixit Noster, VIII, 377; vel quod binominis esset, uti Ovid. ex Ponto, I, 8, 11, nominat, nempe propius ad fontes *Danubius*, ab Illyrico usque ad ostia *Ister*) *septem exitus*, ostia; vid. VIII, 185, in quorum numero Noster sequitur Strabonem, nam alii quinque vel sex numerant. Vid. *Mannert*, T. IV, p. 219 sqq. — Vide ad calcem hujus libri not. 718. Ed.

719. *Quas Tanais (Don) flavusque Lyces*, una cum Iri in Pontum fluens; vid. *Mannert*, T. VI, P. 2, p. 444, hodie verisimiliter *Kalmius*; v. eumdem, T. IV, p. 251.— *Hypanis (Bog)*, *Melasque*, pro quo libri habent *Nomas*, vel *Novas*; fortasse

Addat opes, quantosque sinus Mæotia laxent
Æquora. Flumineo sic agmine frangit amari
Vim salis, hinc Boreæ cedens glaciantibus auris
Pontus, et exorta facilis concrescere bruma.
Utque vel immotos Ursæ rigor invenit amnes,
Vel freta versa vadis; hyemem sic unda per omnem
Aut campo jacet, aut tumido riget ardua fluctu;
Atque hac Europam curvis anfractibus angit,
Hac Asiam, Scythicum specie sinuatus in arcum.
Illic umbrosæ semper stant æquore nubes,
Et non certa dies; primo nec sole profundum
Solvitur, aut vernis quum lux æquata tenebris,

721. *Regit amari.* Vatic. et Burm. codd. *Fregit.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 722. *Glaciantibus.* Codd. et edd. ante Carr. quam lect. probant Voss. Heins. et Burm. — 724. *Inveniat.* Vatic. cod. ubi *invenit* legit Pius. *Invehat.* Bonon. cod. et edd. ante Eugent. — 725. *Mersa vadis.* Bonon. cod. et Eugent. ex Pio. *Unda per omnem.* Pius. — 726. *Rigat.* Male Carr. — 727. *Atque hinc.* Ald. *Anguet.* Vatic. et Bonon. codd. *Angit.* Pro var. lect. Bonon. cod. *Auget.* Carr. — 728. *Huc Asiam.* Vatic. cod. et Bonon. I. *Hinc.* Bonon. cod. *Hunc.* Vitiose Bonon. II. Ed.

Boas, quod nomen incolæ dederunt fluvio majori, Græcis *Acampsis* dicto; v. *Mannert*, VI, 2, 364. — Vid. ad calcem hujus libri not. 719. Ed.

720. *Quantos sinus Mæotica æquora*, palus Mæotis, *laxant*, aperiunt.

721. *Sic flumineo agmine*, tot fluviis dulcem aquam advehentibus, *vim frangit amari salis*, diluitur amaritudo, et minuitur salsus sapor, maribus aliis proprius.

722. *Hinc Boreæ cedens glacialibus auris*, hinc ventis gelidis patet, *et exorta facilis concrescere bruma*, ingruente hieme, facile gelu constringitur.

724. *Utque vel immotos*, glacie duratos, *Ursæ rigor*, i. e. septentrionale frigus, *invenit amnes, vel freta versa vadis*, seu maria fluctibus immensis agitata; *sic per omnem hyemem unda jacet campo*, in campum glacialem porrecta, *aut tumido riget ardua fluctu*, ad montium altitudinem fluctus erigit; *atque hac Europam curvis anfractibus angit*, alluit, premit, *hac Asiam, Scythicum specie sinuatus in arcum*. Vid. Ammian. Marcell. XXII, 8, p. 253, ed. Ernesti. — *Scythicus arcus* τῷ Σ fere similis erat. Ed.

729. *Illic umbrosæ semper stant*, incubant, *æquore nubes, et non certa dies*, rara et brevis cæli serenitas: *nec primo*, verno, *sole profundum solvitur*, mare glacie liberatur, et navigabile fit, *aut vernis quum lux æquata tenebris*, æquinoctio vernali, *sed redit tandem in sua litora extremo Tauro*, quum sol tauri signum cæleste transierit.

Sed redit extremo tandem in sua litora Tauro.
 Jam Mariandynis advertit puppis arenis,
Atque celer terras regemque exquirit Echion,
Dicta ferens: lectos fama est si nominis unquam
Hæmonii subiisse viros, det litora fessis.
Approperat Lycus auditis lætatus Achivis,
Ac simul Æsoniden, omnemque in regia turbam
Tecta trahit, modo Bebryciis præfixa tropæis;
Mitis et in mediis effatur talia Graiis:
« Haud temere est: fato divum reor ad mea vectos
Litora vos, odium quibus atque eadem ira furentis
Bebryciæ, sævaque pares de gente triumphi.
Certa fides animis, idem quibus incidit hostis.
Nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti,
Sensimus, et sævis frater mihi fusus arenis.

732. *Sed redit*, etc. Abest hic versus in Junt. Maser. Ald. Engent. — 733. *Jam Minyas durus avertit.* Bonon. cod. *Jam Minyas diris avertit.* Edd. ante Engent. qui veram lect. protulit ex Pio. — 736. *Hæmoniæ.* Vatic. Bonon. et Carr. codd. 737. *At properat.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 741. *Haud temere facto.* Bonon. cod. *H. t. est facto.* Bonon. I et II. — 742. *Atque ad ea mira f.* Vatic. cod. *Vos divum quibus atque ea mira f.* Bonon. cod. Bonon. I. *Vos odium q. atque eadem mira f.* Bonon. II. *Atque ea cura f.* Junt. Maser. Ald. Eugent. Veram lect. jam olim dederat Sabellicus. — 746. *Lusus arenis.* Vitiose Bonon. I, et aliæ ante Engent. Ed.

733. Veniunt ad oras *Mariandynorum* Argonautæ. *Echion terras regemque exquirit, dicta*, mandata, *ferens*, quod fecerat supra, 134, et postea faciet.

736. *Nominis Hæmonii viros*, Thessalos, *si unquam fama est,* audiverit rex, *subiisse, det litora fessis*, navem permittat appellere.

738. *Æsoniden omnemque turbam trahit*, ita hospitalis, ut non Jasonem solum, sed comites omnes non tam invitet, quam cogat, *in regia tecta, modo Bebryciis præfixa tropæis,* spoliis ornata recentibus gentis Bebryciæ.

741. *Haud temere est*, non forte fortuna factum, sed *fato*, voluntate divum.

744. *Certa fides animis, idem quibus incidit hostis;* amicitiam facilius ineunt, fideliusque servant, qui eumdem habent hostem.

745. *Tanto orbe*, tam remota regione.... *sensimus*, notanter de magna calamitate, damno, usurpatur; *sævis frater*, Otreus, *mihi fusus* est cæstu *arenis;* v. supra, 161.

Ultor ego, atque illuc cunctis accensus in armis
Tunc aderam, quum vos mediis contenta ferebant
Vela fretis : illum in sanie taboque recenti
Vidimus æquoreo similem per litora monstro.
Nec vero prærepta mihi suprema tyranni
Fata queror, bellove magis lætarer et armis
Procubuisse meis, quam lege quod occidit ultus
Ipse sua, meritoque madent quod sanguine cæstus».
Excipit Æsonides : « Tuus ergo in montibus ignis
Ille? tuas acies medio de gurgite vidi? »
Fatur, et ostentans prolem Jovis : « Hic tibi Pollux
En, ait, inviso solvit cui pectore pœnas ».
Ille virum circa mirantia lumina volvit.
Festa dehinc mediis ineunt convivia tectis,
Communesque vocant Superos, quorum eruta nutu
Bebrycia, et votis pariter prædaque fruuntur.

747. *Illic.* Edd. ante Heins. — 749. *Illum sanie.* Bonon. cod. Bonon. II. Maser. — 751. *Præcepta.* Vat. et Bon. codd. — 753. *Quod accidit.* Junt. Ald. Engent. — 757. *Fatus.* Junt. et sqq. usque ad Carr. — 758. *Qui pectore.* Vatic. et Bonon. Burm. et Cocki codd. Bonon. I et II. Ed.

747. *Ultor ego*, hanc fratris cædem ulturus, *illuc cunctis in armis*, omni regni mei vi bellica excita, *accensus* ira *aderam*, *quum vos mediis fretis contenta*, intenta, rapida, properantia, *vela ferebant.*

749. *In sanie taboque*, putrescentem cruentumque, *vidimus.* Vide I, 816; II, 212.

751. Nec vobis invideo, quod in conficiendo tyranno me occupaveritis, nec tam lætarer, si mea ipsius manu cecidisset, *quam* quod eodem certamine ad quod provocaverat alios, ipse occubuerit.

755. Ad hæc Jason : *Tuus ergo in montibus ignis?* in castris itaque tuis noctu incensi ignes erant, *tuas acies medio de gurgite*, ex alto mari *vidi? Hic tibi Pollux*, *inviso*, iratissimo, *cui pectore solvit pœnas.*

759. *Ille*, Lycus, *virum circa mirantia lumina volvit*, non sine magna admiratione Pollucem lustrat.

761. *Communes*, communiter, *vocant Superos*, diis gratias agunt, *quorum nutu eruta*, liberata tyranno, *Bebrycia ; et votis pariter prædaque fruuntur*, lætantur et felici eventu et spoliis deportatis.

IN LIBRUM QUARTUM
ARGONAUTICON
NOTÆ
NOVI EDITORIS.

V. 1. *Atque ea non oculis divum pater amplius æquis*
Aspicit.

Hic versus similitudine refert hunc Virgilii locum, Æn. IV, 731:

...............jamjam nec maxima Juno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.

V. 4. *Ut nova nunc, tacito sub pectore gaudia tollunt.* — Pro *sub* Vossius, lubenter *se* reposuisset, nisi veterum editionum auctoritate deterritus. Quum vero particula *sub* absit a vetere Vaticano codice, priorumque editionum additamentum sit, potest ei substitui *se*, eo tutius, quod *tollere se* non semel apud Valerium occurrit; I, 222, *tollunt se galeæ;* ibid. 629, *en quanto fremitu se sustulit Ægan;* et IV, 22:

Ecce puer summa se tollere visus ab unda.

V. 5. *Hæret inops, solisque furit Tirynthius oris.* — Lectio *mæret inops,* quam citat Maserius, ducta est e secunda Bononiensi, reperiturque etiam in ejusdem urbis codice. Heinsius hanc lectionem probat, quamvis unde orta sit nesciat: « *mæret,* inquit, rectius videtur, et Maserius in suis codicibus invenerat ».—*Solis oris.* In fine præcedentis libri, v. 736, vidimus *solis silvis;* vox *trepidam*, supra, v. 3, iterum occurrit infra, v. 10; plura sunt alia istiusmodi repetitionum exempla, quæ monent auctorem manum operi summam non imposuisse.

V. 8. *Sic arma viros sociosque ministrat.* — Pro *viros* inter quos et *socios* parum interest, Heinsius proponit *viro*, quam lectionem Wagnerus in textum recepit. Occurrit sæpe in MSS litera *s* ad finem vocabuli perperam adjecta, quum sequentis vocabuli initium est eadem litera. Vid. infra not. 641.

V. 25. *Quid, pater, in vanos absumis tempora questus.* — Potest conferri

locus ille Virgilii, ubi umbra Creusæ his verbis Æneam compellat, Æneid. II, 776:

Quid tantum insano juvat indulgere dolori?

V. 26. *Hoc nemus, hæc fatis mihi jam domus, improba quo me*
Nympha rapit, sævæ monitu Junonis: inanes
Nunc Jovis accessus, et jam mihi limina cæli
Conciliat.

Asteriscus versui 27, in editione Burmanni, præfixus, unum e multis indicat locum, quorum lectio dubia, sensusque etiamnum ambiguus. Hoc vero loco labes a Carrionis editione defluxit, cui Burmannus, qui prototypum codicem principesque editiones non cognosceret, plerumque nimis obsequutus est. Codd. veteresque editiones habent:

Hoc nemus, hæc fatis mihi jam domus: improba quo me
Nympha rapit, sævæ monitu Junonis, *in amnes.*

Sic in libro præcedenti, v. 557: *gratos avidus procumbit ad amnes.* Ergo vetus lectio, quum sensum facilem ac pronum præberet, immerito dejecta est e loco lectione *inanes*, e Carrionia codice orta, quæ rectum etiamsi sensum efficeret, inique tamen alienum locum invasit: sed a recto sensu longissime abest. Vossius Carrionis codici minus inserviens quam Burmannus Heinsiusque, revocandam esse veterem lectionem censet: « cur enim, inquit, Jovis accessus *inanes* dicantur? an Hylas eos *inanes* vocat, quod cum Hercule malit esse? frivolum hoc omnino est, et altera lectio multo verior ». Lectio quam proponit cl. *Jacobs*, Wagnero placuit, non sentienti profecto hanc tautologiæ vitio laborare: *in arces* enim *Jovis* idem valet quod *limina cæli* in sequenti versu. Tutius igitur veterem, Vossii instar, lectionem retinere.

V. 28. *Limina cæli.* — Pius Vossiusque legunt *lumina cæli*, quæ revera codicum lectio est; sed ipsorum codicum in hac re auctoritas est cassa, quod *lumina* et *limina* sæpe in promiscuo habent librarii. In hoc Virgilii versu, Eclog. V, 56:

Candidus insuetum miratur limen Olympi.

Nonnulli codd. habent *lumen Olympi;* utraque dictio idoneum utrique loco sensum exhibet; *limina* tamen in Valeriano prætulerim, propter *conciliat* et *accessus* quibus jungitur. Sic Valerius de Deis, V, 696:

Surgitur in somnos, seque ad sua *limina* flectunt;

et alias, VIII, 334:

Crebra ruina poli cælestia *limina* laxat.

Nec alienum est referre hunc Virgilii locum, Georg. II, 504, *penetrant aulas et limina regum.*

V. 29. *Jungitque preces et fontis honores.* — *Preces* abest a Vaticano

codice; Carrionis codex habet *suos:* nos quidem veram manum adhuc desideramus.

V. 33.............. *Verum cum gente domoque*
Ista luet, sævæque aderunt tua numina matri.

« Prædicit jam Hylas fata Meleagro, in cujus nativitate, uti fabula narrat, Parcæ matri Althææ titionem, ex quo vita recens nati pueri penderet, sancte custodiendum commendaverant. Juvenis deinde factus, apri Calydonii exuvias Atalantæ virgini adjudicaverat; quod ægre ferentes Meleagri avunculi exuvias istas virgini vi eripuerant. Ira commotus juvenis eosdem interficit: mater antem, necem ultura fratrum, titionem illum in ignem conjicit; quo factum, ut Meleager ipse viscerum ardore consumeretur atque tabesceret. Fusius hæc omnia enarrantem, si lubet, vide Ovidium, Metam. VIII, 260-524. » Sic Wagnerus.

V. 35. *Cœlo Mox aderis; teque astra ferent.* — Hæc verba, *teque astra ferent*, ad *Herculeum astrum* referenda, nisi cui placeat tautologia.

V. 44. *Fluctus ab undisoni*, etc. — Confer Statium, Theb. IX, 360:

Fluctivagam sic sæpe domum, madidosque penates
Alcyone deserta gemit, quum pignora sævus
Auster et algentes rapuit Thetis invida nidos.

V. 46. *It super ægra parens, queriturque tumentibus undis.* — Sic struit Wagnerus: *It*, volitat, *super undis tumentibus*, *queriturque*, etc. Mihi videtur post *super* subaudiendum esse *larem*, quæ vox legitur in præcedenti versu, jungendumque *queritur* cum *tumentibus undis*, in dativo casu, ut in hoc Ovidii versu, Fast. V, 233:

Ibat, ut Oceano quereretur facta mariti.

V. 60. *Quum mœsto Latona simul Dianaque vultu*
Ante Jovem stetit.

Tragœdiam Æschyli de liberato Prometheo, hactenus irrepertam, et alias ejusdem in latinum Attius verterat. Illa deorum ad Jovem deprecatio pro Prometheo, moxque, lib. V, ejus liberatio, nonnulla profecto habet ex illa tragœdia adscita. Vid. *Stanley*, Comment. in Æschylum.

V. 91. *Titania frenis Autra sonant.* — Sic Ovidius, Metam. II, 121: *adduntque sonantia frena.*

V. 92......... *Sol auricomus, cingentibus horis,*
Multifidum jubar, et bisseno sidere textam
Loricam induitur.

Heinsius ait priscum Vaticani codicem habere *urgentibus:* falso, nam *ingentibus* hic aperte legitur. Lectio *cingentibus*, quam probat Burmannus, Barthii conjectura est. *Urgentibus* mihi magis placeat. Hæc pictura Solis ortus splendida est et magnifica.

V. 111. *Torquet agens; sin forma viris præstantior adsit.* — Operæ pretium est notare pravam codicum lectionem, *torquet agens, informa*, ut habeat lector exemplum duplicis mendi quod sæpius admittunt librarii : duo scilicet vocabula in unum concreta, primaque alterius dictionis litera omissa, quum præcedentis extrema eadem est litera. Nec raro omittitur prioris extrema : legitur infra, v. 124, in vetere Vaticani codice, *audet* pro *aut det;* ubi non eædem quidem literæ, sed affines inter se communi dentium sono.

V. 113. *Hæc miseri sors est æquissima leti.* — Burmannus malit *miseris :* « litera *s*, inquit, absorpta fuit a prima sequentis vocis *sors* ». Non male, ut reor. Vid. supra, not. 111.

V. 119. *Melie.* De hujus nominis etymologia hæc refert Wagnerus. « *Meliæ* nympharum genus fuerunt, *Epimelides* etiam dictæ, vel marinæ, a Melia, Oceani filia, quod vult Callimachus; vel silvestres et arboreæ a μῆλον, malus; vel pecuariæ a μῆλα, oves, capræ, quod jubet Phrynichus. MS. penes Ruhnkenium: αἱ περὶ τὰς νομὰς τῶν τετραπόδων Ἐπιμηλίδες, ὅτι μῆλα ἅπαντα τὰ τετράποδα καλοῦσιν οἱ ἀρχαῖοι · Apollon. II, 4, Βιθυνὶς Μελίη; ubi tamen Brunckius in appendice, p. 219, *Bithynis* proprium, *Melie* appellativum, habendum existimat. »

V. 123. *Et nunc chaos implet Orion.* — Wagneri notam, p. 261, hæc subsequuntur : « *Orion* apud inferos versatur, ibique in amplissimo prato, ferrea clava armatus, feras persequitur, Homero teste, Odyss. XI, 571-574. Orionem istum a Neptuno originem duxisse, Mythologi tradunt omnes; ita tamen dissentiunt, ut sine matre natum esse narrent (v. Palæphatum, cap. 5), vel non eamdem omnes tribuant. Fuit omnino juvenis formosissimus, venationis maxime amans, a Diana, cui vim inferre voluisse dicunt, confectus, inter astra tandem a Jove relatus; v. Heyn. ad Apollodor. p. 47-55 ».

V. 175. *Dolor et duras insurgere mentes.* — Hanc lectionem Carrionis codicis intellectu fere imperviam sequuti sunt Heinsius ac Burmannus, quum veterum editionum lectio, *dolet et dura sic pergere mente*, sensum præberet apertum. Τὸ *dura sic pergere mente* respondet præcedenti *non ulla formidine moti*. Et *sic pergere* pluries apud Valerium occurrit : vidimus supra, 121, *sic te olim pergere sensi;* videbimus infra, V, 631, *sic cætera pergat Si valet*. Mascrius proponit *dolet at* pro *dolet et*.

V. 187. *Hospitis hic primum monitus rediere Timantis* — Aldina *timentis* habet, non mendose, puto, ut possit videri, sed consulto : quum enim accuratissime confecta sit illa editio, doctissimum editorem conjicio ob hoc *Timantis* lectionem rejecisse, quod prima produci debeat syllaba, quodque præposterum sit nomen nunc primum proferre personæ, de qua postea nulla mentio.

V. 195. *Qualiter ignotis spumantem funditus amnem*
Taurus aquis qui primus init, spernitque tumentem,
Pandit iter.

Versus 196 abest a priscis codicibus et ante Carrionem editionibus, haud dubie additus in Carrionis codice, sensus causa: sed nimium sibi indulsit emendator, qui et lacunam hic esse conjecit, et versum ex toto suum interposuit. Defunctum simplicius sit, si quid in versu 195 immutetur. Illum sic edidit Aldina:

Qualiter ingressus spumantem taurus in amnem.

Placet *ingressus*, ab *ignotis* non multum diversus, Vaticani præsertim codicis in scriptura. Tò *funditus*, magis quidem, immo funditus immutatum: sed illius vocis scriptura in eodem codice posterior ac subditítia, non a vera manu. Quidam ediderunt *finibus*, non inconcinne, et quidem mihi videre videor in prisco Vaticani codice quædam vocis *finibus* vestigia. Posset deinde legi: *Taurus init: mox omne pecus*, etc. ad instar hujus loci, in quo Statius hoc Valerii simile imitatus est, Theb. VII, 436:

Ac velut ignotum si quando armenta per amnem
Pastor agit, stat triste pecus, procul altera tellus
Omnibus, et late medius timor: ast ubi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles saltus, visæque accedere ripæ.

Pandit iter, quod nunc in Valerianis codicibus legitur, glossographi profecto scholium est dictionem *init* interpretantis, quod postea in textum, ut sæpe fit, transgressum est. Omnis igitur locus ita fere possit restitui:

Qualiter ingressus spumantem finibus amnem
Taurus init; mox omne pecus, formidine pulsa,
Pone subit, jamque et mediis præcedit ab undis.

V. 217. *Fuga sub terras, fuga nulla per auras!*—Hoc scilicet innuebant Scythæ, avem, murem, ranamque cum sagittis Dario per præconem mittentes.

V. 252. *Dixit, et urgentis post sera piacula fati*
Nescius.

Sera piacula, i. e. longa scelerum series ad extremum vitæ continuata: confer hunc Virgilii locum, Æn. VI, 567:

......................subigitque fateri
Quæ quis apud Superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

V. 275. *Et summos manibus deducere cæstus.* — Sic explicat Wagnerus: « brachia manibus propius admovet ». *Manibus deducere* non potest significare *manibus admovere*. Burmannus hunc locum se non intelligere confessus, conjicit hæc verba posse contra significare *manus cæstibus exuere*,

« quasi ille respirans, cæstus aliquantum a manibus deduxerit ». Præterea cæstus manibus hærebant; vide supra, 253, *armis innectere palmas Dat famulis. Deducere* significat *ex alto deorsum ducere: summos* igitur *deducere cæstus*, idem est, ut nobis videtur, quod *sublatos cæstus* in adversarium *demittere:* similem gestum auctor, infra, v. 300, six exprimit: *sed ambæ In pectus cecidere manus.* Eodem sensu Gronov. in Valer. III, 140 (ubi legitur: *duplicataque ora securi Disjecit cervice tenus*), pro *duplicata* proponit *deducta.*

V. 280.... *ceu Lapithas aut Pæonas æquore in ipso*
Dum refovet, fixaque silet Gradivus in hasta.

Burmannus ait *Pæonas* hoc loco *Centauros* esse: quam opinionem sequitur Wagnerus, mea sententia, falsam. Nunquam *Centauri* vocati sunt *Pæones*, quod alius cujusdam gentis nomen est. Si Lapitharum adversarios hoc loco Valerius cogitavisset, *Lapithas* et *Pæonas* scripsisset, non *Lapithas* aut *Pæonas:* conjunctio disjunctiva *aut* argumento est Valerium hic referre duplex præliorum exemplum, quæ bellantium furor vix paullulum sisti patitur. *Pæones*, nomen cujusdam Thraciæ populi, designat hic, poetico more, omnes hujus regionis bellis inquietæ populos, mutuis cædibus maxime deditos.

V. 286...................... *pervigil ut quum*
Artificum notat ipse manus et fulmina Cyclops
Prosubigit.

Ille locus in prototypo codice corruptus, nondum apte emendatus est. Carrionis codicis lectionem Heinsii Burmannique, non tamen probantium, editiones retinuere, sensu difficili et ambiguo: nec placet explicatio Dorvilii, nimis, ut mihi videtur, contorta. Heinsius hanc emendationem proponit: *Artificum movet Ætna manus*, quæ hoc mihi magis arridet, quod τὸ *et*, quod in Vaticano codice reperitur, vocis *Ætna* fragmentum possit videri.

V. 297.......... *avidusque viri (respectat ovantes*
Quippe procul Minyas) cæstu velatus utroque
Irruit.

Τὸ *tune*, quod legitur ante *cæstu* in Vatic. et Bonon. codd. quodque mensuræ causa expunctum est, facit ut posse legi conjiciam, *tune cæstu elatus utroque Irruit;* et mecum facit Heinsius qui jubeat legi, *cæstuque elatus utroque*, vel, *cæstu elatus*, non obstante hiatu, quorum plenus est Virgilius.

V. 300. *Nec spes effeta.* — Sequentem Wagneri notam, ne prolixitate textum sua excluderet pagina, neve nimis in arctum coerceret, huc rejecimus. Valeat hoc monitum ad cæteras deinceps, utcumque similes occurrent, mutationes.

Sic igitur Wagnerus: « Totius loci, si metaphoram interim abjicias, sententia non alia esse potest, nisi hæc: Spes Pollucis non fuit quidem

omnis inanis, sed tamen non faciem, quod voluerat, Amyci ferire contigit, sed tantom pectus. Quem sensum quomodo sine fidiculis ex metaphorico *effeta* elicere possis, equidem non video. Effeta est, vel quæ modo peperit, vel quæ parere ob ætatem desiit; neutrom huc qnadrat. Hæc scripseram, quum inciderem in Vestritii Spurinoæ Od. I, 13, ex edit. Werosdorf. vol. III, Poet. minor. p. 354, ubi *spes gravida*. Quæ si non alia potest esse, nisi fecunda multorum votorum, quidni *effeta* contra qneat esse, quæ voti compos non sit, inanis, irrita? Sed nec hoc traoslationis emollit duriticm. Plures libri habent *effeeta*, qnod meliorem dat sensnm: non perfecta fnit, eventum non habuit. Facillimum ad iotelligendum esset, qnod Witbosius conjecit, *expleta*, i. e. tota expleta; sed libri non addicunt, nec facile dici possit, qui factum, nt librarii manns a tam luculenta lectione ad obscurissimam aberraret.

V. 303. *Sentit enim Pollux rationis egentem.* — Vossius emendationem, *sentit eum Pollux*, rejicit, τὸ *enim* nonnunquam expletivum esse ratus. Pigendum, quod omiserit exempla.

V. 309. . . . . *vitalia donec*
Vincula, qua primo cervix committitur artu,
Solvit dextra gravis.

Putat Wagnerus *claviculam* hic designari: hæc verba, *qua primo eervix committitur artu*, mihi videntur potius iodicare *primam eervicalem vertebram.*

V. 313. *Nomen mirantibus umbris Hoc referes.* — Apud Virgilium Camilla hæc ad Ornytum occumbentem fatur, Æn. XI, 688:

. . . . *nomen* tamen baud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.

V. 317. *Hæc sors, hæc Amyeum tandem manus arguit ausi.* — Gronovios Heinsinsque emendant, *arcuit ausis*. Omnes, præter Aldinam, editiones habent *ausis*. — Non absimilis hic Virgilii locus, Æn. XI, 687:

Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret.

V. 320. *Tenditur ille ingens hominum pavor* — *Ille pavor*, pro *illud pavendum*. Sic apnd eumdem Nostrum, II, 16, *metus deum Pallene*; I, 23, *longus populis metus*; IV, 181, *varii metus.*

V. 326. *Armaque ferre juvat, fessasque attollere palmas.* — *Arma ferre* Wagnerus explicat, *cæstus exuere*, non recte; nam Pollox paullo post, v. 332, *averso siccat vulnera cæstu*. Argonantæ, nt fatigatum Pollocem levarent, sna brachia ipsios cæstibns manibusque supponebant; *ferre* hic idem valet quod *attollere*.

V. 348. *Tum pius Œagri claro de sanguine vates,*
Admonita genitrice, refert casusque locorum,
Inachidosque vias.

Longum et loco non suo Wagnero videtur hoc episodion. Helles numen in aditu Hellesponti Argonautis obvium, ingeniosum certe et naturæ congruens est commentum: Orpheus autem eventum narrans, a quo fretum, quod jam intraturi sunt Argonautæ, Bosphori nomen accepit, accommodatus naturæ mihi non minus videtur. Immo uterque utrique respondet locus, ut prior alterum poscere videatur. Quidquid traditur ad locos pertinens, quos adeunt Argonautæ, adeo non alienum est eorum itineris descriptioni, ut hoc fabularum genus præcipuam contra carmini jucunditatem aspergat.

V. 353. *Virginis Iasiæ.* — Sequitur hic Valerius eos qui patrem *Iasum* virgini dant, nec videbitur ipse sibi parum constare, quamvis Io sit supra, v. 350, *Inachis juvenca*, et infra, v. 357, *Inachia juvenca*, si habeas hæc nomina, *Inachis*, *Inachia*, ut a regione, non a patre, ducta, quæ idem valeant quod *Argiva*. Sic Ovidio *ripæ* dicuntur *Inachidæ*, Met. I, 639:

> Venit et ad ripas, ubi ludere sæpe solebat,
> *Inachidas ripas.*

Et apud Virgilium legitur, Æn. XI, 286: *ultro* Inachias *venisset ad* urbes *Dardanus.*

V. 356. *Antraque deprensæ tremuerunt conscia culpæ.* — Argolis eo convenientius tremere fingitur, quod ea Junoni sacra erat regio.

V. 391. *Jamque refecta Jovi*, i. e. pristinæ formæ restituta *a Jove*, non, ut Wagnerus explicat, *in lætitiam Jovis.* Io *sponte dei* (v. 358) in juvencam mutata, nunc ejusdem *sponte* seu voluntate, puella reficitur, mox a Junone iterum mutanda.

V. 418. *Aspide cincta comas et ovanti persona sistro.* — Vide apud Ovidium Isidis comitatum, Metam. IX, 692:

> Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris,
> Plenaque somniferi serpens peregrina veneni.

V. 420. *Juvet nostros nunc ipsa labores.* — Isis navigationi præerat, ut notat Burmannus: ob hoc eam precatur Orpheus, ut Bosphorum, cui nomen dedit, ineuntibus Argonautis faveat. Quæ res hoc episodion non alieno loco positum esse confirmat; vid. supra not. 348.

V. 426. *Dira deum summoque lues urgebat in ævo.* — Prisci codices habent *summoque suis*, corrupte, sed emendatio non nisi ambiguam lucem attulit; τῷ *que* nullum opus: τὸ *urgebat* aliquid poscere, quod regat, videtur, quanquam et *eum* subaudi posse non nego: *lues* hic Harpyias designat anteversione; nunc enim auctor (sententiarum ordinem nota) Phineum ait diis pœnas dare, quibus (pœnis) mox enumeratis, exsilium primo ac cæcitatem Phinei, mox Harpyiarum prædationes refert. Quibus variis

difficultatibus adductus, vulgata emendatione rejecta, sic legendum censeo:

Dura deum summo *quem vis* urgebat in ævo.

Dura, codicum omniumque veterum editionum lectionem, restituo: *vis* et *dura* satis apte junguntur, et utraque vox simili sensu apud Nostrum alias occurrit: lib. I, 833, *quarum altera* dura *Semper lege patens*; II, 352, *quæ fata trahant; quæ regis agat* vis; VI, 683, *Et quoties* vis *dira ducum, densique repente Æsoniden pressere viri.*

V. 429. *Ipsoque dapes prædantur ab ore.* — Hoc adjunctum, omissum Virgilio, prior excogitavit Apollonius, II, 222: στόματός μοι ἀφαρπάζουσιν ἐδωδήν.

V. 507. *Sic ubi prorupti tonuit quum forte Vesevi*
Hesperiæ letalis apex; vix dum ignea montem
Torsit hiems: jamque Eoas cinis induit urbes.

Sic Statius de monte Vesuvio, Silv. IV, Carm. IV, 84: *necdum letale minari Cessat apex. Ignea hiems* notanda est locutio, quam imitatus est idem Statius, Silv. III, Carm. V, 73:

Non adeo Vesuvinus apex, et *flammea* diri
Montis *hiems*, trepidas exhausit civibus urbes.

Τὸ *Eoas cinis induit* urbes non hyperbolicum, si verum est, quod refert Procopius, Hist. Goth. II, Vesuvii cineres et Constantinopolitanæ et Tripolitanæ urbi aliquando incidisse. Ctesias, apud Photium, p. 145, Ætnæos cineres in Indiam nonnunquam delatos esse asseverat. Si quis Silium Italicum audiat, Seres ipsi a Vesuvii cineribus non tuti, XVII, 592:

Sic ubi, vi cæca tandem devictus, ad astra
Evomuit pastos per secula Vesbius ignes,
Et pelago et terris fusa est Vulcania pestis:
Videre Eoi (monstrum admirabile!) Seres
Lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.

V. 517. *Extulit assurgens noctem pater, imaque summis*
Miscuit, et mediis vox exaudita tenebris.

Apud Apollonium, Iris est quæ mittitur Harpyiarum auxilio: grandius videtur Valerii commentum.

V. 524. *Mox tamen et vobis similis fuga, quum premet arcus*
Letifer.

Typhonem Valerius inducit vaticinantem, Virgilii instar, apud quem Celæno vaticinio in speciem diro Trojanos territat.

V. 525.... *Harpyiæ nunquam nova pabula quærent,*
Donec erunt divum meritæ mortalibus iræ.

« Posteriorem hunc versum spurium putat *Burmannus*, qui neque Lati-

nus sit, et a monacho quodam ex loco communi de vindicta divina adsutus videatur. Ego vero utrumque versum Valerii esse, et cohærere optime omnia contenderim, si una vocula mutata legas: *nunquam non* pro *numquam nova*. Tum recte cuncta procedunt: Harpyiæ *semper* habebunt pabula parata, *donec* (quandiu; conf. III, 414) iras divinas in se excitabunt mortales. Nec video quid offenderit fastidiosam Burmanni aurem; fortasse *meritæ iræ* passive sumptæ: sed si *pœnæ meritæ* recte dicuntur, quidni *iræ*, quæ nihil alind h. l. sunt, quam *pœnæ*, eodem gaudeant jure? conf. II, 99; VII, 454. Temperare mihi non potui, quin in textum reciperem tam facilem tamque manifestam emendationem». Sic Wagnerus. Vide, p. 289, novi editoris notam 526.

V. 528. *Et sociæ victor petit agmina puppis.* — Pro *puppis* Heinsius legit *pubis*, quæ vox aptior videtur. Quarum prior, ut quæ notior esset, alterius locum usurpavit in aliis quibusdam Valerii locis; vid. VI, 5. *Pubem*, designandis Argonautis Latini poetæ frequenter adhibent: Ovid. Metam. VII, 56 (Medea loquitur):

> Magna sequar, titulum servatæ pubis Achivæ.

Miror hanc emendationem neque Burmanno, neque posteriori cuiquam editori fuisse receptam.

V. 536. *Ac longæ ducentem oblivia pœnæ.* — Imitatio est Horatii, Satir. II, 6, 60:

> O rus, quando ego te aspiciam! quandoque licebit
> Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis,
> Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ!

Virgil. Æn. VI, 715:

> Securos latices et longa oblivia potant.

«Eleganter dictum, ait Burmannus de Valerii versu 536, pro potantem avide vina, quæ oblivionem miseriæ inducebant». Id non recte nobis videtur adnotatum. *Ducere pocula*, *ducere merum*, *ducere latices*, in exemplis quæ Burmannus affert, *potare* quidem significant, sed *oblivia ducere* nil aliud est quam *oblivisci*, obliviscendi voluptate frui; nec, quamvis, «multus in eo sit Horatius, ut doceat vino curas pelli», vino locus est in exemplo laudato, ubi lectioni et otio totum se tradere, auctoris votum est. Liceat obiter notare, *inertibus horis*, idem esse quod vocant Itali, *il dolce far niente*. Voto in hoc Epicureo totus videtur expressus noster Joannes *La Fontaine*.

V. 557. *Possum quas reddere grates.* — Jacob. Henr. *Hœufft*, Peric. critic. p. 107, proponit *qua* pro *quas*, jubetque ut adeatur Heinsii nota in hunc Ovidii locum, Heroid. XIII, 41:

> *Qua possum*, qualisve tuos imitata labores
> Dicar.

Ubi plura exempla illius dicendi formulæ (*qua possum*).

V. 571. *Et pater ipse maris pavidas detorquet habenas.* — *Pater maris* et Ovidio dicitur Neptunus, Metam. XI, 202:

> Cumque tridentigero tumidi *genitore profundi*
> Mortalem induitur formam.

V. 575. *Jamque alio clamore ruunt.* — *Clamorem* sæpe montibus, scopulis et silvis tribuunt poetæ: Virgil. Æn. III, 566:

> Ter scopuli clamorem inter cava saxa dederunt.

V. 587. *Verum inter medias dabitur sic currere cautes*
Certe digna manus, vacuumque exibis in æquor.

Codices habent *si currere*, pro quo legi *sic currere*, si poscat sensus, nil vetat (vid. supra not. 111): sed melius est *si*.

V. 594. *Illic pestiferas subter juga concava torquet*
Alter aquas Acheron.

Maserius, Burmannus Wagnerusque putant *alterum* hic Acheronta dici, Itali Acherontis respectu. Quum vero extra veri speciem sit, Italum hunc fluvium Argonautis notum fuisse, libentius crediderim Epiroticum Acheronta respici.

V. 596. *Et sæva sequitur caligine campus.* — Quin legitur *campos*, quos dat Vaticanus codex, probatque Heinsius? Nam si *campus* legis cum Burmanno, sensus est, tenebricosum campum situm esse post Acherusium fontem, quod minus planum videtur quam quod excritur ex altera lectione: Acheron nempe *sequitur*, volvitur per, *campos sæva caligine. Campus sæva caligine* locutio est, qualis hæc, apud Ovidium, Metam. III, 53, *splendenti lancea ferro.*

V. 600. *Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon.* — Interpretationem Wagneri sequuntur hæc. « *Ancon* proprie est Latinorum cubitus, deinde geographi transferunt ad loca, quæ cubiti instar in mare procurrunt. Ita et h. l. est portus ad ostium Iris fluvii, ubi litus tenui terræ tractu in mare procurrens incurvatur. Vide *Mannert's* Geogr. *Th.* VI, *Heft*, 2, *S.* 446. Apollon. II, 369: κεῖθιν δὲ προτέρωσε μέγας, καὶ ὑπείροχος ἀγκὼν Ἐξανέχει γαίης. Ammianus Marcell. XXII, 8, habet etiam *portum Aconem* (culpa librariorum pro *Anconem*). Haud recte igitur Valerius pro fluvio habuit, nec satis diligenter inspexit Apollonium, cujus male intellecti exemplum habuimus supra in *Eurymenis*, II, 14. Infra, V, 121, ubi exspectari poterat, totus *Ancon* omissus est. »

V. 604. *Sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo.* — Sic Virgil. Æn. II, 591:

> Alma parens, confessa deam, *qualis*que videri
> Cælicolis et *quanta* solet.

Idem, Æn. III, 641:

> Nam *qualis quantusque* cavo Polyphemus in antro.

V. 608.......... *ludo volitans quum turma superbo*
Pulvereis exsultat equis; ululataque tellus
Intremit.

Sic Virgilius, de Amazonibus, Æn. XI, 662:

> ....magnoque *ululante* tumultu
> Feminea *exsultant* lunatis agmina peltis.

V. 641. *Quum procul audiri sonitus, insanaque saxa.* — Lectio Maserii, *auditi sonitus*, eadem est quæ codicis Vaticani, in quo *auditis sonitus* legitur, litera *s* perperam reduplicata, ut sæpe fit, et ex initio vocis, ad finem præcedentis transgressa. — Quod Cyaneis rupibus epitheton Valerins, Horatius apponit Bosphoro, Od. III, 4, 29:

> Utcumque mecum vos eritis, libens
> *Insanientem* navita Bosphorum
> Tentabo.

Sic Virgil. Ecl. IX, 43:

> Huc ades; insani feriant sine litora fluctus.

V. 643. *Dumque ocius instant Ferre fugam.* — Sic edidi, sublato commate quod in editione Burmanni *instant* a *ferre fugam* dividit, quæ ego contra jungenda censeo. Apud Wagnerum, *ferre fugam* et *vident* junctis, bis idem auctor dicit: *vident maria ferre fugam et diffugere.* Quamvis ea sit, quam supra memoravi, Burmanni interpunctio, in indice tamen ad calcem ejus editionis posito legitur, *instant ferre fugam*, ex quo possit inferri eum non aliter hunc locum cepisse, quam ipse intelligo.

V. 661. *Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror*
Effugit.

Multifidus horror, pro *fulmine*, ac infra, *lux elisa*, pro *fulgure*, sunt locutiones poeticæ admodum insignes. Fulmen alias designatur hac locutione, *trifidis ardoribus ignes*, VI, 53:

> ....cælataque gestat
> Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes.

V. 670. *Prima coruscanti signum dedit ægide virgo,*
Fulmineam jaculata facem.

Virgiliana quoque Pallas fulmen mittere fingitur, Æn. I, 46:

> Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.

V. 677. *Cœperat hinc cedens abductis montibus unda*
Ferre ratem.

Hinc cedens Heinsii conjectura est: lectio *intendens*, quam Bononiensis

codex veteresque habent editiones, præterquam quod idoneum efficit sensum, a Vaticana lectione, *incendens*, minus abludit.

V. 682.... *Hic Juno præcepsque ex æthere Pallas*
Insiliunt pariter scopulis.

Apud Apollonium, Pallas alteri scopulo pedibus nixa, coercet alterum sinistra, dextra navem impellens: hoc simplicius et felicius excogitatum mihi videtur, quam Valerii commentum; positum deæ facile ob oculos sibi quisque proponit: apud Valerium vero, utraque dea singulis in scopulis equitante, non perspicuum est qua ratione suum quæque possit coercere.

V. 691. *Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis.* — Burmannus mallet *extremos corymbos*. Inutilis mihi videtur illa mutatio: *increpare* non capiendum hic de ictu et pulsu, sed de sonitu, sicut in hoc Virgilii versu, Æn. XII, 754: *similisque tenenti* Increpuit *malis*.

V. 692. *Parsque (nefas) deprensa jugis: nam cætera cælo*
Debita.

Imprudenter profecto Wagnerus *jugis* explicans, scripsit *transtris:* his enim *jugis Cyaneæ rupes* non *transtra* significantur. — Navis Argo per Cyaneas rupes trajectum sic describit Lucanus, Pharsal. II, 715:

> Ut Pagasæa ratis peteret quum Phasidos undas,
> Cyaneas tellus emisit in æquora cautes,
> Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
> Vanaque percussit pontum Symplegas Inanem,
> Et statura redit.

Claudianus, initio poematis de Bello Getico, de eodem trajectu hæc habet:

> Intacti quum claustra freti coeuntibus æquor
> Armatum scopulis audax irrumperet Argo,
> AEetan Colchosque petens propiore periclo,
> Omnibus attonitis, solus post numina Tiphys
> Incolumem tenui damno servasse carinam
> Fertur, et ancipitem montis vitasse ruinam.

V. 699.................. *tunc arida anheli*
Pectora: discussa quales formidine Averni
Alcides Theseusque comes pallentia jungunt
Oscula.

Hoc loco punctum post *pectora* tollo, *jungunt* subaudio, et Argonautas sese invicem amplexari intelligo, ut constet, quod sequitur, simile. *Jungere pectora* passim apud Valerium occurrit; lib. III, 309:

> Fas tamen est conferre genas, fas *jungere* tecum
> *Pectora.*

V. 702. *Vix primis amplexi luminis oris.*—Heinsio duce, subintelligo *sese* post *amplexi*. Durior hic sensus videtur Wagn. cujus notam hæc subsequuntur: « Recte monet cel. Beck. l. l. p. 267: si esset *amplexi sese*, hoc jam latet in τῷ *jungere oscula*; præterea comparationis ratio requirit, ut commemoretur temporis momentum, quo periculum evaserint. Suadente igitur præstantissimo hoc viro, et præeuntibus codicibus quibusdam (conf. et I, 676, ubi *limina portæ patriæ amplecti*), *primas oras* in textum recipere nullus dubitavi. Cæterum de Theseo magna narrationis varietas. Nonnulli, Statius, Theb. V, 432, Hyginus, Fab. XIV, et Apollodorus, I, 9, 16, inter ipsos Argonautas referunt. Apollonius, I, 101; et alii tum in Orco cum Pirithoo desedisse dicunt, cui et Noster, II, 195, assentiri videtur: hoc loco nostro ab Hercule liberatus inducitur. Sed utrobique non historicum agere voluit Valerius, sed ex concessa poetis licentia, nulla temporis habita ratione, ad ornandam comparatione orationem mythologia usus est ».

V. 714. *Non alibi effusis cesserunt longius undis*
Littora, nec tantas quamvis Thyrrhenus et Ægan
Volvat aquas, geminis et desint Syrtibus undæ.

« Totius loci difficultas inest voci *quamvis*, quam difficultatem tollere eo conati sunt nonnulli, ut aliam vocem substituerent. Sic Clerquius *van Jever*, Obss. sel. Lugd. Bat. 1767, p. 53, conjecit *gurges*, quod tamen, ut a scriptura codicum nimis recedens, recte quidem repudiavit popularis ejus Adr. *van Dorp*, Obss. Traj. ad Rhenum, 1769, p. 81. Dubito tamen, an admittendus sit, quem reponere mavult, *amnis* (Tyrrhenus, nempe Tibris); nam non de fluminibus, sed maribus sermo est. Harlesius, in nota huic loco subjecta, ita expedire voluit, ut *nec* resolveret in *et non*, quæ posterior vocula cum *tantas* conjungenda sit, post *tantas* porro subintelligeret *quantas*, sensumque hunc eliceret: *nullum mare est tam periculosum* (de periculo tamen hic nondum cogitandum esse putaverim, sed de sola amplitudine, et nimis premere τὸ *volvere* vir celeb. videtur), *quam Pontus Euxinus, etiam quamvis non tantas volvat aquas, sive maris fluctus, quantas mare Tyrrhenum et Ægæum, et quamvis nullæ ibi sint Syrtes*. Hactenus Harlesius, cujus censuram Beckius, l. l. p. 267, dedit hanc: Unicus esse potest, quem elicuit Harl., sensus, si concessive intelligas, ut jungatur *quamvis volvat;* sed quomodo possit subintelligi *quantas*, non video. Alterum quidem *tantas* in comparationibus omitti posse notum est. Videtur legendum esse *volvit*, hoc sensu: Nec *tantas aquas volvit* aliud mare, *quamvis Tyrrhenum*, nec ipsum Tyrrhenum aut Ægæum mare; et *Syrtibus*, Mediterraneo mari, *desunt undæ*, ad Pontum Euxinum comparatis, h. e. minus habent aquarum, minores fluctus tollunt.— Nuper *Slothouwer* in Act. literar. Rheno-Traject. vol. III, p. 175, pro *quamvis* mavult *quantus: nec Thyrrenus quantus*, i. e. totus quantus, et *Ægan volvat tantas aquas*. — Tandem nuperrime cel. *Jacobs* in

Animadv. ad Anthol. vol. II, P. 2, p. 507, et in Miscell. philol. p. 78, pro *tantas* reponere suadet, *junctas*, i. e. si, Italia et Græcia demersis, mare Tyrrhenum et Ægæum jungatur. Hinc apparet, quid in sequenti hemistichio desideretur. Fac poetam scripsisse: *et desint Syrtibus* actæ, et sensum habebis perspicuum. Tyrrheno mari et Ægæo, quæ maria juncta a Ponto Euxino superari ait poeta, etiam Syrtes addit, majorem et minorem, quas satis longo spatio diremptas fuisse constat. Hoc itaque voluit poeta: si litora, quæ Syrtes dirimunt, tollantur, et utraque duobus illis maribus adjiciatur. Ego vero, in hac cœna dubia, ἐπέχω ». Sic Wagnerus.

Quamvis hoc loco, tanquam in vado, tot et tales hactenus hæserint viri, non possum quin seosum exponam mihi quidem satis lucidum; sic igitur intelligo: nusquam alibi effusæ undæ sua litora latius protulere (h. e. nullum est aliud mare tam latum), quamvis tantas aquas mare Tyrrhenum, tantas Ægæum volvat, nec possint Syrtes (adeo sunt latæ) aquis ab omni parte superfundi. Subest, ni fallor, ellipsis; absoluta sententia hæc est: nullum aliud mare tam latum est, nec Tyrrhenum, nec Ægæum, nec geminæ Syrtes, quamvis, etc. Itidem in textu post *nec*, v. 715, subaudi *Tyrrheni maris, nec Ægei, nec Syrtium litora longius cesserunt*, quamvis, etc. quæ maria auctor singula, non conjuncta, cum Euxino Ponto confert: τὸ *volvat tantas aquas* ad Tyrrhenum et Ægæum mare spectat: τὸ *desint Syrtibus undæ*, ad Syrtium mare, quarum locutionum ea vis est, ut cujusque maris, ad quod quæque spectat, latitudinem declarent. — *Tantas aquas* nonnulli mutare tentaverunt. Occurrit apud Ovidium similis locutio, Amor. III, 6, 39:

> Ille fluens dives septena per ostia Nilus,
> Qui patriam *tantæ* tam bene celat *aquæ*.

V. 718. *Non septemgemini memorem quas exitus Histri,*
Quas Tanais, flavusque Lyces, Hypanisque, Melasque
Addat opes.

Hic error Wagneri manifestus, qui jungit *gemini* cum *Histri*, *septem* cum *exitus*, non advertens amphibrachum pro dactylo quintum pedem futurum esse, si plures foerint *exitus*. *Septemgemini* unum vocabulum est, ut in hoc Virgilii versu, Æn. VI, 800: *Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.* — *Lyces*, vel potius *Lycus*, Ponticæ provinciæ fluvius est, qui Neocæsaream præterfluit, ac in Iridem sub Amaseam exoneratur. — *Melasque*. Codices ac veteres editiones habent *Novasque*, quam lectionem deturbavit Carrionis codex, immerito, siquidem alias apud Valerium occurrit *Novas* seu *Noas*, VI, 101: *hiberni qui terga Noæ*.

V. 761. *Communesque vocant superos, quorum eruta nutu*
Bebrycia.

Eruta Wagnerus explicat *tyranno liberata*. *Eruta* mihi videtur potius significare *fracta*, *prostrata*. Sic Virgil. Æn. XI, 279:

> Nec mihi cum Teucris ullum post *eruta* bellum
> Pergama.

Id. VI, 838:

> *Eruet* ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas.

Bebrycum vis ac potentia simul cum Amyco rege corruerat; regio insuper a Lyco vastata. Vide supra, v. 589, ubi Lycus *remeat victor ab oris Bebryciis*, et, v. 739, *Bebrycia tropæa* Lyci victoriam testantia. Apollonius, II, 135 et 810, Bebrycas narrat, exstincto Amyco, statim ab Argonautis cæsos, Bebryciamque a Lyco vastatam fuisse.

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBER QUINTUS

LIBRI QUINTI
ARGUMENTUM
ÆGIDIO MASERIO
AUCTORE.

Idmona sæva lues tollit, Tiphynque carinæ
Ductorem Hæmoniæ: doctum cui garrula puppis
Sufficit Erginum: cœpti Fortuna laboris
Tres addit socios: furtum, linguamque Promethei
Expiat Alcides: Colchis appellitur oris
Argo: Soligenam nocturna insomnia terrent:
Tergora tum clarus suadet reddi aurea Perses;
Effugit. Æsonidæ offertur Medea: petuntur
Veliera: fraus agitat regem: convivia tectis
Apparat Æetes. sævis, Gradive, Minervam
Increpitas fortem; tantas sed Jupiter iras
Componit: Phlegræa canunt certamina Musæ.

C. VALERII FLACCI
SETINI BALBI
ARGONAUTICON
LIBER QUINTUS.

ANALYSIS LIBRI QUINTI.

Augur Idmon, et paullo post navis gubernator Tiphys morbo absumuntur, quibus defletis, combustis et in eadem urna compositis, e pluribus gubernatoris munus ambientibus legitur Erginus, 1-72. Pervenitur ad Callichorum fluvium et Acherusidos oras, ubi quum manes, ad quos penetrasset Argonautarum fama, natos suos rerum gerendarum cupidos cuperent videre, id vero ex inferorum legibus non liceret, Sthenelo soli, nuper ad litus sepulto, fuit permissum, 73-101. Paphlagoniæ litora legunt, et appellunt ad urbem Sinopen, olim Nympham, ubi socios itineris sese offerunt Autolycus, Phlogius et Deileon, Herculis in expeditione adversus Amazonas comites. Excepti a Jasone, narrant res illo tempore ab Hercule gestas, 102-140. Transit Argo Chalybas, ferri cudendi artifices, et Tibarenos, quibus in more positum hoc est, ut uxores puerperæ non ipsæ decumbant in lectis, sed maritos in iis collocent et diligenter foveant, 141-154. Porro transgressi Caucasum, ubi eo ipso tempore, insciis Argonautis, Hercules liberat vinculis Promethea, tandem Phasidem intrant, 155-184. Hic postquam ante omnia Phryxi et Helles manibus libaverat Jason, Phasidisque numen sibi conciliaverat votis, escendere navi socios et quieti se dare jubet, 185-217. Jam poeta progreditur ad res in Colchide gestas. Phryxus, ante aliquod tempus mortuus, vellus aureum periculi sui monimentum in luco Martis dedicaverat, paullo post socerum Æetam regem monuerat per somnum de tuendo vellere, et Medea filia externo regi elocanda. Quibus monitis rex parens vellus Soli patri Martique commendat, filiam vero desponsat juventutis Albanorum

principi Styro, 218-259. Omina nonnulla tristia faciunt, ut non sacerdos tantum tradere vellus, sed Perses etiam, regis frater, suadeat, de quo rex ita excanduit ira, ut Persen cnse peteret. Hic vero effugit, mox collecto exercitu redit, impetumque jam in urbem fecerat, sed frustra, 260-278. Hoc ipso tempore advenit Jason. Juno et Pallas consilia conferunt, utrius, Æetæ an Persæ, partibus velint accedere, et Æetæ tandem, ad tempus quidem, favere constituunt. Jason, nunc nova sibi adeunda fore pericula præsagiens, socios tamen bono jubet animo esse, novemque sorte eligit, qui ad regem comitentur, 279-329. Medea diris somniis et ipsa turbata ad flumen, ut omina procuraret, mane erat progressa. Quæ, quum e longinquo viros armatos appropinquare animadvertisset, extimuit primo; sed nutrix, Phryxi recordata, Græcos hosce advenas esse confirmat, 330-363. Jason nova pulchritudine a Junone condecoratus propius accedit ad Medeam mirabundam, blandisque ab ea alloquiis petit, ut regis adeundi viam tempusque edoceat, 364-391. Ad hæc Medea se regis quidem filiam esse fatetur, non tamen eum ipsa in urbem deducit, sed unam e comitibus viæ dat ducem, quæ urbem intranti Solis templum monstrat, in quo rex, Solis quippe filius, senatum soleat habere, 392-407. Jason hoc templum intrans stupet, atque anaglypha in primis et in atrio et in valvis conspicua, quæ partim ad Solem, partim ad antiquitatem Colchicam, partim adeo ad futura Colchidis fata spectarent, admiratur, 408-456. Tandem rex ipse cum filio Absyrto, futuro genero Styro, Phryxi filiis magnaque procerum caterva stipatus apparet. Jason verba facit: se cognatum venisse, non sponte, sed jussum atque coactum, ut vellus repeteret aureum, quibus dictis et dona addit, 457-519. Intus quidem fremit rex, iram tamen dissimulat, et ante omnia postulat, ut in præsentis belli societatem veniat Jason, 520-542. Coactus hic consentit, mittitque, qui Argonautas de hoc regis consilio certiores faciat, Castorem, 543-558. Insurgunt omnes, et egregio agmine incedunt, ubi rex epulas instituit, in quibus Jason comites suos regi, hic proceres vicissim suos sistit, 559-618. Interea Mars adit Jovem, questurus, quod deabus, quæ eas non deceant, concedat, et in Palladem inprimis invehitur. Hæc insurgit contra. Jupiter utrique silentium imponit. Musæ ad mensas secundas hymnos canunt, Apollo pulsat lyram, Ganymedes pocula ministrat, donec ad somnos surgunt dii deæque, 619-696.

Altera lux haud læta viris emersit Olympo:
Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
Labitur, extremi sibi tum non inscius ævi.
At memor Æsonides nimium jam vera loquuti
Phineos, hinc alios rapto pavet Idmone luctus.
Tum comiti pia justa tulit, cælataque multa
Arte Dolionii donat velamina regis;
Hospes humum sedemque Lycus: flens arma revellit
Idmonis e celsa Mopsus rate: robora cædunt
Pars sylvis, portantque aræ; pars auguris alba
Fronde caput vittisque ligant, positumque feretro
Congemuere: dies simul et suus admonet omnes.
  Ecce, inter lacrymas, interque extrema virorum
Munera, quem cursus penes imperiumque carinæ,

6. *Pia busta* pro var. lect. Bonon. cod. — 7. *Dolonei.* Male Bonon. II. — 10. *Portamque aræ.* Junt. Ald. *Portantque aras.* Bonon. II. Maser. — 11. *Caput* abest a Vatic. et Bonon. codd. Ed.

1. Postero die *morbis fatisque rapacibus*, morbo subito corripitur, mox letali, *Idmon, extremi sibi tum non inscius ævi*, quem ut vatem et augurem mors prope instans non latuerat. Ab apro occisum narrant Apollonius et Hyginus.

4. *Vera.* Solennis vox de oraculis, auguriis, etc. eventum habentibus; v. *Medebach Wakker,* Amœnit. lit. c. III, p. 18.

6. *Velamina* (vestes) *cælata*, quod verbum non de metallis tantum usurpatur, in quibus figuræ promineut, sed de aliis etiam affabre factis operibus; h. l. sunt acu picta, aureis filis distincta, ideoque non levia, sed superficie aspera. Erant enim eadem velamina, quæ *Dolionius rex*, Cyzicus, olim Jasoni dono dederat; v. supra, III, 10, 11, ubi, quæ hic *cælata*, dicuntur *vestes*, quas Clite *picto variaverat auro.* De labore acu pingendi, quo feminæ priscæ tempus fallere solebant, vide omnino cel. Lenzii *Geschichte der Weiber des heroischen Zeitalters, S.* 38.

8. *Lycus hospes dat humum sedemque*, locum sepulcri: *flens arma revellit* transtris, ut rogo imponantur, *Mopsus.*

10. Robora *portant aræ*, rogo exstruendo. Conf. II, 599, atque Virgil. Æn. VI, 177, ubi *ara sepulcri*..... — *Dies simul et suus*, fato sibi destinatus mortis dies, *admonet omnes.*

13. *Inter extrema munera*, dum justa adhuc facerent Idmoni, *Tiphys* etiam, *quem cursus penes imperiumque carinæ*, gubernator, *violenta luce* abripitur.

Tiphyn agit violenta lues, cunctique pavore
Attoniti fundunt mœstas ad sidera voces:
« Arcipotens, adverte, precor, nunc denique, Apollo;
Hoc, pater, hoc nobis refove caput, ulla laboris
Si nostri te cura movet, qui cardine summo
Vertitur, atque omnis manibus nunc pendet ab unis ».
  Dicta dabant ventis, nec debita fata movebant.
Qualem præcipiti gravidum jam sorte parentem
Natorum flet parva manus, trepidique precantur,
Duret ut invalidis, et adhuc genitoris egenis;
Haud aliter socii supremo in tempore Tiphyn
Ante alios superesse volunt: mors frigida contra
Urget, et ille recens oculis intervolat Idmon.
Exanimum frustra Minyæ clamore morantur,
Avellique negant; vix membra rigentia tandem
Imposuere rogo, lacrymasque et munera flammis
Vana ferunt; crescit donis feralis acervus.

25. *In funere.* Carr. cod. — *Prætervolat.* Bonon. cod. — 31. *Una ferunt.* Bonon. cod. et Bonon. I. Ed.

17. *Arcipotens Apollo*, τοξοφόρος, τοξότης (*arcitenens*, Virgil. Æn. III, 75), *adverte* (nisi malis cum Burmanno *averte*): *hoc, pater, hoc nobis refove caput*, sanitati restituas, Apollo salutaris.

20. *Omnis labor noster nunc pendet ab manibus* tam periti gubernatoris *unis*. Quamquam sua natura pluralem respuere videatur *unus*, huic tamen etiam addi posse, ipse Cicero sua comprobat auctoritate.

21. *Nec debita fata movebant*, non potuerunt efficere, ut, quod fato destinatum esset, mutaretur. Conf. III, 461.

22. *Qualem præcipiti gravidum jam sorte* (nimis quæsite dictum pro morti prematuræ propinquum) *natorum flet parva* (parvorum) *manus*, *trepidique precantur*, *duret*, diutius vivat (paullo post *superesse*) *ut invalidis, et adhuc genitoris egenis*. Mollis et affectus plena comparatio!

27. *Ille recens oculis intervolat*, memoria modo sepulti Idmonis renovatur.

28. *Clamore morantur*, conclamatione experiuntur, an forte fugientem animam possint retinere, de quo more vide Kirchmannum de Funeribus, I, 13.

31. *Crescit donis*, vestibus aliisque, quæ vel mortuis cara fuissent, vel deplorantibus in pretio essent, *feralis acervus*, rogus.

Ut vero amplexus fessi rupere supremos,
Et rapidæ sonuere faces, tunc ipsa cremari
Visa ratis, medioque viros deponere ponto.
Non tulit Æsonides, geminis flagrantia cernens
Corpora cara rogis, sed pectore ductor ab imo
Talia voce gemuit: « Quid tantum infensa repente
Numina? quas nostri pœnas meruere labores?
Bina (nefas!) tuto pariter mihi funera surgunt
Litore; magna adeo comitum numerosaque pubes?
Aut socios rapit atra dies, aut ipse relinquo
Sontibus impulsus Furiis. Ubi Tiphys? ubi Idmon
Fata canens? ubi monstriferæ par ille novercæ?
Te sine, Thespiade, nos ulla movebimus ultra

35. *Æsonius.* Bonon. et Burm. codd. Bonon. I. *Flammantia.* Bonon. cod. — 39. *Toto pariter.* Codd. et edd. præter Eugent. *Tuto.* Jam Sabell. et Pius ex conj. *Surgent.* Vatic. et Bonon. codd. — 41. *Relinquor.* Male Carr. — 42. *Impulsum.* Bonon. cod. Ed.

32. *Ut vero amplexus fessi rupere supremos,* fatigati tandem, oscula imprimere desiere, *tunc ipsa cremari ratis visa, medioque viros deponere,* mergere, *ponto.*

35-37. Burmannianus codex habet *Æsonius*, rectius sine dubio, quoniam, si *Æsonides* retineas, *ductor* otiosus esse videri possit. Magis adhuc placeret Friesemannus, qui *ducta pectore ab imo talia voce* mavult, si libri in tali verborum transpositione addicerent.

39. *Bina (nefas,* eheu! *) funera mihi surgunt in tuto litore,* non in hostili regione, sed placidis terris, uti v. 72.

40. *Magna adeo comitum numerosaque pubes?* Num tam multi numero sumus, ut hanc talem jacturam æquo animo ferre queamus?

41. *Aut socios rapit atra dies,* mors præmatura, *aut ipse relinquo* (sic se ipse accusat Herculis neglecti) *sontibus,* malevolis (Statius, Theb. V, 610: *qui te, mea gaudia,* sontes *Exstinxere dii?*) *impulsus furiis.*

42. Et quantos perdidimus viros! *Ubi Tiphys;* gubernator? *ubi Idmon fata canens,* vates et augur? *Ubi monstriferæ par ille novercæ?* Hercules, qui aliud post aliud novercali odio a Junone immissum monstrum feliciter tamen debellavit, ita ut ipsa Juno apud Senecam Herc. fur. 41, fateatur: *minor labor est Herculi, jussa exsequi, quam mihi jubere.*

44. Pergit Jason interrogando, quod facimus affectu pleni. *Sine te,* tali magistro destituti, *Thespiade,* Tiphy, *nos movebimus,* remis agitabimus, *æquora?*

Æquora? nec summa speculantem puppe videbo
Pleiadumque globos et agentes noctibus Arctos?
Cui Minyas caramque ratem, cui sidera tradis?
Carpere securas quis jam jubet Æsona noctes?
Hoc labor, hoc dulci totiens fraudata sopore
Lumina, et admotis nimium mens anxia Colchis
Profuit? heu quantum Phasis, quantum Æa recessit!
Nunc quoque, si tenui superant in imagine curæ,
Adsis umbra, precor, venturi præscia cæli,
Rectoremque tuæ moneas ratis ». Hæc ubi fatus
Sola virum flammis vidit labentibus ossa:
« Quod tamen externis unum solamen in oris
Restat, ait, caras humus hæc non dividet umbras,
Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna,

47. *Cui sidere* pro var. lect. Bonon. eod. — 48. *Qui jam.* Maser. Alard. edd. — 50. *Et attonitis.* Codd. et edd. *Amotis.* Ald. unde *admotis* Gronov. Obss. IV, 21. *Nunc anxia.* Bonon. cod. et edd. ad Ald. usque. — 51. *Quantum Æta.* Vatic. et Bonon. codd. Engent. Carr. *Quantumque.* Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. — 53. *Præsaga* pro var. lect. Bonon. eod. — 55. *Lambentibus.* Carr. cod. et Maser. ex conj. — 56. *Extremis.* Engent. Carr. I. — 57. *Dividat*, et v. seq. *contegat.* Codd. et add. ante Carr. — 58. *Dispare.* Bonon. cod. Ed.

46. *Pleiadum globos*, quoniam septem unum sidus conficiunt (*glomerabile sidus*, apud Manilium, IV, 523; *densæ Pleiades (Gruppe)*, infra, 414), *et agentes*, nautarum duces, *noctibus Arctos.*

47. *Cui* digno, tecum comparando, *Mynias caramque*, quæ tantæ tibi curæ erat, *ratem*, *cui sidera*, servandum cælum, *tradis?*

48. Quis faciat, ut secure dormiat pater meus? — Adolph. *Dureau Delamalle* proponit legere *Iasona*. Ed.

50. *Admotis nimium mens anxia Colchis*, eo magis sollicita, quo propius ab Colchis absumus.

51. *Heu quantum Phasis, quantum Æa recessit* (metaphora sumpta ab iis, qui, quum portum in oculis habeant, denuo in altum projiciuntur), quam sero saltem nunc eo perveniemus!

52. *Nunc quoque, si tenui superant in imagine curæ*, si manibus post mortem aliquis sensus est, et cura rerum terrestrium, *adsis umbra venturi præscia cæli, rectoremque monens*, tua siderum cælique vicissitudinum peritia adjuva successorem tuum.

55. *Sola*, separata, diversis rogis cremata, videt *virorum ossa flammis labentibus*, in cineres considentibus; sed *caras*, ait, *humus non*

Sed simul, ut junctis venistis in æquora fatis ».
Haud mora: relliquias socii defletaque miscent
Nomina; tum vivo frondens e cespite tellus
Aggeritur, cineremque Lyco commendat Iason.
 Mœsti omnes dubiique, ratem fidissima cujus
Dextra regat; simul Ancæus solersque petebant
Nauplius. Erginum fato vocat ipsa monenti
Quercus, et ad tonsas victi rediere magistri.
Ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus
Fertur ovans, hunc omnis honos, hunc omnis in unum
Transit amor: primo lætus sic tempore rector
Ingreditur cursus; etenim dat candida certam
Nox Helicen: jam prora fretum commoverat, et jam

59. *Vinctis.* Bonon. II. — 61. *Tum vivo frondes et cespite.* Vatican. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Heins. — 64. *Petebat.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 67. *Ac veluti grecis cessit.* Vatic. cod. *Ac veluti gregis cessit.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. *Ac veluti gregis accessit.* Bonon. II. Eugent. *Ac velut ipse gregis cessit.* Maser. — 68. *Hinc* (lege *huic*) *omnis honos.* Vatic. cod. — 69. *Primo lætu sic.* Vatic. cod. *Primo lætus sic.* Bonon. II, et edd. ante Carr. *Primos lecto.* Bonon. cod. — 71. *Nam prora.* Codd. et edd. ante Carr. Ed.

dividet umbras, reliquias, *nec separe*, separata, *conteget urna*, *sed simul*, una inclusas.

60. *Relliquias socii defletaque nomina miscent*, cineres utriusque una reponunt urna, eidemque urnæ utriusque nomen inscribunt.

64. Gubernatoris munus nunc ambiunt *Ancæus*, *Nauplius*, atque *Erginus*.

65. *Erginum fato*, effato, voce, *monente vocat ipsa*, sibi eligit, *quercus fatidica*, Argo (conf. I, 2, et 302), *et ad tonsas*, remorum officium, *rediere victi*, qui repulsam tulerant, *magistri.* Apollonius Rhodius, lib. II, v. 898, Ancæo gubernaculum tradit.

67. *Ac ille*, Erginus, *velut taurus*, *cui gregis cessit regia* potestas, honos ducendi (*regnans taurus* Statio Theb. VI, 596), *fertur ovans*, incedit superbus: *primo lætus sic tempore rector Ingreditur cursus*, statim ab initio secundis ventis usus est.

70. *Dat candida certam nox Helicen*, tam serena nox fuit, ut Ursa major tutam navigationem promitteret.

71. *Jam prora fretum commoverat*, secuerat, intraverat, *et jam Puppe sedens placidas demiserat ancora terras.* Offendit Burmannum, quod puppi ancora detur, quam semper de prora projecerint Veteres. Fortasse tamen Valerius non ad pri-

Puppe sedens placidas dimiserat ancora terras.
Inde, premente Noto, tristes Acherusidos oras
Præterit, et festa vulgatum nocte Lyæi
Callichoron; nec vana fides: his Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos.
Illum, post acies, Rubrique novissima claustra
Æquoris, hic resides thiasos, hic æra moventem,
Udaque pampinea nectentem cornua vitta,
Nunc etiam meministis, aquæ, Bœotia qualem
Thyas, et infelix cuperet vidisse Cithæron.
Fama per extremos quin jam volat improba manes

72. *Placidas* abest in Vatic. cod. *Tristes diviserat.* Carr. cod. — 75. *Callirhoan.* Vatic. Bonon. et Carr. codd. Bonon. I. *Callirhoon.* Junt. *Callichorus.* Ald. *Hic Bacchus ut undis.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. præter Engent. et filias. Ed.

scam eam Argonautarum, sed suam respexit ætatem, qua de puppi æque ac prora jactas esse ancoras docet locus Nov. Test. Act. Apost. 27, 29, 30, quem adduxit vir doctus (*Jortin*) in Miscell. Obss. T. IV, p. 171. — *Placidas terras*, quæ tam amice eos exceperant.

73. *Inde, premente*, vela inflante, secundo, *Noto*, *tristes Acherusidos undas*, de quibus vide ad IV, 595, *præteriit*, *et festa vulgatum*, inclytum, *nocte Lyæi Callichoron*, fluvium Paphlagoniæ, ad quem Bacchus ex India redux quievit. Vid. Ammian. XXII, 8.

75. *His* enim *Bacchus in undis Eoo sanguine*, in bellis præliisque in Orientis regionibus asperso, *rorantes*, madentes, *abluit thyrsos*, hastas hederis intertextas. Virgil. Ecl. V, 31: *foliis lentas intexere mollibus hastas.*

77. *Illum post acies*, *Rubrique novissima claustra Æquoris*, post bella ad extremos usque Orientis fines, mare Indicum, prolata, *hic resides*, intermissos (v. ad III, 540), *thiasos*, saltationes, choreas renovantem, *hic æra*, tympana, *moventem*, pulsantem, *udaque*, vino leviter conspersa, *pampinea nectentem cornua vitta* (conf. I, 726; II, 272) *vitta* (alias *mitra*, uti, II, 271), vos videre *meministis, aquæ.*

80. *Bœotia qualem Thyas*, *et infelix cuperet vidisse Cithæron.* Hic igitur ad Callichoron mitis atque placidus fuit Bacchus; longe alium experta est Bœotia Thyas, Agave, quæ filium, Thebanorum regem, Penthea, Bacchi sacra contemnentem, furore acta cum aliis Mænadibus, in monte Bœotiæ Cithærone, membratim discerpserat. Vid. supra I, 726.

82. *Fama improba*, laboriosa semper, nunquam otiosa, *volat*, celerrime penetrat, *ad extremos manes*, ad inferos.

Interea, et magnis natorum laudibus implet,
Venturam cælo fatis melioribus Argo;
Addita jamque fretis repetens freta, jamque ferentes
Cyaneas. Ardent avidos attollere vultus,
Quos pietas, vel tangit adhuc quos æmula virtus.
Fata immota manent; unum, qui litore in illo
Conditus, ad caræ mittunt spectacula turbæ.
It Sthenelus; qualem Mavortia vidit Amazon,

83. *Fatorum laudibus*. Carr. cod. — 84. *Venturam*, etc. Hic versus abest in Vatic. Booon. codd. et edd. aote Carr. præter Engent. qui illum *ex* Pio habuit. Reperiebator juxta Pium in Pomponii Læti cod. — 85. *Additamque fretis*. Vatic. cod. *Addictamque fretis*. Bonoo. cod. *Namque pharentes*. Corrupte Vatic. cod. *Jamque furentes*. Booon. II. Engent. — 90. *Itythenelus*. Vatic. cod. *It Sthelenus*. Junt. Ald. Eogent. Eo.

84, 85. Versum 84, *Venturam*, etc. uncis ut spurium, inclusit Burmannus, et unius tantum alteriusve codicis anctoritate ille nititur. Sunt etiam, qui versum 83 ejectum malint, et ntrumque fateor abesse posse. Sed nihil forsan movendum, immo interpretatione juvandns locus. Cohæret nempe cum v. 72, ubi Argo ad Acherusias undas venisse narratur. Huc igitur Fama, v. 82, ad inferos nuntiat, *eosque magnis natorum laudibus implet*, res a filiis, nepotibus superstitibus præclare gestas enumerat; *repetens*, in memoriam revocans, *venturam cælo*, mox adfore in terris superis (nam sic *cælum* sæpe usurpatur, et de re aspectabili sermonem esse suadent, v. 86, *attollere vultus*, et v. 89, *spectacula*), *fatis melioribus*, cui dii ipsi faveant, *Argo*; nec vana sese olim nuntiasse; *addita jam fretis freta*, plura jam maria eam trajecisse, *jamque ferentes Cyaneas*, Symplegadas eam tulisse, tolerasse, concessisse transitum. Possis etiam τὸ *repetens* de Fama loquaci accipere, quæ, non semel narrasse res novas contenta, pluribns, quicumque audire velint, easdem obtrudit; priorem tamen illum sensum prætulerim: ad quem eruendum ponticnlis aliquot usum me esse ipse sentio, sed meliora nunc non habeo.—*Venturam cælo*, ad cælum perventuram, quippe quæ, ut ait Valerius, I, 4, *flammifero consedit Olympo*. Ed.

86. *Ardent avidos*, spectandi cupidos, *attollere vultus*, (ii) *quos pietas*, amor erga natos, *vel tangit adhuc quos æmula virtus*, si qua locum adhuc apud inferos habet laudum æmulatio.

88. *Fata*, quæ manes prohibent inferis excedere, vel vultum ad cælum extollere, *immota manent*, mutari non possunt; *unum qui litore in illo Conditus*, sepultus erat, sed Styga nondum transierat, *ad caræ natorum mittunt spectacula turbæ*.

90. *It Sthenelus*, cui hanc veniam a Proserpina datam esse narrat Apollonius, II, 911, *qualem*, ea

Cumque suis comitem Alcides ut condidit armis,
Talis ab æquorei consurgens aggere busti
Emicuit; fulsere undæ, Sol magnus ut orbem
Tolleret, aut nubem quateret polus. Atque ea vixdum
Visa viris atra nox protinus abstulit umbra.
Ille dolens altum repetit chaos. Omina Mopsus
Dum stupet, in prima tumulum procul aspicit acta;
Obnubensque caput cineri dat vina vocato.
Carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dum rite movet, mixtoque sonantem
Percutit ore lyram, nomenque reliquit arenis,

95. *Umbram*. Vatic. et Bonon. codd. *Atram n. p. abstulit umbram*. Junt. Ald. Maser. Engent. *Atram n. p. attulit umbram*. Carr. — 96. *Omnia Mopsus*. Vatic. et Bonon. codd. Engent. Carr. II. Bipont. — 100. *Odrysius dux rite movet*. Vatic. et Bonon. codd. cum Pio. *Odrysium dux rite monet*. Bonon. I et II. Junt. Maser. *Odrysium dux rite movet*. Ald. — 101. *Perdyt* vel *Perclyt*. Vatic. cod. *Perdit*. Bonon. cod. Ed.

ipsa forma, qua olim, *Mavortia vidit Amazon*, qua comes Herculis in bellum contra Amazonas iverat, *cumque suis comitem Alcides ut condidit armis*, iisque ipsis armis, quibuscum Hercules eum terræ mandaverat.

91. *Talis* igitur *ab æquorei aggere busti*, tumulo ad litus aggesto, *consurgens emicuit*, subito apparuit; *fulsere undæ*, lux illustravit mare, *Sol magnus ut orbem tolleret*, haud secus ac si sol oriretur, *aut nubem quateret polus*, fulgur excuteretur nubibus.

94. *Atque ea vixdum visa viris*, vix apparuerat hoc ostentum, *atra nox protinus abstulit umbra*, evanescit, noctisque redeunt tenebræ.

96. *Ille dolens repetit altum Chaos*, ad inferos regreditur tristis. Chaos hoc sensu supra aliquoties, I, 831; II, 86, etc. *Omina*, hoc ostentum, *dum stupet Mopsus*, *tumulum aspicit procul in prima acta*, litore, unde colligit, manes aliquos apparuisse; *obnubensque caput*, velato capite, quod sacra facientibus in usu fuisse norunt omnes, *cineri dat vina vocato*, manibus evocatis vina libat.

99. *Carmina quin etiam visos placantia*, quæ placarent, *manes Odrysius*, Thrax Orpheus, *dum rite movet*, *mixtoque sonantem Percutit ore lyram*, ad lyram canit (*carmen agit* est I, 783, et IV, 87, quem locum in primis conferas velim), *nomenque reliquit arenis*. Obscurius dictum. Possit esse, adscripsit nomen tumulo. Veri tamen est similius, Valerium sequutum esse Apollonium, qui Orphea narrat lyram suam Apollini dedicasse, unde loco illi nomen *Lyræ* hæserit.

Altius in ventos recipit ratis, ac fugit omne
Crobiali latus, et fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium, ante alios Triviæ qui creditur amnes
Fidus, et Inopi materna gratior unda.
Mox etiam Cromnæ juga, pallentemque Cytoron
Teque cita penitus condunt, Erythia, carina.
Jamque reducebat noctem polus: alta Carambis
Raditur, et magnæ pelago tremit umbra Sinopes.

102. *Hinc ventus.* Pius ex conj. *Recidit.* Sabell. *Rediit.* Cel. Herelius, et recepit Wagner. — 103. *Cobilli.* Vatic. Bon. et Carr. codd. Bon. I. — 104. *Amnis.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 105. *Inopia.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. *Inopi.* Jam Maser. cum Hermol. Barbaro. — 106. *Cromanæ juga, pallentem Citheron.* Vatic. cod. *Cromenæ juga pallentemque Cytheron.* Bonon cod. Bonon. I. *Cromnam atque jugo pallente Cytoron.* Bonon. II. Engent. Carr. *Cromnamque jugo pallente Cytoron.* Junt. Maser. Ald. — 107. *Erythrea.* Junt. Ald. *Erythina.* Bonon. II. Maser. *Erythine.* Engent cum Pio. Ed.

102. *Altius in ventos recipit* (se) *ratis;* sic Vell. Paterc. II, 70, 2, *in altiora receperat loca*, pro *se receperat.* Ed.

— *Ac fugit omne Crobiali*, urbis Paphlagoniæ, *latus* (conf. Apollon. II, 942), *et fatis tibi, Tiphy, negatum Parthenium*, fluvium ejusdem tractus, *ante alios Triviæ*, Dianæ, *qui creditur amnis fidus*, carus, cujus accolæ deam in primis colebant, *et Inopi materna gratior unda*, ipso Inopo, insulæ Deli, natalis suæ, flumine gratior. Vid. Callimachus, Hymn. in Dian. 171, in Delum, 206.

106. *Mox etiam Cromnæ juga*, castellum in monte situm, *Cytoronque*, montem et urbem Paphlagoniæ (Apollon. II, 942, ὑλήεντα, silvosam), *pallentem*, ob magnam ibi crescentis buxi copiam; Virgil. Georg. II, 437, *et juvat undantem buxo spectare Cytoron:* pallorem autem buxo tribuere solent poetæ, v. c. Ovid. Metam. IV, 134, *ora buxo pallidiora*. Conf. eumdem ibid. XI, 417.

107. *Teque cita*, properante; *carina penitus condunt*, post se relinquunt, *Erythia*. Magna scriptoribus antiquis in hujus loci nomine varietas. Valerii codices omnes in *Erythia* consentiunt. Fuerunt vero scopuli istius regionis ita dicti, ad quos seriori ætate celebris civitas Amastris est condita.

108. *Alta Carambis*, promontorium (hodie *Capo Pisello*), *raditur*, præteritur, legitur, *et magnæ tremit umbra Sinopes.* Egregia pictura, cujus veritatem in arboribus aliisque aquæ imminentibus videre est, quorum imago ob tremulam aquam tremere ipsa videtur. Uberius hoc pingentem vid. Auson. in Mosella, 190 sq. — Sic Virg. Æneid. VII, 9: *splendet* tremulo *sub lumine pontus.* Ed.

Assyrios complexa sinus stat opima Sinope,
Nympha prius, blandosque Jovis quæ luserat ignes,
Cælicolis immota procis: deceptus amatæ
Fraude Deæ nec solus Halys, nec solus Apollo.
Addidit hic casu comites Fortuna benigno
Autolycum, Phlogiumque, et Deileonta, sequutos
Herculis arma viros; vagus hos ibi fixerat error.
Ut Graiam videre manum, puppimque Pelasgam,
Prima ruunt celeres ad litora, seque precantur
Accipiant socios: nova dux accedere gaudet
Nomina, desertos et jam sibi currere remos.
Transit Halys, longisque fluens anfractibus Iris,
Sævaque Thermodon medio sale murmura volvens,

113. *Nec solus Hylas.* Carr. cod. — 115. *Autholitum Phogiumque.* Vatic. et Bonon. codd. Junt. Ald. *Deiolenta.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Ald. — 116. *Hos fixerat.* Bonon. cod. *Hos defixerat.* Bonon. I et II. *Hos ibi fecerat.* Maser. text. — 117. *Pelasgum.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. Ed.

110. Hæc *Sinope*, Milesiorum colonia, magnæ olim famæ urbs, et totius Ponti Euxini emporium celeberrimum (v. in primis *Mannert*, tom. VI, Fasc. 3, p. 11), *opima*, dives, *Assyrios*, Leucosyriæ, *amplexa sinus*, *Nympha prius*, Asopi fluvii filia, *cælicolis immota procis*, quæ ipsorum deorum amorem repudiavit: *nec solus Halys*, deus fluviatilis, *nec solus Apollo fraude* ejus *deæ deceptus*, *quæ* et *blandos* adeo *Jovis luserat ignes.* Apollonius, II, 948, Ζεὺς ὑποσχεσίῃσι δολωθεὶς, suis ipsius promissis elusus: nam quum, quidquid vellet, petendi arbitrium Sinopæ dedisset, hæc perpetuam petiit virginitatem. De Haly et Apolline pari fraude circumventis vide eumdem Apollonium.

114. *Casu benigno* factum, ut in hac urbe novi Argonautis comites accederent, *Autolicus*, *Phlogius et Deileon*, socii antea Herculis. *Vagus hos ibi fixerat error*, post longos errores sedem ibi collocaverant.

119. *Nova dux accedere gaudet Nomina* (de personis sæpius Noster), *desertos et jam sibi currere remos*, numerum remigum his suppleri.

121. *Transit Halys*, maximus minoris Asiæ fluvius, in Pontum se exonerans (hodie Turcis *Kisil Irmark;* Mannert. VI, 2, 452), *longisque fluens anfractibus Iris* (nunc *Lirio*), post Halyn maximus. Mannert. ibid. p. 444.

122. *Sævaque medio sale murmura volvens*, impetum aquarum, ubi mari se immiscuerit, diu retinens (Orpheus, 735: Βάλλον ἐπ' αἰγιαλὸν δῖνας ἁλιμυρέας ἕλκον, pro quo

Gradivo sacer, et spoliis ditissimus amnis,
Donat equos, donat votas cui virgo secures,
Quum redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
Massageten Medumque trahens: est vera propago
Sanguinis, est ollis genitor deus. Hinc magis alta
Hæmonidæ petere, et monitus non temnere Phinei.
Ipse autem comitum conversus ad ora novorum,
« Vos mihi nunc pugnas, ait, et victricia, ductor,
Herculis arma mei, vestrasque in litore Martis
Interea memorate manus ». Sic fatus, et ægro
Corde silens, audit currus, bellique labores
Virginei: exciderit frenis quæ prima remissis;
Semianimem patrius quam vexerit amnis in æquor;
Quæ pelta latus, atque humeros nudata pharetris
Fugerit, Herculeæ mox vulnere prensa sagittæ;
Utque securigeras stimulaverit Ira catervas,

124. *Donat notas.* Bonon. cod. et edd. ante Engenl. — 126. *Messageton.* Vatic. cod. *Massageton.* Bonon. cod. *Massagetom.* Junt. et antiq. Paris. teste Carr. — 135. *Quam sanguine vexerit amnis.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. Ed.

Slothouwer, l. l. recte, nisi fallimur uterque, ὄλχον), *Thermodon*, hodie *Terme* (*Mannert*, p. 442), *Gradivo*, Marti, *sacer, et spoliis ditissimus amnis*, quod quomodo intelligendum sit, docent statim sequentia: *equos et secures*, arma hostibus derepta, *votas*, ex voto, ei injiciunt, ex bello *per Caspia claustra*, a meridie Caspii maris sita, redeuntes Amazones, *vera propago sanguinis; est ollis genitor deus*, veræ sanguinolenti patris filiæ. Quid? si incisum post *sanguinis* tollas, ut ad deum referatur (*deum sanguinis*), vel interpunctione retenta, *sanguinis* bis sumas.

127. *Hinc*, ab hac Amazonum sede, *magis alta Hæmonidæ*, Argonautæ, *petiere, et monitis Phinei*, IV, 602 sqq. obtemperavere.

129. Jason interea a comitibus novis, ut Herculis cum Amazonibus pugnas narrent, petit.

132. *Vestrasque memorate manus*, quid vos ipsi strenua manu feceritis. — *Ægro corde*, ob desiderium Herculis, *silens, audit currus* (non adeo stricte sumendi: nam equis decertasse Amazonas novimus; vide ad IV, 608; currus tamen etiam Euryalæ datur, VI, 370), *bellique labores*, pericula, *virginei: exciderit* equo moribunda *frenis quæ prima remissis*.

138. *Utque securigeras Ira*, Bello-

Fleturusque pater; quantus duce terror in ipsa,
Qui furor in signis, quo balteus arserit auro.
Nocte sub extrema clausis telluris ab antris
Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
Ruricolæ, Gradive, tui; sonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
Eruerent, ensesque darent, odia ægra sine armis
Errabant, iræque inopes, et segnis Erinnys.
Inde Genetæi rupem Jovis, hinc Tibarenum

140. *Qui furor insignis.* Carr. cod. quæ lectio jam olim Maserio in mentem venerat. — 148. *Indigena etæ r. J. h. tibi Mavors.* Vatic. cod. *Indigena ætherii r. J. h. tibi Mavors.* Bonon. cod. *Indigena æterni r. J. h. tibi Mavors.* Bonon. I. *Inde Genetæi rupes Jovis, inde Tymavos.* Carr. cod. Ed.

na, *Enyo*, IV, 604, *fleturusque pater*, Mars ipse, *stimulaverit catervas; quantus duce in ipsa*, Antiopen dicunt, *terror, qui furor in signis* (clypeis galeisque terribiles addebant formas, quibus et ipsis timorem injicere hostibus volebant), *quo balteus arserit*, splenduerit, *auro.*

141. *Nocte sub extrema*, aurora jam appropinquante, *clausis telluris ab antris*, subterraneis, *pervigil*, per noctem qua alii omnes dormirent, continuatus *Chalybum* malleos vibrantium *labor.*

142. *Arma fatigant*, repetitis ictibus vexant ferrum, donec, quam volunt, formam induerit. Sic sæpe poetæ *res* ipsas *fatigatas* ponunt. Virgil. Æn. VIII, 94: *olli remigio noctemque diemque* fatigant; Noster infra, 602: *diem noctemque Marte* fatigare; III, 21: fatigare *silvas*; II, 120: *fama* fatigat *terras.*

143. *Ruricolæ, Gradive, tui*, terræ tibi sacræ incolæ: *sonat illa creatrix prima manus belli in omnes terras crudelis:* primi fuerunt Chalybes (in quo tamen non omnes consentiunt), qui arma procuderent, quæ tantam stragem in orbe terrarum ediderunt.

145. *Nam prius quam dura cubilia*, venas, *ferri ignoti eruerent*, indagarent, *ensesque darent*, cuderent, *odia ægra*, debilia, infirma, *sine armis errabant, iræque inopes*, inexpletæ, *et segnis*, lenta, *Erinnys*, vindictæ cupido. Ter idem dicit luxurians poeta; simplicius Horat. Serm. I, 3, 100: *glandem atque cubilia propter Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus.*

148. *Inde Genetæi rupem Jovis*, promontorium ad fluvium Genetum, ubi templum erat Jovis Xenii (Apollon. II, 1011: Γενηταίου Διὸς ἄκρη; *Mannert*, VI, 2, 393), *hinc Tibarenum virides lacus*, arboribus cinctos, *post terga dant*, *ubi feta*, mulier puerpera, *partu soluto*, infante in lucem edito, maritum *deside*

Dant virides post terga lacus, ubi deside mitra
Feta ligat, partuque virum fovet ipsa soluto.
Vos quoque non notæ mirati vela carinæ
Mossyni, vos et stabulis Macrones ab altis,
Byzeresque vagi, Philyræque a nomine dicta
Litora, quæ cornu pepulit Saturnus equino.
  Ultimus inde sinus, sævumque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas consurgens Caucasus Arctos.
Ille etiam Alciden Titania fata morantem
Attulerat tum forte dies; jamque aspera nisu
Undique convellens, veteris cum strage pruinæ,
Vincula prensa manu saxis adduxerat imis

152. *Moossonychi.* Vatic. cod. *Mossonychi.* Bonon. I et Carr. *Mossynæci.* Bonon. II. Junt. Maser. Ald. *Mossynici.* Eugent. *Magrones.* Vatican. et Bonon. codd. Bonon. I. — 153. *Bizares.* Junt. Ald. — 160. *Abduxerat.* Vatic. cod. Bonon. I et II, et edd. ante Burm. *Obduxerat.* Bonon. cod. Ed.

mitra ligat, in lecto otiose decumbentem mitra ornat, *et fovet* cibis corroborantibus, quasi ægrotum recreet. Sumpsit Valerius ex Apollonio, II, 1013: αὐτοὶ μὲν (ἄνδρες) στενάχουσιν ἐνὶ λεχέεσσι πεσόντες, Κράατα δησάμενοι, ταὶ δ' εὖ κομέουσιν ἐδωδῇ Ἀνέρας, ἠδὲ λοετρὰ λεχώϊα τοῖσι πένονται. Idem narrat de incolis Cyrni (Corsicæ) insulæ Diodorus Sic. lib. V, c. 14, t. III, p. 279, ed. Bip. de Cantabris Strabo, lib. III, p. 440, ed. *Siebenkees.*

151. *Vos quoque non notæ vela carinæ*, navem qualem nunquam viderant, *mirati Mossyni*, aliis *Mossynæei* (in ligneis ædibus habitantes) a μόσσυν et οἶκος; Apollon. II, 1017: δουρατέους πύργους ναιετάουσι, *Mannert*, VI, 2, 427.

152. *Vos et stabulis ab altis*, in montibus habitantes, *Macrones* (*Mannert*, VI, 2, 397, et 418), *Byzeresque vagi*, nomadicam vitam agentes. *Mannert*, ib. p. 397.

153. *Philyræ a nomine dicta litora, quæ cornu pepulit Saturnus equino*, Philyres, nomen trahentes a Philyra, nympha, Oceani filia, ex qua Saturnus in equum conversus Chironem centaurum suscepit... *Pepulit litora*, ad istas oras venit. Conf. Apollon. II, 1231 sqq.

155. *Ultimus inde sinus*, et *sævum Promethei cubile*, Caucasus. *Ille dies forte etiam Alciden* in has regiones *tulerat Titania fata morantem*, Promethei malis finem impositurum.

158. *Jamque aspera*, rupes, *nisu*, magna cum contentione, *convellens* Hercules, *veteris cum strage pruinæ*, ita ut, quæ montem diu incrustaverant, nives devolverentur.

160. *Vincula prensa manu saxis adduxerat imis*, post se traxerat, *arduus*, cacumen montis ascendens,

Arduus, et lævo gravior pede; consonat ingens
Caucasus, et summo pariter cum monte sequutæ
Incubuere trabes, abductaque flumina ponto.
Fit fragor, ætherias ceu Jupiter arduus arces
Impulerit, imas manus aut Neptunia terras.
Horruit immensum Ponti latus, horruit omnis
Armeniæ prætentus Hiber, penitusque recusso
Æquore, Cyaneas Minyæ timuere relictas.
Tum gemitu propiore chalybs, densusque revulsis
Rupibus audiri montis labor, et grave Titan
Vociferans, fixos scopulis dum vellitur artus.
Contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis
Montibus Alciden, dimissave vota retentet?)

165. *Impulerit, manus aut imas N.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II, et aliæ ad Carr. usque. — 169. *Propiorque revulsis.* Bonon. cod. — 172. *Non credat.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. Bonon. I. *In ullis.* Carr. Ed.

et lævo gravior pede, toto corporis pondere lævo pede innixus, ut reliquis membris eo fortius ad vincula saxis evellenda uteretur. Conf. Virg. Æn. VII, 689, et ibi Heynii Excurs. — Ad quem vide volum. III nostræ editionis p. 386 sqq. Ed.

162. *Summo pariter cum monte sequutæ Incubuere trabes*, montis cacumen simul cum abreptis arboribus suis procubuit, prostratum est, *abductaque flumina ponto*, ita ut effluxus in mare impediretur, ut alveum mutarent.

166. *Horruit immensum Ponti latus;* tota Ponti Euxini Asiatica pars, *horruit omnis Armeniæ prætentus Hiber*, tota Iberia ante Armeniam sita, *penitusque recusso*, commoto, retro acto, *æquore, Cyaneas Minyæ timuere relictas*, adhuc exstare atque collidi credebant.

169. *Tum gemitu*, stridore, sonitu, *propiore chalybs*, chalybea, ferrea vincula Promethei (sic recte Maserius explicuit: nam quæ hic narrantur, uno eodemque loco facta... *chalybs sonans... montis labor... Titan vociferans;* Chalybum vero natio jam remotior), *densusque labor*, creber, repetitus gemitus, *montis revulsis rupibus*, quod magnam sui partem evulsis saxis abreptam sibi videret (epica audacia!), *et grave Titan*, Prometheus, *vociferans, fixos scopulis dum vellitur artus*, græca dicendi ratio pro: dum artus scopulis adfixos evelli sibi sentiret.

170. Argonautæ, rei ignari (quis enim Herculem in montibus illis esse suspicaretur? *quis dimissa vota retentet*, spem Herculis recuperandi dudum abjectam denuo concipere ausus fuisset?) pergebant in itinere ad Colchos.

Pergere iter socii; tantum mirantur ab alto
Litora discussa sterni nive, ruptaque saxa,
Et simul ingentem moribundæ desuper umbram
Alitis, atque atris rorantes imbribus auras.
Sol propius flammabat aquas, extremaque fessis
Cœperat optatos jam lux ostendere Colchos,
Magnus ubi adversum spumanti Phasis in æquor
Ore ruit. Cuncti pariter loca debita noscunt,
Signaque commemorant, emensasque ordine gentes,
Dantque ratem fluvio: simul æthere plena corusco
Pallas, et alipedum Juno juga sistit equorum.
Ac dum prima gravi ductor subit ostia pulsu,
Populeos flexus, tumulumque virentia supra
Flumina cognati medio videt aggere Phryxi,

176. *Moribundam.* Junt. Maser. Ald. — 181. *Poscunt.* Junt. et aliæ edd. ante Carr. Sed jam *noscunt* Pius in notis. Ed.

174. *Tantum mirantur ab alto discussa*, effusa, *nive sterni*, *simul ingentem moribundæ desuper umbram alitis*, moles vulturis satis aucta, qui ex aere decidens latam umbram projiceret, *aurasque atris rorantes imbribus*, sanguine nempe vulturis ab Hercule confixi. Nimis certe poetice, et ultra fidem, ait Burmannus. Sed vix aliter explicari possit.

178. *Sol* occidens *propius flammabat aquas*, Oceanum, *extremaque lux*, vespera, *cœperat* diu *optatos Colchos ostendere*.

181. *Cuncti pariter loca debita*, fato sibi destinata, metam laborum, *noscunt*, *signaque commemorant*, *emensasque ordine gentes*, quas prænavigandas prædixerat Phineus, IV, 561 sqq. *dantque ratem fluvio*, intrant.

183. *Simul æthere plena corusco*, lucida nube circumfusa, *Pallas*, *et alipedum* (conf. v. 612) *equorum juga*, currum, *Juno sistit*. Utrique deæ equos curribus junctos dant poetæ: *Junoni* Homer. Il. V, 720, Virgil. Æn, I, 17; *Minervæ* Callimachus in Pall. v. 2, Horat. Od. I, 15, 12, etc.

185. *Ac dum prima* Jason *subit ostia gravi pulsu*, remis concitatis, *populeos flexus*, populos, arbores, in orbem consitas, *tumulumque*, monumentum, *medio aggere*, *cognati videt Phryxi*, *quem juxta Pario*, candido (nil amplius, nam Argonautarum ætate Parii marmoris statuam in Colchide quis quærat?) *de marmore*, marmorea statua, quæ et ipsa Argonautarum ætate recentior, *stat soror* Helle, *hinc sævæ formidine mæsta novercæ*, *inde maris*, cujus Helles facies ita erat ab artifice ef-

Quem comes infelix Pario de marmore juxta
Stat soror, hinc sævæ formidine mœsta novercæ,
Inde maris, pecudique timens imponere palmas.
Sistere tum socios jubet, atque hic prima ligari
Vincula, ceu Pagasas patriumque intraverit amnem.
Ipse, gravi patera sacri libamina Bacchi
Rite ferens, umbram vocat, et sic fatur ad aras:
« Per genus, atque pares tecum mihi, Phryxe, labores,
Tu, precor, orsa regas, meque his tuteris in oris.
Tot freta, tot dure properantia sidera passis,
Phryxe, fave, et patrias placidus reminiscere terras.
Tu quoque nunc, tumulo nequidquam condita inani,

188. *Parro de marmore.* Codd. et edd. præter Maser. — 191. *Hic.* Edd. ante Heins. præter Alard. vide Burm. nnl. *Hinc.* Heins. qnnrsum? — 195. *Pergemus.* Junt. Ald. *Pergimus.* Eugent. *Mecum.* Bonnn. et Burmanu. cndd. — 196. *Ossa.* Vatie. et Bon. codd. Bon. I. — 197. *Duræ properanti sidera passum.* Vat. cod. Bnu. I. *Dure properanti sidera passum.* Bon. II. Junt. Ald. *Duræ properanti sidera passo.* Bon. cod. *Dure properantia sidera passum.* Maser. Eugent. — 198. *Placidus* abest a Vstie. cod. *Et patrias jam etiam r.* Bnnon. cod. *Et patrias etiam r.* Bnnon. I et II, et edd. ante Carr. En.

ficta, ut altero oculo obliquo videret retro, an forte noverea persequeretur, altero timorem maris proderet vultu, *pecudique*, arieti, *timens imponere palmas*, manus. Geminam huie Helles imagnnculam vide supra, I, 282-290.

191. *Sistere hic jubet* Jason, *ceu Pagasas*, Thessaliam, *patriumque intraverit amnem. Ipse gravi patera sacri libamina Bacchi* (vinum manibus defunctorum libatum aliquoties jam propinavit antea Valerius) *rite ferens*, *umbram* Phryxi evoeat.

195. *Per genus*, eognationem, *atque pares tecum mihi labores*, eadem, quæ tibi subeunda, pericula, precor, *orsa*, cœpta, *regas*.

197. *Tot freta, tot dure properantia sidera passis, Phryxe, fave.* Varia tentarunt ad lucem huic loco adfundendam interpretes, asterisco adeo, ut vix genninum, notarunt. Mallem ipse, Valerius mentem dilucidius exposuisset; nescio tamen, an tolerabilis exsistat sensus, si ita explices: *tot freta, tot dure properantia sidera*, graviter, inclementer et subito ingruentes tempestates, *passis* mihi et sociis *fave*. Freta et sidera pro *tempestatibus* sic poetis solita jungi, pluribus probat exemplis Gronovius, Obss. III, 15, p. 427, ed. *Platner.*

199. *Tu quoque nunc, tumulo inani*, eenotaphio, *nequidquam*, nam vivis adhue, *condita*, *Diva maris*, Helle, *annue*, *numeroque accede tuo-*

Annue, Diva maris, numeroque accede tuorum.
Quando egomet rursus per te vehar? aurea quando
Seston, et infaustos agnoscent vellera fluctus?
Vos etiam silvæ, vos Colchidos hospitis oræ,
Pandite, dives ubi pellis micet arbore sacra.
Tunc tibi, fecundi proles Jovis, orte nivali
Arcados axe deæ, fluvio modo, Phasi, quieto
Palladiam patiare ratem, nec dona, nec aræ
Defuerint tellure mea; veneranda fluentis
Effigies te, Phasi, manet, quam magnus Enipeus,
Et pater aurato quantus jacet Inachus antro».

201. *Prætervehor.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 203. *Ora.* Eugent. — 204. *Misceat.* Vatic. et Burm. codd. *Micat.* Bonon. cod. *Nitet.* Edd. ante Carr. — 208. *Verenda.* Vatic. cod. Ed.

rum, comitem te dare velis cognatis.

201. *Quando egomet per te rursus*, per fretum quod a te nomen traxit, Hellespontum, *vehar? quondo ourea vellera Seston* (quis vero non noverit urbem ad Hellespontum e regione Abydi sitam?) *et infaustos*, in quibus tu periisti, *fluctus ognoscent*, recognoscent?

203. *Vos etiam silvæ, vos Colchidos hospitis*, hospitio me excipientis, *oræ*, vos silvestria et ruralia numina, *pandite*, edicite, monstrate, *dives*, aurea, *ubi pellis micet*, splendeat, *arbore sacra*, in luco Martis.

205. Nunc et Phasin sibi conciliaturus gratum animum promittit. — *Tunc tibi, Phasi, proles Jovis fecundi.* Turnebio duce, Homericum epitheton, Il. XVI, 174 et XVII, 263, διϊπετής, hic exprimi puto, et fluvios et aquas esse prolem Jovis, quia imbribus ex nubibus augentur et crescunt. *Fecundus Jupiter*, ait Burmannus, est idem, qui *Pluvius*, quia imbribus terram juvat et fecundat; vid. Virg. Georg. II, 325. Ed.

— *Orte*, qui fontem habes, *nivali axe*, sub frigido septentrionali cælo, *Arcodos deæ*, Callistus a Jove adamatæ, deinde Ursæ nomine inter astra receptæ.

206. *Fluvio modo quieto*, leni, placido, *Palladiam*, quam Pallas ipsa fovet (*Palladia pinus*, I, 457), *patiare ratem, nec dona, nec aræ deerunt* in patria mea:

208-209. Cf. Virg. Æn. VI, 71: *Te quoque mogno monent regnis penetralio nostris.* Ed.—*Effigies te monet, quam magnus*, eadem amplitudine qua, *Enipeus*, Thessaliæ, *et quantus pater Innchus*, totius Græciæ celeberrimus fluvius, *jacet antro aurato.* Antra omnino Diis marinis assignantur. Ovid. Metam. II, 268: *Ipsum quoque Nerea fama est Doridaque et natas tepidis latuisse sub antris.* Cæterum auratum antrum nimis liberale, nisi de monumento fluvii ad ripas exstructo intelligere velis,

Dixerat, atque illi dextra sine versa magistri
Protenus in proram rediit ratis, omine certo
Fluminis os, pontumque tuens. « Promittis ut, ecce,
Utque vocas, revehemur, ait. » Sic deinde precatus,
Arma jubet celsa socios depromere puppi;
Dona dehinc Bacchi, casus qui firmet in omnes;
Rapta Ceres, viridesque premunt longo ordine ripas.
 Incipe nunc alios cantus, Dea, visaque vobis
Thessalici da bella ducis. Non mens mihi, non hæc
Ora satis; ventum ad furias, infandaque natæ
Fœdera, et horrenda trepidam sub virgine puppim;
Impia monstriferis surgunt jam prælia campis.
Ante dolos, ante infidi tamen exsequar astus

213. *Portumque*. Aliqui apud Maser. — 218. *Cantus alios*. Codd. et edd. ante Carr. II. *Visaque nobis*. Junt. Maser. Ald. Ed.

in quo fluviatilis deus urnæ nixus ad limen antri ornati recumbens conspiceretur.

211. *Dixerat, atque illi* (παρέλκει, ut sæpe dativi pronominum, vel potius redundare tantum videtur; h. l. subest hæc notio: ita felix fuit, contigit ei, ut, etc.) *sine dextra magistri*, sponte, non dirigente gubernatore, *protinus in proram rediit ratis, os pontumque tuens*, convertit se, ut prora ad Phasidis ostia et mare spectaret, *omine certo*, quod Jasoni certum lætumque omen erat, fore, ut aliquando reveheretur, *ut promittis, utque vocas, revehemur*.

215. *Arma*, si forte accolæ hostile quid moliantur, *jubet depromere socios* Jason, deinde *vinum, quod casus firmet in omnes*, quo animum erigant obfirmentque adversus omnem timorem; *rapta Ceres*, cibos cito parant, *longoque ordine in viridi* consident *ripa*.

218. Jam vero, laboribus in mari superatis, Jasonem poeta in continenti pericula subiturum canere suscipiens, in auxilium denuo vocat Musam. *Incipe nunc alios cantus, Dea, visaque vobis*, tibi et reliquis musis (hunc saltum a singulari ad pluralem faciunt et alii poetæ; Virg. Æn. IX, 525: *Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti*; conf. infra, VI, 34, coll. 41), *Thessalici da*, memora, *bella ducis*.

220. *Ventum ad furias*, insanos amores, *infandaque*, nefanda, *fœdera natæ* adversus patrem conspirantis, *et horrenda trepidam sub virgine puppim*, cohorrescentem ad ingressum virginis veneficæ, quam scelestam si veheret, metuebat ipsa iram deorum, uti Jonæ prophetæ comites. Conf. Horat. Od. III, 2. 26: *vetabo.... sub isdem Sit trabibus, fragilemve mecum Solvat phaselum*.

223. Ante vero, quam hæc ag-

Soligenæ, falli meriti, meritique relinqui.
Inde canens : Scythica senior jam Solis ab urbe
Fata laborati Phryxus compleverat ævi;
Illius extremo sub funere, mira repente
Flamma poli, magnoque aries apparuit astro,
Æquora cuncta movens ; at vellera Martis in umbra
Ipse sui Phryxus monumentum insigne pericli
Liquerat, ardenti quercum complexa metallo.
Quondam etiam tacitæ visus per tempora noctis
Effigie vasta, socerumque exterruit ingens
Prodita vox : « O qui patria tellure fugatum
Quærentemque domos, his me considere passus
Sedibus, oblata generum mox prole petisti,
Tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt,
Rapta soporato fuerint quum vellera luco.

225. *In urbe.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II, et edd. ante Carr. II. — 234. *O* abest in Vatic. cod. *Vox : qui jam.* Bonon. cod. et edd. ante Engent. Ed.

grediar, *infidi Soligenæ*, i. e. perfidi Æetæ, *doli astusque* narrandi sunt, qui *falli* a Jasone, *relinqui* a Medea nempe *meritus* est.

225. *Inde canens*, altius repetens: *Phryxus senior jam fata laborati ævi compleverat*, laboriosam et ærumnarum plenam vitam exegerat, mortuus erat senex, *ab* (remotus *ab*, non ipsa *in*) *urbe*. Melius tamen, quod vult Burmannus, *in urbe*, uti Apollon. II, 1151 : γηραιὸς θάνε Φρίξος ἐν Αἰήταο δόμοισιν.

227. *Illius extremo sub funere*, *aries*, qui Phryxum et Hellen vexerat, *magno apparuit astro ;* vid. *Hermann*, *Handbuch der Mythol. Th.* III, *S.* 277, *ff.*

229. *Martis in umbra*, luco, *ardenti metallo*, aureo splendore, *quercum complexa*, ex arbore suspensa. Metallum sic sæpe ponunt simpliciter pro auro; vide Lucanum, IX, 364. — Vide quoque Virgilium, Æneid. VI, 144 : *et simili frondescit virga metallo*. Ed.

233. *Effigie vasta... ingenti voce*. Sic defunctorum manes specie majores in somniis sistunt poetæ.

235. *His me considere passus sedibus*. Sic Virg. Æn. VI, 67 : *Latio considere Teucros*. Ed.

236. *Oblata generum mox prole petisti*, filiam Chalciopen in matrimonium dedisti; ex quo apparet, Valerium non sequutum eorum sententiam, qui Phryxum ab Æeta interfectum traderent; conf. ad I, 44.

237. *Tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt*, magno numero

Præterea infernæ quæ nunc sacrata Dianæ
Fert castos Medea choros, quemcumque procorum
Pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis ».
  Dixit, et admota pariter fatalia visus
Tradere terga manu; tum falso fusus ab auro
Currere per summi fulgor laquearia tecti.
  Membra toris rapit ille tremens, patriumque precatur
Numen, et Eoo surgentes litore currus:
« Hæc tibi, fatorum genitor tutela meorum,
Omnituens; tua nunc terris, tua lumina toto

240. *Quæcumque*. Carrion. — 246. *Cursus*. Vatic. cod. — 247. *Hei mihi*. Ald. Voss. Ed.

gravesque imminent, *rapta quum vellera fuerint soporato luco*, dracone, luci custode, in somnum dato.

239. *Præterea quæ nunc infernæ Dianæ*, Hecatæ, *sacrata*, sacerdos, *Medea castos* (Hecates enim sacerdos debebat esse innupta virgo, Apollon. III, 640: ἄμμι παρθενίη μέλει, ubi Brunckius in notis provocat ad Callimachi Lavacr. Pall. 34) *fert*, ducit, *choros*, *quemcumque procorum pacta*, sponsa, *petat*, sibi eligat, *maneat regnis ne virgo paternis*, extraneus, peregrinus illi sit sponsus, qui secum abducat, patriæ, si maneat, si populari nubat, pestem.

— *Petere* hoc loco non significat virum *poscere*, *eligere*, sed *se conferre ad*, *sequi*, virum. Hæc Wagneri verba, *si populari nubat*, videntur a sensu deflectere, quum in textu sit, *ne maneat virgo*, quæ contraria est illi sententiæ, *ne nubat*. Ed.

242. *Admovere*, porrigere, *manu fatalia terga*, vellus aureum, *visus*; *tum falso*, per insomnium tantum apparente, *fulgor fusus ab auro*, aureus, *per summa tecti*, cubiculi, *currebat laquearia*, lacunar (*Täfelverk*). Eamdem imagunculam, sed elegantius expressam ad animum Medeæ inconstantem accommodat Apollon. III, 756 sqq. ex Apollonio Virgil. Æn. VIII, 19; et Silius Ital. VII, 143: *Sicut aquæ splendor, radiatus lampade solis, Dissultat per tecta, vaga sub imagine vibrans Luminis, et tremula laquearia verberat umbra.*

245. *Membra toris rapit ille*, subito se proripit lecto, *patriumque precatur numen, et Eoo surgentes litore currus*, Solem ex oceano jam prodeuntem.

247. *Hæc tibi.* Varie tentant Heinsius et Burmannus. Cel. *Jacobs* in Misc. philol. p. 80, epitheton solis latere suspicatur, ideoque *lucide* suadet reponi, nec obesse putat statim sequens *omnituens*, poetas enim, præsertim in precibus, epitheta solere cumulare.

248. *Omnituens*, vox rarior, quam præter Nostrum solus Lucretius habet, alii plerumque *cuncta videns*; *sparge tua lumina*, undique circum-

Sparge mari; seu nostra dolos molitur opertos,
Sive externa manus, primus mihi nuntius esto.
Tu quoque, sacrata rutilant cui vellera quercu,
Excubias, Gradive, tene; præsentia luco
Arma tubæque sonent, vox et tua noctibus exstet *.
Vix ea, Caucaseis quum lapsus montibus anguis,
Haud sine mente dei, spiris nemus omne refusis
Implicuit, Graiumque procul respexit ad orbem.
Ergo omnes prohibere minas, prædictaque Phryxi
Invigilat; plena necdum Medea juventa
Annuitur thalamis Albani virgo tyranni.
  Interea auguriis monstrisque minacibus urbem
Territat ante monens semper deus, et data seri

255. *Refosis.* Vatic. cod. *Refossis.* Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Mascr. Ald. *Reflexis.* Eugent. — 261. *Et data.* Sic Vatic. et Bonon. codd. edd. ante Burmann. et reposuit c. v. Harles. Ed.

spicias; *seu nostra manus*, civium, *sive externa*, peregrinorum, *dolos molitur*, struit, *opertos*, clandestinos, astu latentes.

251. *Tu quoque, sacrata rutilant cui vellera quercu* (in partes trahit deum, cujus ipsius res maxime agebatur), *excubias, Gradive, tene*, age. — Vide ad calcem hujus libri not. 252. Ed.

252. *Præsentia luco Arma tubæque sonent, vox et tua noctibus exstet.* Burmannus *noctibus* explicat per *noctu*, et *exstet* per *superet*, ipsa arma nempe tubasque. Mihi vero *noctibus* cum Heinsio suspectum videtur, locoque ejus scripserim *montibus exstet;* exposuerim autem: longe audiatur. Cæterum omnia Marti tumultuanti apta: *arma... tubæ... vox immanis.*

254. *Vix ea* dixerat, *quum anguis Caucaseis montibus lapsus, haud sine mente dei*, non forte, sed a deo immissus, *spiris refusis*, diffusis, in longum extensis, *implicuit nemus, Graiumque procul respexit ad orbem.* Omen profecto malum!

257. *Ergo omnes Æetes minas prædictaque*, prænuntiata a Phryxo pericula, *prohibere*, arcere, *invigilat; plena necdum juventa*, nondum viro matura, *thalamis Albani regis annuitur*, desponsatur, *Medea.* Albania hodie *Schirwan.*

261. *Territat urbem ante monens semper deus*, dii omnino, nec de singulari aliquo deo hic cogitandum, *et data seri signa mali.* Animo Valerii obversatus esse videtur Virgil. Æn. V, 524: *seraque terrifici cecinerunt omina vates;* ubi videatur Heynius: sed non eadem temporis ratio; nam proxime instabat malum a Jasone; ergo *seri* est omnino *futuri;* vid. Gronov. Obs. p. 115.

Signa mali; reddi jubet exitiale sacerdos
Vellus, et Hæmoniis infaustum mittere terris.
Contra Sole satus, Phryxi præcepta volutans
Ægro corde, negat; nec vulgi cura tyranno,
Dum sua sit modo tuta salus. Tunc ordine regi
Proximus, et frater materno sanguine Perses
Increpitare virum; sequitur duce turba reperto.
Ille furens ira, solio se proripit alto,
Præcipitatque patres; ipsum quoque, talibus ausis
Spem sibi jam rerum vulgi levitate serentem,
Ense petit. Rapit inde fugam crudelia Perses
Signa gerens, omnemque quatit rumoribus Arcton.

263. *Infastum.* Vatic. cod. *Infestum.* Carr. — 270. *Præcipit adque patres.* Vatic. cod. et Bonon. I. *Ipsum qui.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. *Ipsum quoque.* Jam Pius. — 271. *Ferentem.* Sabell. et Carr. Ed.

262. *Reddi jubet vellus exitiale sacerdos, et Hæmoniis terris*, Thessaliæ, *infaustum mittere.* Quid discriminis *exitiale* inter et *infaustum?* Fortasse *infaustum* jungendum *Hæmoniis terris*, hoc sensu: Ubicumque hoc vellus est, exitium affert; quo si liberemur, bene nobis! sponte cedamus Thessalis.

264. *Contra Sole satus*, rex Æetes, *negat; nec vulgi*, civium, *cura tyranno, dum sua sit modo tuta salus.* Digna tyranno sententia.

266. *Ordine regi proximus*, secundus a rege, *et frater materno sanguine*, uterinus, *Perses.*—Sic Valer. Scholiastes Apollonii contra, lib. III, v. 200, tradit acceptum a Dionys. Miles. Argonautic. lib. II, Solem duos habuisse filios, Persea et Æeten; Persea in Taurica, Æeten in Colchide regnavisse. Hoc item refert Diodorus, lib. IV, pag. 288. Præterea docet Apollodorus Medeam, reducem in Colchide, Persea (quem vocat *Persen*), patris solio vi potitum, interfecisse, patremque Æeten in regnum restituisse. Ed.

268. *Sequitur duce turba reperto*, cives jam diu turbidi, regique suo infesti, cupide ducem diu desideratum sequuti sunt.

270. Rex *præcipitat*, dispellit, *patres*, senatum, *ipsum quoque* Persea, *talibus ausis spem sibi jam rerum*, imperii capessendi, *vulgi levitate serentem.* — *Spem sibi serere*, exquisita, et inusitata aliis translatione, in qua tamen fere omnes consentiunt codices; pauci præferunt *ferentem*, quo tamen nihil admodum lucreris. Inventa mihi bene metaphora videtur: semina quasi jecit, e longinquo viam sibi præmuniit ad imperium suo tempore sibi vindicandum.

272. *Ense petit*, fortasse *ferit* ob sequentia *crudelia signa*, conf. VI,

Jamque aderat magnis regum cum millibus urbi,
Primaque in adversos frustratus prælia muros
Constiterat; datus et sociis utrimque cremandis
Ille dies alterque dies, quum, Marte remisso,
Debitus Ææis dux Thessalus appulit oris.
  Nox hominum genus et duros miserata labores,
Rettulerat fessis optata silentia terris;
At Juno, et summi virgo Jovis, intima secum
Consilia et varias sociabant pectore curas.
Virgo prior: « Magna pariter quos mole petamus,
Cernis, ait, Colchos habeant quæ prælia, quique
Nunc status; hinc Perses, illinc non viribus æquis
Apparat Æetes aciem: quibus addimur armis? »
Cui Juno: « Dimitte metus, ne prælia forte
Hinc tibi grata negem; manet ingens ægida sudor,

274. *Regnum.* Vatic. et Bonon. codd. *Regni.* Edd. ante Carr. — 279. *Mirata.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. — 287. *Demitte.* Junt. Ald. — 288. *Nunc tibi.* Ald. *Ingens* abest in Vatic. cod. *Jamjam manet ægida.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. Ed.

75. *Rapit inde fugam*, celerrime fugit, *Perses*, *crudelia signa*, vulnera, *gerens*, ostentans, *omnemque quatit*, excitat, *rumoribus Arcton.*

274. *Magnis cum millibus*, quidni *multis?* Et hoc singulare, ferri tamen potest, si memineris, numeros quantitatesque et alias permutari. Quoties occurrit *ingens pecunia* pro *multa?* conf. Propert. I, 5, 10. *At tibi curarum millia quanta dabit*, etc. vid. omnino *Ouwens* Noctes Haganas, p. 498.

275. *Prima prælia frustratus*, primus in urbem impetus quum male cessisset, *Marte remisso*, per inducias istas, *debitus*, fatis destinatus, *Ææis* Jason *appulit oris.*

279. Jam nox ingruit, quod non nova quidem efferi ratione poeta, sed jucunda et apta iis, quæ sequuntur. Nempe *nox hominum duros labores miserata* (conf. VII, 142), *retulerat fessis optata silentia* et quietem *terris*, non item *Junoni et summi Jovis virgini*, filiæ Palladi, quæ ambæ intima secum *consilia* et sollicitudines *sociabant*.

283. *Virgo prior: Cernis*, bis ita sumendum: cernis *Colchos*, cernis *prælia*, quo bello nunc ii premantur; *quibus addimur armis?* utri parti accedemus, utram fovebimus?

287. Cui Juno: *Dimitte metus; ne prælia forte hinc tibi grata negem*, noli timere, ne dissuadeam bella, quibus tantopere delectaris, occasionemque tibi præreptam velim vir-

Et nostros jam sudor equos: stat pectore fixum,
Æetæ sociare manus: scio perfida regis
Corda quidem: nullos Minyis exsolvet honores;
Verum alios tunc ipsa dolos, alia orsa movebo. »
« Sint, precor, hæc; tua namque mihi comitanda potestas,
Pallas ait; liceat Graiis ut reddere terris
Æsonium caput, et puppim, quam struximus ipsæ,
Jactatam tandem nostro componere cælo. »
  Talia tunc hominum Superi pro laude movebant.
Tristior at numquam, tantove paventibus ulla
Nox Minyis egesta metu; nil quippe reperto
Phaside, nil domitis actum Symplegados undis;
Cunctaque adhuc, magni veniant dum regis ad urbem,
Ambigua, et dubia rerum pendentia summa.
Præcipue Æsoniden varios incerta per æstus
Mens rapit undantem curis ac multa novantem.

304. *Navantem.* Vatic. cod. Ed.

nutis bellicæ etiam hic exserendæ; immo vero *manet ingens ægida tuam*, *manet* meos *jam sudor equos.* Conf. Horat. Od. I, 15, 9-10. *Eheu, quantus equis, quantus adest viris Sudor!* De curru Junonis vide supra, 184.

289. *Stat pectore fixum Æetæ sociare manus*, scio perfida quidem ejus corda, sed tum *alia orsa*, consilia, *movebo.*

293. *Sint, precor, hæc*, ita vero facias, ait Pallas; *tua namque mihi comitanda potestas*, tibi deæ majori atque potentiori obsequendum; *liceat ut*, dummodo liceat, *Græcis reddere terris Æsonium caput*, Jasonem, et puppim, quam ipsæ struximus, *jactatam* per maria *tandem cælo nostro componere.* Hoc ultimum bene delectum, oppositum quippe *jactatæ navi.*

297. *Talia tunc Superi*, deæ, *pro laude hominum*, ut Argonautis rerum gloriose gerendarum campum aperirent, *movebant* animo. Longe alia Argonautarum fuit conditio, quibus *tristior nunquam*, *tantoque metu nox egesta* (conf. VIII, 453, ubi *querelis egeritur dies*), traducta.

301. *Cuncta adhuc ambigua*, *et pendentia dubia rerum summa*; conf. supra, v. 19, *cardo rerum summus*, quod idem est.

303. *Præcipue Æsoniden incerta mens varios per æstus rapit undantem*, fluctuantem, *curis.* Copia verborum idem prope significantium locus laborat: *incerta..... æstus..... undantem..... ac multa novantem*, in-

Qualiter ex alta quum Jupiter arce coruscat,
Pliadas ille movens, mixtumque sonoribus imbrem
Horriferamve nivem, canis ubi tollitur omnis
Campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli,
Aut altos duris fatorum gentibus ortus;
Sic tum diversis hinc atque hinc molibus anceps
Pectora dux crebro gemitu quatit, optat et almum
Jam jubar, et certi tandem discriminis horas.
  Tunc defixa solo, cœtuque intenta silenti
Versus ad ora virum : « Quod primum ingentibus ausis
Optavistis, ait, veterumque quod horruit ætas,
Adsumus en, tantumque fretis enavimus orbem.
Nec pelagi nos mille viæ, nec fama fefellit,
Soligenam Æeten media regnare sub Arcto.

308. *Hostia belli.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Heins. — 309. *Aut atros.* Ald. *Alios.* Aliqui apud Pium. *Diris.* Junt. et seqq. usque ad Carr. — 310. *Hinc atque illinc.* Junt. Ald. et Carr. I. Ed.

constantem, vix consilium ceperat, quum aliud in mentem veniret.

305. *Qualiter quum Jupiter Pliadas movens*, Pluvius ac Fulgerator, *coruscat*, fulgurat, *mixtumque sonoribus* tonitrus *imbrem*, *horriferamve nivem*, grandinem, *canis*, albescentibus, spumantibus, *ubi tollitur omnis campus aquis*, *aut sanguinei magna ostia belli*, sc. movens, quod ex antecedentibus repetendum, *aut altos duris fatorum gentibus ortus* (movens). —Vide ad calcem hujus libri not. 305. Ed.

310. *Sic tum diversis hinc atque hinc molibus* (non motibus, uti volunt nonnulli, quod facilius quidem, sed minus poeticum esset), pondere curarum, *anceps pectora dux crebro gemitu*, quem non infra dignitatem heroum esse Veteres existimarunt (vide Homer. Il. XXI, 272 sq.), *quatit*, *optat et almum*, solenni epitheto, jucundum, beneficum, *jam jubar*, solis ortum, *et certi tandem discriminis horas*, quibus, quid vel exspectandum sibi, vel timendum esset, cognosceret.

313. *Tunc ad ora virum* (ad viros) *defixa solo*, *cœtuque silenti intenta* conversus, *quod veterum*, inquit, *horruit ætas*, quod, qui ante nos vixerunt, ausi non sunt, id nos perfecimus, *adsumus en*, *tantumque fretis enavimus orbem*, tantam per tot maria emensi sumus viam. — Sic Virg. Æn. VI, 16 : *Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos.* Ed.

317. *Nec pelagi nos mille viæ fefellerunt*, pericula experti sumus maris nobis prænuntiata, *nec fama fefellit*, verum esse deprehendimus,

Ergo ubi lux altum sparget mare, tecta petenda
Urbis, et ignoti mens experienda tyranni.
Annuet ipse, reor, neque inexorabile certe,
Quod petimus; sin vero preces et dicta superbus
Respuerit, jam nunc animos firmate repulsæ,
Quaque via patriis referamus vellera terris;
Stet procul et rebus semper pudor absit in arctis ».
Dixerat et, Scythicam qui se comitentur ad urbem,
Sorte petit, numeroque novem ducuntur ab omni.
Inde viam, qua Circæi plaga proxima campi,
Corripiunt, regemque petunt jam luce reducta.
Forte deum variis per noctem exterrita monstris,

319. *Spargit.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. Maser. — 321. *Neque exorabile.* Vitiose Vatic. et Burm. codd. — 323. *Jam tunc.* Carr. — 324. *Quaque via est.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. II. — 325. *Stet potius : rebus.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Pius. Eugent. Carr. II. *Pavor.* Ald. — 330. *Territa.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. Ed.

Æeten his in terris regnare, qui velleris aurei dominus est.

319. *Ergo ubi lux altum sparget mare* (Virg. Æn. IV, 584: *Et jam prima novo spargebat lumine terras... Aurora*; Hom. Il. VIII, 1, XXIV, 695, et alibi: ἠὼς ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν), petenda nobis urbs est.

321. *Annuet* rex *ipse*, sponte, quæ petimus, *reor*, spero, *neque inexorabile petimus*, quod precibus concedere nequeat nostris; *exorabile carmen* est supra, I, 783.

322. *Sin vero* (posteriori syllaba correpta, non sine exemplo, rectius *forte*) *preces respuerit*, si abnuerit, *jam nunc animos firmate*.

324. *Quaque via*, qualicumque modo atque ratione, ad patriam *vellera referamus..... stet procul et absit* (tautologia, quam tamen et Ovidius habet, Amor. III, 14) *in rebus arctis*, i. e. periculo premente, *pudor*, reverentia; necessitas enim caret lege.

326. Tum *sorte petit*, legit, *novem* e sociis, qui se in urbem comitentur, et via proxima per Circes campum ad regem omnes contendunt. — Vid. ad calcem hujus libri not. 328. Ed.

330. Medea igitur *forte deum variis per noctem monstris*, somniis, quæ dii ipsi immiserant, terribilibus agitata, *rapta toris*, lecto se proripuit, *ad primi Phœbi*, primæ auroræ, *jubar placabile* (nam tristia somnia procurasse Veteres eo invenimus, ut Soli ea narrarent et averruncanda committerent; vid. Euripidem, Iphig. in Tauris, 42-43; Sophoclem, Electr. 451; Virg. Æn. VIII, 68), *et ad flumina horrendas noctes*, noctis terriculamenta, *lustrantia*, abluentia, *ibat*.

Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
Rapta toris, primi jubar ad placabile Phœbi
Ibat, et horrendas lustrantia flumina noctes:
Namque soporatos tacitis in sedibus artus
Dum premit alta quies, nullæque in virgine curæ,
Visa pavens castis Hecates excedere lucis;
Dumque pii petit ora patris, stetit arduus inter
Pontus, et ingenti circum stupefacta profundo,
Fratre tamen conante sequi; mox stare paventes
Viderat intenta pueros nece, seque trementum
Spargere cæde manus, et lumina rumpere fletu.
His turbata minis, fluvios ripamque petebat
Phasidis, æquali Scythidum comitante caterva.
Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens
Pallados, hinc caræ Proserpina juncta Dianæ,

333. *Lumina.* Male Carr. cod. — 334. *Tantis in sedibus.* Junt. Maser. Ald. Engent. — 338. *Circumstipata.* Sabell. ex conject. — 339. *Frater etamen conantes qui mox.* Corrupte Vatic. cod. *Frater et amento nantes qui mox.* Bonnn. I. *Frater et amne sequi nantes mox.* Bonon. cod. Bonon. II. Sabell. Maser. *Fraternam mortèm ante sequi.* Junt. Ald. Engent. veram lect. jam dederat Pius. — 340. *Seque trementem.* Bonnn. cod. et edd. ante Carr. — 345. *Sub urbe.* Bonnn. et Burm. codd. — 346. *Claræ.* Bonon. cod. Bonnn. I et II. Maser. Engent. *Clare.* Junt. Ald. Ed.

334. Somnia ipsa narrantur, et ita quidem, ut, quæ Medeam fata manerent, eo deinceps ordine prænuntientur, quem poeta sibi in carmine sequi proposuerat, morte tamen præventus exsequi omnem non potuit.

336. *Visa pavens Hecates castis excedere lucis*, Hecates sacerdotium ponere, eoque virginitati renuntiare; *piique patris ora petere*, a cujus tamen amplexibus prohibet *pontus arduus inter* fusus.

339. *Frater* (Absyrtus) *insequitur; ipsa pueros*, e Jasone susceptos (vide infra 456 sqq.), nihil eorum lacrimis mota, interficit.

340. *Seque trementum spargere* defendi potest: magis tamen placet *Wakefield* ad Lucret. III, 298, *seque, tremendum! spargere*, etc.

341. Mox *tamen lumina rumpit fletu*, flet ipsa. Sic ῥῆξαι οἰμωγὴν, apud Philostrat. Icon. II, 9.

342. *His minis turbata*, Phasidem petit, *æquali*, ejusdem ætatis, *Scythidum* virginum *comitante caterva*.

344. *Qualis Proserpina choros duxit*

Altior, ac nulla comitum certante, priusquam
Palluit, et viso pulsus decor omnis Averno;
Talis et in vittis geminæ cum lumine tædæ
Colchis erat, nondum miseros exosa parentes.
Ut procul extremi gelidis a fluminis undis
Prima viros tacito vidit procedere passu,
Substitit, et mœsto nutricem affata timore est:
« Quæ manus hæc, certo ceu me petat agmine, mater,
Advenit haud armis, haud unquam cognita cultu?
Quære fugam, precor, et tutos circumspice saltus. »
Audit virginei custos grandæva pudoris

349. *Talis et in visis*. Bonon. cod. *Talis et immitis*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Eugent. *Talis adhuc mitis*. Ald. de vera lect. jam monuerat Pius. — 354. *Agmine nostro*. Edd. ante Carr. præter Ald. qui *agmine nutrix*. Ed.

per florea juga verni Hymetti, in monte Attico, verno tempore quum maxime viridi, amœno, *aut Sicula sub rupe*, Henna, ubi olim rapta erat, *hinc*, in Attica, *Pallados*, *hinc*, in Sicilia, *Dianæ caræ gressibus juncta*, *altior*, procerior, *ac nulla comitum certante*, *prius quam* a Plutone rapta *palluit*, *et viso pulsus* est *decor omnis Averno*, pallorem traxit apud inferos, ubi omnia pallent.—*Hinc*, *hinc*. Hæc verba possunt hoc loco significare *a dextro et a sinistro latere*, siquidem tres illæ deæ haud semel apud poetas occurrunt conjunctæ. Ed.

349. *Talis et in vittis*, vittis ornata, *geminæ cum lumine tædæ*, duabus facibus, quibus vel ad lustrationem uti vellet, in qua ignem etiam et sulfur adhibere solebant, vel in honorem Hecates, quam et eamdem fuisse cum Diana norunt omnes. Uti vero Dianæ, quatenus inter superos venatrix versatur, faces præferunt nymphæ (vid. infra, 380), et ipsa utraque manu facem ferens sistitur in nummis (qualem attulit Spanhem. ad Callim. p. 169), ita eidem, quatenus est inferorum dea, Medeam sacerdotem faces prætulisse putaverim; talis igitur Colchis erat, *nondum miseros exosa parentes*, dum pietatem in parentes nondum deposuisset.

351. *Ut prima*, ut primum, *ab extremi fluminis undis*, a portu, in quem fluvius descendit, ab ostiis, *tacito*, lento, timidiusculo, *passu procedere videt viros*, *substitit*, *et mœsto nutricem affata timore*. En virginalis anxietas, quæ timet, ubi nihil timendum!

354. *Quæ manus* (timor auget numerum; non nisi decem erant), *certo ceu me petat agmine*, me, me quærunt fortasse rapturi piratæ, *mater*, mollius pro nutrix, *advenit haud armis*, *haud unquam cognita cultu*, habitu armisque, qualia nun-

Henioche, cultus primi cui creditus ævi;
Tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam :
« Non tibi ab hoste minæ, nec vis, ait, ulla propinquat,
Nec metus; externo jam flammea murice cerno
Tegmina, jam vittas frondemque imbellis olivæ.
Graius adest; Graio sic cuncta simillima Phryxo. »
Sic ait; at Juno, pulchrum longissima quando
Robur cura ducis, magnique edere labores,
Mole nova et roseæ perfudit luce juventæ.
Jam Talaum, jamque Ampyciden, astroque comantes
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore.
Non secus, autumno quam quum magis asperat ignes
Sirius, et sævo quum nox accenditur auro,

361. *Nec te metus.* Vatic. cod. — 363. *Sunt cuncta.* Ald. — 365. *Sedere.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. qui *dedere*. *Edere* emendat Gronov. Obss. I, 21. Ed.

quam videre memini. Locum igitur *tutum circumspiciamus.*

358. *Henioche, cultus primi cui creditus* erat *ævi*, juventutis cultura, educatio, cura tradita. Noli timere, *externo jam flammea murice cerno tegmina*, purpureas vestes lucidissimi, vigentis coloris, *jam vittas frondemque imbellis*, pacem præferentis petentisque, *olivæ*; conf. III, 424.

363. *Graius adest*, Græci sunt, quos vides, *Graio sic cuncta simillima Phryxo*, quem olim cognoverat.

364. Juno contra Jasonem suum, uti Venus Æneam (Virgil. Æn. I, 589), *cujus robur longissima cura magnique edere*, i. e. consumpserant, debilitarant saltem, *labores*, *mole nova*, amplitudine dignitateque, *et roseæ*, florentis, *perfudit luce juventæ.*

367. *Jam* reliquos pulchritudine insignes Argonautas, *Talaum*, *Ampyciden*, Mopsum, *astroque comantes*, quo vel ad *sidereum os*, IV, 190 (vid. Spanhem. ad Callimach. p. 630 sqq.), vel ad flammulam capiti a Jove additam, I, 569-572, respicitur, *Tyndaridas*, Castorem et Pollucem, *ipse* Jason *egregio supereminet ore.*

368. *Egregio supereminet ore.* Sic Virgilius, Æn. IV, 505: *gradiensque deas supereminet omnes.* Ed.

369. *Non secus*, *autumno* (cujus initium ad Sirii ortum referebant Veteres; vide Varronem de Re Rust. I, 28; *autumni canis*, infra, VI, 607) *quam quum magis asperat*, augel, *ignes* Solis *Sirius*, *et quum nox accenditur*, illustratur, *sævo auro*, mala portendente splendore, *luciferas crinita faces*, græco more, lucidos radios, crinium instar, emittens cometes; vid. Hom. Il. XXII, 26-30. Sirium cometæ jam junxe-

Luciferas crinita faces, hebet Arcas, et ingens
Jupiter; ast illum tanto non gliscere cælo
Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.
Regina, attonito quamquam pavor ore silentem
Exanimet, mirata tamen, paullumque reductis
Passibus, insolito stupuit duce; nec minus inter
Ille tot ignoti socias gregis hæret in una
Defixus, sentitque ducem dominamque catervæ.
« Si dea, si magni decus huc ades, inquit, Olympi,
Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ,
Teque renodatam pharetris ac pace fruentem
Ad sua Caucaseæ producunt flumina nymphæ.
Si domus in terris atque hinc tibi gentis origo,
Felix prole parens, olimque beatior ille,
Qui tulerit, longis et te sibi junxerit annis!

371. *Habet.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. Alard. *Hebet.* Jampridem emendd. Sabell. Pius, Maser. et sic pro var. lect. Bonon. cod. — 373. *Foribus.* Vatic. Bonon. et Burm. codd. — 374. *Pavore silentem.* Vatic. cod. — 380. *Arma Dianæ.* Vatic. Bonon. el edd. ante Carr. Ed.

rat Virgil. Æn. X, 272, ubi vide Heynium; junxit iterum Noster, VI, 607, 608. —Vide ad calcem hujus libri not. 369. Ed.

371. *Hebet*, minus splendet, obscuratur, *Arcas*, Bootes, *et ingens Jupiter*, sidus Jovis; *ast illum tanto gliscere cælo*, ardorem magis magisque intendere, *nollet ager*, nec *vellent calidis jam fontibus amnes.* Et hæc comparatio nimis quæsita.

374. *Regina*, regia virgo, Medea, quanquam *pavebat* (hoc auget poeta: *pavor..... attonito ore..... silentem exanimat*), *mirata tamen, paullumque reductis Passibus, insolito stupuit duce.* Haud inepte Friesemannus: *insolito stupet in duce.*

376. *Nec minus* Jason *hæret in una defixus.* Dianam, inquit, *si dea es*, conspicere mihi videor, *Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ*; vid. supra, 349, et Virgilius, Æn. I, 327 sqq.

381. *Teque renodatam pharetris*, dissoluta ab humeris pharetra, remisso arcu, *ac pace fruentem*, a venatu otiantem, *ad sua Caucaseæ producunt*, longo ordine deducunt, comitantur, *flumina nymphæ.*

383. *Si domus in terris*, si mortalis es, *felix prole parens, multoque adhuc felicior olim ille, qui tulerit*, uxorem te ducere cui continget, *longis*, quod ipse precor, *et te sibi junxerit annis !*

Sed fer opem, regina, viris; nos hospita pubes
Advehimur, Graium proceres, tua tecta petentes.
Duc, precor, ad vestri, quicumque est, ora tyranni,
Ac tu prima doce fandi tempusque modumque.
Nam mihi sollicito deus ignaroque locorum
Te dedit; in te animos, sed et omnia nostra repono.»
Dixit, et opperiens trepidam stetit. Illa, parumper
Virgineo cunctata metu, sic orsa vicissim:
«Quem petis Æeten, genitor meus; ipsaque juxta
Mœnia, si bivios possis discernere calles.
Hac adeo duce ferte gradus; ingentia namque
Castra alios aditus atque impius obsidet hostis».
Dixerat hæc, patriumque viam detorquet ad amnem,

386. *Perfece opem.* Junt. et posterr. usque ad Carrionem. *Non hospita.* Vatic. Bonon. Carr. et Burm. codd. *Nos* pro varia lect. Bonon. cod. — 389. *Astu prima duce.* Vatic. et Bonon. codd. *Da duce te prima* pro varia lect. Bonon. cod. *Aut tu prima duce.* Bonon. I. *Aut tu prima doce.* Bonon. II, et edd. usque ad Carr. — 391. *Atque omnia.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 395. *Si vivos.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Carr. cod. Alard. *Si tutos.* Bonon. II. *Si veros.* Junt. Maser. Ald. Engent. — 396. *Huc adeo.* Vatic. et Bon. codd. Bon. I et II. En.

386. *Sed fer opem, regina*; peregre huc adsumus, *Græcorum proceres*; aditum nobis pares ad hujus terræ regem, *ac tu prima doce fandi tempusque* opportunum, *modumque*, ordinem legemque in his terris regem salutandi usitatum.

390. *Nam mihi deus te dedit*, deo, quicumque ille sit, acceptum refero, quod te habeam obviam; *in te animos*, spem atque fiduciam, *sed et omnia nostra repono*, tibi me meaque omnia committo.

392. *Dixit, et stetit opperiens trepidam*, timidiusculam, non habentem, quid illico responderet. *Illa sic orsa vicissim*, et ita quidem respondet, ut breviter et urbanissime et amabili cum simplicitate, quid Jasoni agendum sit, enuntiet.

394. *Quem petis Æeten, genitor meus.* Ad quæstionem Jasonis, quæ ipsa esset, dea an regina, non recta respondet, sed modestius patrem nominat; *ipsaque juxta*, in propinquo sunt, *mœnia, si bivios possis discernere calles*, et hoc officiosum: brevissimam tum monstrat viam, non tamen se comitem offert ipsam (uti nec Nausicaa apud Homerum, Odyss. VII, 260, Ulyssem comitatur), sed pedissequam addit, sollicita, ne via breviori aberret, et in castra hostilia incidat.

398. Ipsa vero ad Phasidem pergit, *terrificæque Nocti*, Hecatæ, ad

Sacraque terrificæ supplex movet irrita Nocti.
Ille autem inceptum famula duce protinus urget
Aere septus iter, patitur nec regia cerni
Juno virum, prior Æetæ ne nuntius adsit.
Jamque inerat populo mediæque incognitus urbi,
Quum comes orsa loqui: « Phœbi genitoris ad aras
Ventum, ait; huc adytis jam se de more paternis
Rex feret; hic proceres audit, populosque precantes,
Alloquii facilis; præsens pater admonet æqui ».
Dixerat; ast illi propere monstrata capessunt
Limina, non aliter, quam si radiantis adirent
Ora dei, verasque æterni luminis arces.
Tale jubar per tecta micat; stat ferreus Atlas

407. *Alloquiis*. Codd. et edd. ante Heinsium. *Admovet æquis*. Junt. Maser. Ald. Eugent. *Admonet æquis*. Carr. I. — 408. *Dixerat*, etc. Hic versus post v. 427 reperitur in Vatic. Bonon. codd. et Bonon. I. — 411. *Per* abest in Vatic. cod. *In tecta*. Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Eugent. En.

avertenda mala somnii omina *supplex sacra movet*, facit (conf. III, 540), sed *irrita*, eventum speratum non habitura.

400. Jason *famula duce urget iter*, sed *aere septus*, tenui *nebula*, v. 466, involutus, *a Junone* (conf. Virgil. Æn. I, 410), *ne prior Æetæ nuntius adsit*. Jamque erat in media urbe, *quum comes*, ita.

404. *Phœbi genitoris*, quem rex noster patrem veneratur, *ad aras*, templum, *ventum; huc jam se de more paternis adytis*, interioribus templi *penetralibus*, v. 457, *rex feret*.

406-407. *Hic proceres audit*, etc. Apud Virgil. Æn. I, 511, Dido in Junonis templo judicia exercet, quem locum imitatus Noster, mira quadam adjunctorum opportunitate superavit. Solis in templo jus dicit Æetes, cujus animo pater *omnituens*, veritatis lucem infundit: *præsens*, ut ubique, ita præsertim in suo templo, *pater admonet æqui:* grandis profecto et eximia vatis cogitatio! Ed.

408. Jason igitur cum comitibus properat ad istud templum *non aliter*, non minori cum veneratione, quam si Solem ipsum *adirent*, *verasque*, ipsas, *æterni luminis arces*, palatium, quod pulcherrime describit Ovid. Met. II, ab initio.

411. *Tale jubar per tecta micat; stat ferreus Atlas* in atrio? Apollon. III, 215, ἐν προμολαῖς, quem omnino magnificentiam aulæ Solis, aliter tamen, pingentem conferas velim. De toto loco Heyuius, Exc. XV, ad Virgil. Æn. I, consulatur, qui, v. 411, in *fastigio* templi, v. 417-465, in *foribus* expressas historias apud Colchos fuisse existi-

Oceano, genibusque tumens infringitur unda:
At medii per terga senis rapit ipse nitentes
Altus equos, curvoque diem subtexit Olympo;
Pone rota breviore, soror, densæque sequuntur
Pliades, et madidis rorant e crinibus ignes.
Nec minus hic varia dux lætus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hic ortusque tuens: ut prima Sesostris
Intulerit rex bella Getis; ut clade suorum
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem,
Phasidis hos imponat agris, Colchosque vocari

412. *Infrangitur.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. — 416. *Rorante.* Codd. et edd. ante Heinsium. — 417. *Varia lætatus.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. Ed.

mat, addito tamen hoc judicio: « Sapienter quidem hoc Valerius, sed idem in operis summa infelix; non enim apparet, quorsum ista descriptio anaglyphi inserta sit ». Cæterum non in valvis tantum templorum, sed in clipeis etiam, poculis, vestibus, etc. res a majoribus gestas fuisse expressas, notum est. — *Stat* igitur *ferreus*, firmus, invicto robore, *Atlas Oceano, genibusque tumens infringitur unda*, fluctus franguntur ad genua, alluunt ea.

413. *At medii per terga senis*, supra caput, *rapit* concito cursu *ipse* Sol *nitentes*, pulchros, *equos, curvoque diem subtexit*, expandit, *Olympo*. Desumptum ex Virgilii Æn. III, 582: *cœlum subtexere fumo*, ubi Heynius *subtexere* explicat *suffundere*.

415. *Pone*, paullo inferius, *rota breviore*, curru, arctiori spatio decurrente, *soror*, Diana, luna, *densæque*, condensatæ in globum (vid. supra 46), *sequuntur Pliades, et madidis rorant e crinibus ignes*. Longe melius aptiusque, quod suadet Heinsius, *imbres*.

417. *Nec minus hic* (melius cum Heinsio *hinc*) *varia dux lætus imagine*, in varias areolas distincta, *templi ad geminas fert ora fores*, valvas biforcs, *cunabula gentis Colchidos hic ortusque tuens*, fata istius regionis ex ultima ætate repetita: nempe, area I, *ut, prima Sesostris* (cf. Apollon. IV, 272-281), famosus ille rex Ægypti, totius fere tum cogniti terrarum orbis expugnator, *intulerit bella Getis; ut clade suorum territus*, post cladem a Scythis acceptam (in quo Valerius sequutus est Herodot. II, 10, et alios post hunc, v. c. Justinum, II, 3. Vide omnino Bochartum, Phaleg. IV, 31, et Gesner. ad Orphea, 751), *hos*, milites suos a clade superstites, partim *Thebas* Ægyptiacas, *patriumque reducat ad amnem*, Nilum, *hos* partim *Phasidis imponat agris colonos, Colchosque vocari imperet*. — Vid. Plin. lib. XXXIII, cap. 3. Ed.

Imperet : Arsinoen illi tepidæque requirunt
Otia læta Phari, pinguemque sine imbribus annum;
Et jam Sarmaticis permutant carbasa bracis.
Barbarus in patriis sectatur montibus Æan
Phasis, amore furens; pavidas jacit illa pharetras
Virgineo turbata metu, discursibus et jam
Deficit, ac volucri victam deus alligat unda.
Flebant populeæ juvenem Phaethonta sorores,
Ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem;
At juga vix Tethys sparsumque recolligit axem,
Et formidantem patrios Pyroenta dolores.
Aurea quin etiam præsaga Mulciber arte

423. *Arsino enilli.* Male distinctis verbis Vatic. cod. *Arsinoe Nili.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Arsinoen Nili.* Ald. *Trepidæque.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Carr. — 424. *Sine imbribus amnem.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 426. *Æam.* Edd. ante Heinsium. — 431. *Acer et.* Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Engent. Ed.

423. *Illi;* Colchi, *requirunt*, desiderant, *Arsinoen*, etc. Vid. omnino ad calcem hujus libri nott. 423, 425. Ed.

424. *Pinguem sine imbribus annum*, uberem messem sine pluviis, quæ rariores in Ægypto sunt.

425. *Et jam Sarmaticis bracis*, femoralibus, *permutant carbasa*, tenues, linteas vestes.

426. II. *Phasis*, deus fluviatilis, *Æan*, virginem regiam, quæ urbi Ææ nomen dedit, *in patriis montibus* venantem, *sectatur amore furens: pavidas* (ipsa pavida) *jacit illa pharetras; jam deficit* currendo lassa, *ac volucri unda*, celeri suo flumine, *victam deus alligat*, amplectitur.

428. *Virgineo metu.* Hæc locutio placuisse videtur auctori, quam spatio tam brevi (vide supra, v. 393) geminaverit, et nobis admodum placet, sicut et *cura jugalis*, IV, 354: sic sæpe Valerius quosdam animi sensus egregiis quibusdam locutionibus feliciter expressit. Ed.

430. Sequitur area tertia. III. *Flebant populeæ*, in arbores populos (alii *alnos*) mutatæ, *Phaethonta sorores, ater et globus*, corpus ambusti Phaethontis conglobatum, *in amnem Eridani trepidum*, tanto commotum pondere, *ibat*, decidebat.

432. *At juga vix Tethys*, dea marina, *sparsumque recolligit axem*, partes currus diffractas, vix recolligit; mulcendo mitigat *Pyroenta*, Solis equum (unus pro quatuor positus), *formidantem patrios dolores*, iram ob amissum filium conceptam.

434. IV. *Aurea quin etiam præsaga Mulciber*, Vulcanus, artifex, *arte vellera*, *venturosque olim*, postero tempore, *cælarat Achivos. Texitur*, construitur, *pinus Pagasea*, Thessalica ratis.

Vellera, venturosque olim cælarat Achivos;
Texitur Argoa pinus Pagasea securi;
Jamque eadem remos, eadem dea flectit habenas;
Ipsa subit, nudaque vocat dux agmina dextra.
Exoritur Notus, et toto ratis una profundo
Cernitur: Odrysio gaudebant carmine phocæ;
Apparent trepidi per Phasidis ostia Colchi,
Clamantemque procul linquens regina parentem.
 Urbs erat hic contra, gemino circumflua ponto,
Ludus ubi et cantus, tædæque in nocte jugales,
Regalique toro lætus gener; ille priorem
Deserit: ultrices spectant a culmine Diræ:
Deficit in thalamis, turbataque pellice conjux
Pallam, et gemmiferæ donum exitiale coronæ
Apparat, ante omnes secum dequesta labores:

437. *Flectis.* Engent. — 438. *Ipse subit.* Ald. et Carr. — 439. *Et torto.* Vatic. et Bonon. codd. Junt. Maser. Ald. Engent. *Toto.* Jam Sabell. — 441. *Per* deest in Vatic. cod. *Jam Phasidis.* Bonon. cod. et edd. usque ad Carr. — 444. *Ubi extantus.* Vatic. cod. *Ubi extantum.* Bonon. I. Junt. *Ubi extabat.* Bonon. II. Sabell. Maser. Ald. *Ubi est tantus.* Carr. cod. — 449. *Secum dea questa.* Bonon. cod. Bonon. I et II. *Secum dequesta* pro var. lect. Bonon. cod. Ed.

437. *Eadem dea*, Pallas, *remos flectit et habenas* (vela?); *ipsa subit* operas, labores, *nudaque vocat agmina dextra.*

439. *Exoritur Notus* secundus, favens, *et toto ratis una* (nam prima erat) *profundo cernitur: Odrysio*, Orphei, *carmine gaudebant*, arrectis auribus ludebant circa navem, *phocæ*, delphines atque aliæ marinæ belluæ.

441. *Apparent trepidi Colchi, clamantemque parentem procul linquens regina*, filia regis. Has imagunculas per plures areolas dispersas fuisse, manifestum est.

443. V. *Urbs erat hic contra*, e regione, ἀντικρὺ, *gemino circumflua ponto*, bimaris Corinthus, ubi secundas cum Creusa nuptias celebravit, *ludus ubi et cantus*, læta omnia, *tædæque in nocte jugales*, sponsa in thalamum deducta, *regalique toro lætus gener*, Jason, quod ei Creon, Corinthi rex, filiam collocasset.

445. *Ille priorem* conjugem, Medeam, *deserit: ultrices spectant a culmine* triclinii, lacunaris, *Diræ*, Eumenides.

447. *Deficit*, animi deliquium patitur, *conjux*, Medea, *turbata*, pro-

Munere quo patrias pellex ornetur ad aras
Infelix; et jam rutilis correpta venenis
Implicat igne domos. Hæc tum miracula Colchis
Struxerat Ignipotens, nondum noscentibus, ille
Quis labor, aligeris aut quæ secet anguibus auras
Cæde madens; odere tamen, visusque reflectnnt.
  Quin idem Minyas operum defixerat error,
Quum se Sole satus patriis penetralibus infert.
Filius hunc juxta primis Absyrtus in annis,
Dignus avo, quemque insontem meliora manerent:
Tum gener Albanis Stirus qui advenerat oris;

450. *Ornatur.* Codd. et edd. ante Heins. — 453. *Illa.* Vatic. cod. et edd. ante Heinsium. — 454. *Ali aut.* Vatic. cod. — 456. *Quis idem.* Engent. *Deflexerat.* Carr. II. — 457. *Penetralibus edit.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. Ed.

turbata, thalamo sibi debito ejecta *a pellice*, et, postquam *omnes secum*, tacite, *dequesta*, vehementer questa erat, *labores* pro Jasone susceptos, ærumnas, *pallam*, vestem talarem, *et gemmiferæ coronæ* (Eurip. Medea, 949, πέπλον καὶ στέφος χρυσήλατον) *donum exitiole parat.*

451. *Et jam rutilis correpta venenis* Creusa *implicat igne domos*, non ipsa tantum, sed pater etiam et totum palatium, conflagrat. Valerius eos sequitur, qui peruncta fuisse illa dona tradunt naphtha, quæ, simul ac sole vel alio igne tangitur, ignem statim concipit.

452. *Hæc tum*, jam olim, *miracula*, mira atque portentosa, *struxerat*, cælaverat, *Colchis Ignipotens*, Vulcanus, *nondum* illo tempore *noscentibus*, *quis labor*, quid hæc tam dira sibi vellent, *quæ* femina esset, *aligeris anguibus auras secans*, quod Medeam fecisse mythologi narrant, *cæde madens* filiorum e Jasone conceptorum; *odere tamen*, *visusque reflectunt*, avertunt, non sine horrore aspiciunt.

456. *Quin idem Minyas operum defixerat error*, « id est, ait Burmannus, obscuritas argumenti, quod, quum ignorarent, quid portenderet, attonitos eos reddebat ». — Conf. Phæd. III, 10, 41: *quod ipsos error implicuisset criminis*. Ed.

457. *Quum* rex *penetralia* intrat, et cum eo *filius Absyrtus*, *primis in annis*, florens juvenis, *dignus avo*, Sole, *quemque insontem meliora manerent*, meliori sorte dignus, quam quæ ei postea temporis obtigit. — *Patria penetralia*, i. e. Solis templum, uti supra dixit, v. 405: *huc* adytis *jam se de more* paternis *Rex feret*. Ed.

460. *Tum gener Stirus*, *Albanis qui advenerat oris*, filius regis Albanorum, nuptias cum Medea acturus; *distulerant sed bello toros*, seu nuptias.

Distulerant sed bella toros: tum Phrontis et Argus
Æolidæ, fraterque Melas, quos advena Phryxus
Progenuit, pariterque levi Cytisorus in hasta.
Post alii, quos præcipuo Titania tellus
Legit honore Patres, motique ad prælia reges.
  Admonet hic socios, nebulamque erumpit Iason,
Sideris ora ferens; nova lux offusa Cytæis.
Conveniunt, rogitantque viros, rogitantque, quid ausi,
Quidve ferant. Postquam primis inhiantia dictis
Agmina, suppressumque videt jam murmur Iason,
Talia miranti propius tulit orsa tyranno:
« Rex Hyperionide, quem per freta tanta petundum
Cælicolæ, et prima dignum statuere carina,

461. *Sed bellator ostum*. Male distinctis verbis ut sæpe Vatic. cod. *Sed bellator tum*. Bonon. cod. Bonon. I. Junt. *Sed bella Cytorus*. Bonon. II. *Sed bella Cytoria*. Maser. cum Pio. *Sed bella torum tum*. Ald. Eugent. — 462. *Æoliæ*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I. — 464. *Præcipuos*. Carr. — 465. *Patris... regis*. Vatic. Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Maser. *Pares movitque ad prælia regis*. Ald. *Patres motique ad prælia regis*. Eugent. — 466. *Nebulaque erumpit*. Carr. — 467. *Effusa*. Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Heins. *Offusa*. Gronov. Obss. IV, 21. *Effulsit Ithæis*. Carr. cod. — 472. *Petendum*. Vatic. cod. et Carr. En.

461. *Tum Phrontis et Argus Æolidæ, fraterque Melas et Cytisorus, filii Phryxi* e Chalciope suscepti, ad Æolum genus referentes: vide Tabul. genealog. I.

464. *Post alii, quos Titania tellus*, Soli dicata, Colchis, *præcipuo honore Patres*, senatores, *legerat, motique*, excitati, *ad* instantia *prælia reges*, duces.

466. *Admonet hic socios, nebulamque* (noli mutare in *nebula*, nam et alia ejusmodi verba, *exire, excedere*, etc. et quartum et sextum adsciscunt casum) *erumpit, sideris ora ferens*, pulchritudine insignis; *nova lux offusa Cytæis*, Colchis, in templo Solis congregatis, novus tamen splendor accessisse videtur: audacius dictum!

468. *Conveniunt, rogitant*, iterum iterumque exquirunt.

469. *Postquam primis dictis inhiantia agmina*, i. e. cupide exspectantia, quidnam dicturus esset, *Jason videt, propius tulit tyranno miranti orsa*. Sic ordines, velim, verba, hoc sensu: propius accedens hæc verba facit ad regem, audax facinus admirantem.

472-519. Oratio ipsa Jasonis modestiam miscet gravitati. *Rex Hyperionide*, fili Solis, *quem* et ipsi *cælicolæ*, dii, *dignum* habuere, ad quem

Si quando hic aliquam nostro satus orbe solebat
Thessaliam, si quos Phryxus memorare Pelasgos;
Hi tibi, tot casus, horrenda tot avia mensi,
Cernimur; ipse egomet proprio de sanguine Phryxi:
Namque idem Cretheus ambobus et Æolus auctor
Cum Jove, Neptunoque, et cum Salmonide Nympha.
Meque nec huc enses, aræque egere paternæ;
Nec tua, Thessalicis quamquam inclyta nomina terris,
Sponte sequor: cui non jusso tot adire voluptas
Monstra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
Sceptra tui toto Pelias sub numine Phœbi
Maxima sorte tenens, totque illa creantia divos
Oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu;

480. *Me neque nunc.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Heins. — 484. *Sub lumine.* Sabell. ex conjectura. — 485. *Maxima oste tenens totque illacremantia d.* Vatic. cod. *Maxima ab hoste tenens totque illa cremantia d.* Bonon. cod. *Maxima ab hoste tenens totque illacrimantia d.* Edd. ante Heins. Ed.

tanta, tot, *per freta primam* mitterent *carinam*, navem.

474. *Si Phryxus*, qui gener nuper tuus, *nostro satus orbe*, popularis noster, de Thessalis Pelasgis Græcisve tibi narravit, en tales adsumus.

477. *Ipse egomet* cognatus Phryxi; *ambobus Cretheus et Æolus auctor:* de Æolo recte, de Cretheo non item, quod non tam jactantiæ Jasonis ipsius, quam librariorum incuriæ tribuendum. Valerio suum sibi restituisse videtur Burmannus ita: *Nempe mihi Cretheus, ambobus at Æolus auctor.*

479. *Neptunoque.* Hic vero remotior est, Æsonis nempe, patris Jasonis, quodammodo vitricus. *Salmonis Nympha* est *Tyro*, Salmonei filia, materque Peliæ. Vid. Pindari Pyth. IV, 242, ubi Pelias Τυροῦς ἐρασιπλοκάμου γενεᾶ· vid. Tabb. geneal. Omnino poetæ, ubi formosissimas antiquitatis feminas enumerant, haud facile eam omittunt. Vide, v. c. Ovidium, Heroid. XIX, 131, et Propertium, II, 21, 51.

480. *Nec enses, nec aræ paternæ*, non timor patris, qui me, ut Phryxum Athamas, ad aras vellet jugulare.... *nec tua nomina*, famam, quanquam Græcis notissimam, *sequor sponte:* nam quis *non jussus*, nisi alius imperio coactus, *tot monstra*, pericula, *maris*, *Cyaneosque intrare fragores* audeat?

484. Immo *Pelias*, *sceptra tui toto sub numine* (sic posui cum Dorvillio ad Charitonem p. 573; ed. Lips. pro *nomine*) *Phœbi maxima sorte tenens*, cui omnium, quotquot a sole illustrantur, amplissimum contigit regnum, cujus imperio parent *tot creantia divos oppida*, tot deorum

Ille meum imperiis urget caput, ille labores
Dat varios; suus ut magnum rex spargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipse satus; tamen aspera regum
Perpetimur juga, nec melior parere recuso.
Hic sibi me auratæ pecudis quiscumque periclis
Exuvias perferre jubet: tibi gratia nostri
Sit precor hæc, meritique locus, quod jussa recepi,
Teque alium, quam quem Pelias speratque cupitque,
Promisi, et meliora tuæ mihi fœdera dextræ.
Si petere hoc sævi statuissem sanguine belli,
Ossa dabat Pindusque rates, quotque ante sequuti
Inde nec audacem Bacchum, nec Persea reges.
Sed me nuda fides, sanctique potentia justi

489. *Tantum aspera* citat Maser. — 494. *Alium quemque.* Vatic. et Bonon. codd. *Alium quamquam.* Junt. — 497. *Quodque.* Vatic. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. *Quique.* Engent. cum Pio. — 499. *Sed mea.* Junt. et aliæ usque ad Carr. Ed.

incunabula, *tot vigili pulcherrima flumina cornu.* Cornua fluminum pro fluminibus ipsis; sed cur *vigil?* Quod si sensum habet, non alius is esse potest, quam quem clar. Lenzius excogitavit: aquam vivam et perennem habentia. Possis tamen etiam cum Heinsio reponere *viridi*, silvis et pratis cincto.

487. *Ille meum imperiis urget caput*, vitæ periculis me exponit, *suus ut magnum rex spargit*, modo in hanc, modo in illam terram mittit, *Herculem Sthenelo satus*, Eurystheus.

489. *Tamen aspera* uterque *perpetimur juga; nec melior parere recuso*, nec ego me meliorem Hercule puto, cui, ipsius Jovis filio, si talia perpetienda fuerint, cur ego recusem?

491. Hic igitur Pelias *auratæ pecudis exuvias*, Æoliæ pecudis aurum, VII, 54, *perferre jubet.*

492. Haud timeo, me displiciturum tibi, qui hæc Peliæ jussa exsequenda susceperim, immo *tibi gratia nostri sit, precor, meritique locus*, gratiam spero habebis mihi, et in merito pones, *quod te alium, quam quem Pelias speratque cupitque, promisi*, non tam immitem, quam ille te putat, credidi, *et meliora tuæ mihi fœdera dextræ*, te fœdus amicitiæ mecum initurum.

496. *Si petere hoc sævi statuissem sanguine belli*, vi et armis, *Ossa Pindusque*, Thessaliæ montes, *naves dabant*, totque milites, *quot nec audacem Bacchum* (*audax Liber*, Hor. Od. I, 12), *nec Persea, reges*, duces, *sequuti* sunt *ante*, olim.

499. *Sed me nuda fides*, fiducia tui, *sanctique potentia justi*, persuasio, tantum apud te valiturum justitiæ atque æquitatis amorem, et

Hnc tulit, et medii sociatrix gratia Phryxi,
Jamque tibi nostra geniti de stirpe nepotes.
Nec tamen aut Phrygios reges, aut arva furentis
Bebryciæ spernendus adi; seu fraude petivit,
Seu quis honore meos, sua reddita dona; deumque
Nos genus, atque ratem magnæ sensere Minervæ.
Vix tandem longis quæsitam Colchida votis
Contigimus, qualemque dabat te fama, videmus;
Tu modo ne claros Minyis invideris actus.
Non aliena peto, terrisve indebita nostris,
Si quis et in precibus vero locus, atque ea Phryxo
Crede dari, Phryxum ad patrios ea ferre penates.
Munera tu contra victum mihi vecta per æquor
Accipe, Tænarii chlamydem de sanguine aheni,
Frenaque, et accinctum gemmis fulgentibus ensem:
Hoc patrium decus, hæc materni texta laboris,

500. *Ae medii.* Vatic. Bonon. codd. et edd. antiqq. *Atque mei.* Carr. — 501. *Namque.* Eugent. cum Pio. — 503. *Petivi* et v. seq. *meo.* Carr. cod. — 515. *Labores.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Burm. præter Maser. Ed.

memoriam Phryxi, filiosque ejus, *tuos nepotes*, ex eadem mecum stirpe ortos, tuam mihi amicitiam conciliaturos.

502. *Nec tamen, aut Phrygios reges, aut Bebryciæ arva spernendus*, non sine laude, *adii; seu fraude quis petivit*, ut Amycus, *seu honore*, ut Phineus et Lycus, *meos*, me comitesque, *sua* cuique *reddita dona* (vox h. l. ambigua), pro merito quemque tractavi; *deumque nos genus (magnos deum natos*, I, 1*)*, *atque ratem sensere Minervæ.*

506. *Vix tandem*, multis exantlatis laboribus, diu exoptatam *Colchida* attigimus.

509. Possem equidem dicere, non aliena me petere, quum aureum vellus terris nostris, unde ad vos pervenit, debeatur, malo attamen precibus uti, *atque ea crede Phryxo dari.*

512. Tandem haud leve pondus orationi addit Jason: *Munera victum per æquor*, in tot periculis maris, vix servata *accipe*.

513. *Tænarii*, Laconici, *chlamydem*, paludamentum, *de sanguine aheni*, purpura tinctam, *frenaque et accinctum*, distinctum, *gemmis ensem.* Acute clarus *Jacobs*, in Miscell. philol. p. 81, *accensum*, i. e. splendentem, legit.

515. *Hoc*, hic ensis (δεικτικῶς), *patrium decus*, *hæc* (chlamys) *ma-*

His Lapithes assuerat eques. Da jungere dextram,
Da Scythicas sociare domos; sciat effera regis
Ira mihi, quem te horrifero sortitus in axe
Caucasus, atque tuis quantum mitescat habenis ».
Talibus orantem vultu gravis ille minaci
Jam dudum fremit, et furiis ignescit opertis.
Ceu tumet, atque imo sub gurgite concipit Austros
Unda silens; trahit ex alto sic barbarus iras,
Et nunc ausa viri, nunc heu! sua prodita Graiis
Regna fremit; quin et facili sibi mente receptum

516. *Jungere dona.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. — 519. *Mitescat arenis.* Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Engent. Similem variationem vide infra v. 609. — 521. *Ignoscit.* Vatic. Bonon. et Burmann. codd. Bonon. I. Junt. Ald. *Apertis.* Carr. — 524. *Et nunc causa.* Vatic. et Bonon. codd. Ed.

terni texta laboris, his, (frenis) *Lapithes assueverat*, usus est, *eques.*

516. *Da jungere dextram*, pignus amicitiæ, *da Scythicas sociare domos* (III, 14, *manibus datis junxere penates*), fœdus hospitii mutui ineamus.

517. *Sciat effera regis ira mihi*, audiat Pelias mihi infensus, *quem*, quam mitem atque placidum, *te Caucasus in axe horrifero*, sub cælo frigido, *sortitus, atque tuis quantum mitescat habenis*, quantum proficiant, te imperante, in animorum cultura cives. — Egregia hæc oratio ut eximium artis præcipuæ specimen haberi potest. Si conferatur Apollonius, major eminet apud Valerium dignitas, nisi quod aliquantulum jactantiæ deprehendas; submissior Apollonii Jason, sed et callidior: qui quidem omnem ad animum Æetæ sibi conciliandum orationem dirigit; Valerii contra, ut exterreat, hoc sibi sumpsisse videtur: *non aliena, non indebita*, suam nempe ac debitam rem, *petit*: vellus, tamquam lite ac judicio, persequitur; apud Apollonium, quid optet, humiliter ac demisse exponit. Ed.

520. *Talibus* dictis *orantem* Jasonem *vultu gravis ille, Æetes, minaci*, ad severitatem composito et austero, *premit* (sic scripsi pro *fremit*), territat, *et furiis ignescit opertis*, ardet animus ira, quam tamen comprimit, dissimulat.

521. *Jam dudum fremit.* Vid. ad calcem hujus libri not. 520. Ed.

522. *Ceu tumet atque imo sub gurgite concipit Austros Unda silens*, fluvius, alias lenis, subterraneis ventis in fluctus attollitur; *trahit ex alto*, imo, *pectore sic barbarus iras.*

524. *Et nunc* (oh, propter) *ausa viri, nunc sua prodita Græcis Regna fremit*, ira æstuat; *facili sibi mente*, tam amice, olim *receptum Phryxum dolet, et Scythiæ periisse timores*, contemni, nihili nunc haberi Scythiam, gentibus olim timendam.

Jam Phryxum dolet, et Scythiæ periisse timores.
Nunc quassat caput, ac juvenis spes ridet inanes,
Quid vesanus agat, quod vellera poscat ab angue.
Urit et antiquæ memorem vox præscia sortis,
Cur simul aut Persen illinc sibi moverit, aut hinc
Thessalicam Fortuna ratem; num debitus ista
Finis agat, sævæque petant jam vellera Parcæ.

Interea, quoniam belli pugnæque propinquæ
Cura prior, fingit placidis fera pectora dictis,
Reddit et hæc: « Cuperem haud tali vos tempore tectis
Advenisse meis, quo me gravis assidet hostis.
Frater enim (sceptri sic omnibus una cupido)
Excidium parat, et castris me ingentibus urget.
Quare, age, cognatas primum defendite sedes,
Nec decus oblati dimiseris advena belli,

527. *Et juvenis*. Bonon. cod. et edd. ante Carr. II. *Inanis*. Bonon. et Burmann. codd. Junt. Engent. — 530. *Cur simul ac*. Vatic. Bonon. Burm. codd. et Bonon. I. 535. *Haud ali* pro *haud tali*. Vatic. cod. *Haud alii*. Bonon. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. Ald. Engent. — 536. *Obsidet*. Bonon. cod. Bonon. II, et edd. ante Heins. En.

527. *Nunc quassat*, concutit, *caput, ac juvenis spes ridet* tacite secum *inanes, quod vellera poscat ab angue*, a dracone, tam diro custode.

529. *Urit*, angit, *et antiquæ memorem vox præscia sortis*, oraculum, cujus memor, jam videre sibi videbatur, *cur Fortuna simul*, uno eodemque tempore, *hinc Persen, hinc Thessalicam ratem moveret*, contra se excitaret; *num debitus finis*, fatum sibi destinatum, *ista*, hæc *agat, sævæque petant jam vellera Parcæ*.

533. *Interea, quoniam belli cura prior*, potior, *fingit*, format dolose, dissimulanter, *fera pectora placidis dictis*, ad verba placida, atque sic respondet tandem Jasoni. — Valerius Æeten subdolum finxit; sed Apollonius, contra, vehementem et iracundum, verisimiliusque, utpote barbarum. En.

535. Mallem alio tempore huc venissetis; *gravis jam me assidet hostis:* infrequentior τοῦ *assidere* quarto casui juncti usus.

537. *Sceptri sic omnibus una cupido*. Voce *omnibus* tacite et oblique comprehendit ipsos Argonautas, in quo præferendus Valerius Apollonio, qui aperte hoc iisdem exprobrat, III, 375 et 597.

539. *Quare age, cognatas*, cognatum enim te antea professus es, *defende terras*, neque rerum fortiter gerendarum *decus dimittas*.

Namque virum trahit ipse chalybs; tum vellera victor,
Tum meritis, nec sola dabo ». Contra inscius astus,
« Ergo nec hic nostris deerat labor arduus actis,
Excipit Æsonides, et ceu nihil æquore passis
Additus iste dies! veniant super hæc quoque fato
Bella meo! non hunc parva mihi cæde dolorem,
Quasque dedit, luet ille moras ». Tum Castora mittit,
Qui ferat Ææi sociis responsa tyranni.
  Acribus ast illos curis mora sæva trahebat;
Ac simul ut medio viderunt Castora campo,
Crebrior incussit mentem pavor: « O Jovis alma
Progenies, fare, an patriam spes ulla videndi,

542. *Inscius acti.* Carr. cod. omisso versu sequenti. — 547. *Levet.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Ed.

541. *Namque virum* fortem *trahit ipse chalybs*, ferrum, ensis; non eget adhortatione, quem strenua manus ad pugnas rapit. Ad verbum expressa ex Homero, Odyss. XVI, 294, et XIX, 13: αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος, quæ ad aliam rem accommodavit Juvenalis, IX, 37, ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος, ubi v. cl. *Ruperti.* —*Tum victor*, quando victoriam a fratre tecum reportavero, *tum* (non odiosa, quod Burmannus vult, sed emphatica, et huic loco aptissima ejusdem verbi repetitio) *meritis*, nam nunc temere petis, *vellera, nec sola*, aliis additis donis, *dabo*.

542. *Contra inscius astus*, dolum insidiasque regis subesse non suspicatus, Jason *excipit*, respondet ita, ut facturum se quidem, quod rex velit, invitum tamen ostendat.

543. *Ergo nec hic labor deerat*, et quasi non satis per maria passus essem, *additus iste dies*, quo ad nova pericula provocor! Sit ita: *veniant super* (præter) *hæc bella quoque fato meo*, si fatum ita velit.

545. *Additus iste dies.* Heinsius, cui satis unnquam fieri potest, mallet *additur.* Ed.

546. *Non hunc parva mihi cæde* luet *dolorem, quasque dedit, luet ille moras.* Hæc secum, saltem non audiente rege, dixisse existimandus est Jason: Graviter luet rex Æetes hunc mihi impositum laborem, graviter luet, quas mihi objicit moras. — Piget in loco tam facili talem virum errantem deprehendere: *ille* hostem Æetæ, non Æeten, ullo absque dubio indicat. Ed.

549. Socios mora longa curis impleverat. *Ac simul ut* (usitatius *simul ac*, auribus vero consuluit poeta, ne bis poneret *ac*) *medio campo* conspexerunt *Castora*, *crebrior incussit*, percussit, *mentem pavor.*

551. *O Jovis* fili, *fare*, *fare* (vix exspectare possunt), *omnes* uno ore

Fare », omnes. Ille in mediis sic orsus Achivis:
« Nec ferus Æetes, ut fama, nec aurea nobis
Terga negat; bello interea sed pressus iniquo
Auxilium petit; armatos dux protinus omnes
Accelerare jubet: longo nam tuta recessu
Puppis, et opposita fluvius defenditur urbe. »
Haud mora, prosiliunt, quos nec Rhipæa juventus,
Quos nec Iber, aut tota suis Aurora pharetris
Sustineat; stetit explicito prius agmine pubes,
Expertique simul, si tela artusque sequantur.
Nec quisquam freta, nec patrias jam respicit urbes,
Sed magis ad præsens itur decus. Incita cristas
Aura quatit, variis floret via discolor armis,
Qualis ab Oceano nitidum chorus æthera vestit;
Qualibus assurgens nox aurea cingitur astris.

553. *Fare omnis.* Vatic. et Bonnn. codd. Bonnn. I. Junt. *Fare avidis.* Pomponius Lætus ex conj. apud Pium, Eugent. *Fare tuis.* Carr. — 558. *Et apposita.* Vatic. Bonon. codd. et edd. usque ad Eugent. qui *opposita* cum Pio. — 560. *Aut tuta.* Bonnn. cod. et edd. ante Carr. II. — 562. *Arcusque.* Pius, Eugent. — 565. *Decolor armis.* Carr. *Arvis.* Bonnn. et Burm. codd. — 565. *Æthera versat.* Edd. ante Carr. Ed.

exclamant, *an patriam spes ulla videndi.*

553. Respondet Castor: *Nec ferus rex*, immitis, *ut fama* ferebat, *nec* vellus *negat, sed bello pressus auxilium petit*, implorat nostrum.

556. Jason igitur *accelerare omnes* per me *jubet;* nec navi timeatis: *longo nam tuta recessu puppis, et opposita*, e regione (melius forsan *apposita*, in propinquo posita), *fluvius defenditur urbe.*

559. *Rhipæa juventus*, Scythæ; *Aurora*, orientalis plaga; *experti, si* (an) *tela artusque sequantur*, officia faciant, an, quas remis diu applicuissent dextras, ad arma sequaces adhuc habeant. — « *Sequi* omnia dicuntur quæ usum sui facilem præbent ». Sic Burmannus. Ed.

564. *Incita aura*, ventus, *cristas quatit*, movet; *variis floret*, jucundum aspectum præbet, *via discolor armis.*

566. *Qualis ab Oceano* oriens *chorus* stellarum *æthera nitidum vestit; qualibus assurgens nox aurea cingitur astris.* Alteruter horum versuum abesse poterat, et acute Bulæus conjicit, si poetæ sint, secundis adhibitis curis, uter esset melior altero eum electurum fuisse. Burmannus in posteriori editione *noctem auream* exponit *lunam*, cui tamen contra-

Illos Sole satus, tacita mœstissimus ira,
Miratur temere assumptos, nec talia mallet
Robora, quam medios hostem subiisse penates.
Interea læto patitur convivia vultu,
Et juxta Æsoniden magno cratere lacessit,
Nunc sibi monstrantem natos Jovis, oraque juxta
Æacidum, nunc ingentes Calydonis alumnos;
Audit et Alciden infando errore relictum,
Defletosque duces, terræque marisque labores.
Ipse autem tantis concita furoribus arma
Expetit Æsonides, et amicos ordine reges:
« Quis procul ille virum nobis, quem balteus asper
Subligat, et stricto stat proximus armiger arcu,
Ceu pugnam paret, et positas confundere mensas? »

571. *Potitur*. Carr. cod. *Convivia cultu*. Vatic. cod. Junt. Maser. Engent. Carr. et Heinsius in notis. — 574. *Ingentis*. Vatic. Bonon. codd. et edd. usque ad Carr. II. Ed.

rium est, quod luna sit una, Argonautæ autem plures.

568. *Illos* Æetes mœstus iratusque *miratur, temere*, cupide, inconsulto, *assumptos* belli comites, *nec talia mallet robora*, viros fortes, *quam medios hostem subiisse penates.*

571. *Interea læto patitur*, non recusat, *convivia vultu* lætitiam præferente simulatam, *et juxta* se accumbentem *Jasonem magno cratere lacessit*, ad bibendum provocat, *nunc sibi monstrantem natos Jovis*, Castora et Pollucem, *oraque juxta Æacidum*, Pelea et Telamonem, *nunc ingentis Calydonis alumnos*, Tydea et Meleagrum.

575. *Audit et* Herculem *nefando*, infausto, *errore relictum*, *defletosque duces*, Idmona et Tiphyn.

577. Jason vicissim petit a rege, ut *tantis concita furoribus arma*, occasionem tam gravis belli, *et amicos ordine reges*, duces (Homeri κοίρανος), vel regulos vicinos, enumeret.

579. Asteriscum, ut suspectus, præfixum habet, sine causa. Heinsius corrigit: *Quis procul ille, humerum nodis cui balteus asper Subligat;* Burmannus locum nondum persanatum existimat, quem ego integerrima sanitate gaudere video. *Quis procul ille virum* (virorum) *nobis* (admirationem exprimit, et cupiditatem noscendi hominem), *quem balteus asper subligat*, distincto bullis aureis balteo cinctus, *et stricto*, adducto, ad sagittas mittendas parato, *stat proximus armiger arcu, ceu pugnam paret, et positas* (paret) *confundere*, proturbare, *mensas?*

Contra, flammigeri proles Perseia Solis:
« Quem rogitas, Carmeius, ait; mos comminus arma
Semper habere viro, semper meminisse pharetræ.
Quid Latagum, quid si amnigenam mirere Choaspem?
Bellatoris equi potantem cerne cruores;
Nec tamen immissis hic segnior ibit habenis ».
« Illum, ait Æsonides, pariter refer, horrida signis
Cui chlamys, et multa spirat coma flexilis aura ».
Respicit Æetes, atque hunc quoque nomine reddit:
« Dives Aron; croceos sic illius omnis odores
Jactat eques, unctis sic est coma culta maniplis;
Sed nec sperne virum, et comptis diffide capillis.
Campesus hic spoliis in tigridis, ille profundo

585. *Choassen*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Engent. — 587. *Hic genitor*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I, Junt. Ald. *Genitor sic*. Carr. cod. *Hine segnior*. Burm. in notis. — 592. *Junctis*. Vatic. et Bonon. codd. Ald. *Vinctis*. Bonon. I et II. Junt. Maser. Engent. *Unctis*. Jam Pius. — 593. *Sed ne*. Vatic. cod. Hic versus desideratur in Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 594. *Intigris*. Vatic. cod. *Insignis*. Bonon. cod. quum hunc versum repetit post v. 612. Ed.

582. *Contra Æetes: Mos huic* est, *comminus*, in promptu, *semper habere arma*, *semper meminisse pharetræ*, nunquam manibus eam deponere.

585. *Amnigenam Choaspem* nomen habentem a fluvio Choaspe; v. Tibullum, IV, 1, 140. Omnino enim, Virgilio præeunte, nomina militum, in primis ducum depugnantium, ab urbibus, insulis, populis, fluviis regionum, in quibus nati erant, desumpta. Sic in sequentibus a fluminibus denominati *Odrussa*, infra, 595; *Iaxartes*, 597; *Rhyndacus*, III, 35, coll. VI, 220.

587. *Nec tamen immissis* (Cic. ad Div. X, 30, *immittere equum*; VI, 303, *admissis*, ubi v. not.), laxatis, *hic segnior ibit habenis*, alacer eques. — *Hic non segnior ibit*. Hæc verba non equitem, sed equum spectant, amisso sanguine, non minus alacrem. Ed.

588. *Cui horrida*, i. q. paullo ante *aspera*, cui variæ figuræ intextæ, *signis chlamys* est, *et multa spirat coma flexilis*, in cirros collecta, *aura*, odoribus. — Sic Virgil. Georg. IV, 417: *dulcis spiravit crinibus aura*. Ed.

591. Non ipse solum odoratos habet capillos, sed totius exercitus, totius adeo gentis hic mos est; *sed nec sperne virum*, tanquam mollem et effeminatum, *et* (neque) *comptis diffide capillis*, tanquam hominis imbellis.

594. *Spoliis tigridis*, pelle detracta, exuviis. *Ille profundo incumbens intero* (digito monstrat), cupide vi-

Incumbens Odrussa mero; viden' alta comantem
Pectora, et ingenti turbantem pocula barba? »
Hic et Iaxarten dictis stupet hospes acerbis
Immodicum, linguaque gravem, cui nulla minanti
Non Superum, non præsentis reverentia belli.
Contra autem Æetes: « Non frustra magna superbo
Dicta volant, ait, et vocem paria arma sequuntur;
Nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget;
Atque ubi Rhipæa stupuerunt flumina bruma,
Jam pavidi cum prole Getæ, jam pervigil illum
Medus, et oppositis exspectat Iberia claustris.
Hos autem quæ quemque manus, quæ signa sequantur,
Si memorem, prius humentem lux solverit umbram.

595. *Gedrussa*. Bonon. cod. *Vide lata comantem*. Vatic. Bonon. codd. et edd. ante Heins. præter Eugent. — 597. *Laxarten*. Junt. Ald. *Hostis acerbis*. Bonon. cod. et Bonon. I. — 606. *Nos autem*. Bonon. cod. *Magnus signa* pro *manus signa*, omissa τοῦ *quæ* repetitione, Vatic. cod. *Quæcumque manus sua signa*. Junt. Maser. Ald. Carr. *Et quæcumque manus sua signa*. Eugent. Ed.

num hauriens a fundo, ἀμυστὶ bens, ita ut ne gutlula quidem remaneat.

595. *Videsne alta comantem pectora*, carnosa pectora hirsutum, *et ingenti turbantem pocula barba?* lepida hyperbole!

597. *Hic et Iaxarten stupet hospes*, Jason, *dictis acerbis immodicum; linguaque gravem*, linguæ dicaci non temperantem, rixosum, *cui nulla* (hoc Heinsius mutare jubet in *multa*, ob sequens *non*. Nihil opus est.) *minanti*, irato, *non Superum*, deorum, *non præsentis reverentia belli*, ubi amicis parcere, iram in hostes potius profundere deberet.

600. *Non frustra magna superbo dicta volant*, non inanis est jactator; *vocem paria arma sequuntur*, manu non minus, quam lingua promptus ille est.

602. *Marte diem noctemque fatigat* (v. supra, 142); *atque ubi Rhipæa*, Scythica, *bruma flumina stupuerunt*, exquisite pro, glacie constringi cœperunt. Commode laudat Burmannus Plinium, XIV, 21: *Vini natura non gelascit alias, ad frigus stupens tantum*.

604. *Jam pavidi cum prole*, uxoribus et liberis, *Getæ, jam pervigil*, excubiis positis, *Medus*, *et oppositis eum exspectat*, ejus adventum timet, *Iberia claustris*, portis, angustis montium aditibus.

607. *Si memorare velim*, *prius humentem*, roscidam, *lux*, aurora, *solverit*, disjecerit, *umbram*, noctem. Ornate, pro: sol prius orietur.

Cras acies, atque illa ducum cras regna videbis
Dissona, saxiferæ surgat quibus imber habenæ;
Quæ jaculo gens apta levi, quæ picta pharetris
Venerit. Ingentes animo jam prospice campos,
Atque hanc alipedi pulsantem corpora curru
Euryalen, quibus exsultet Mavortia turmis,
Et quantum elata valeat peltata securi,
Cara mihi, et veras inter non ultima natas ».
Fatur, et occiduo libat cratera parenti.
Quisque suis tum vota deis et pocula fundit,
Dent aciem, dent belligeros superare labores.
  Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris,
Ingentemque trahens Arctoa per æquora nubem,
Aspicit Ææa Minyas stupefactus in urbe,

609. *Imber arenæ*. Bonon. I et II. Junt. Ald. Carr. *Habenæ* jam restituerant Sabell. Pius, Maser. — 612. *Pulsantem cornua*. Maser. sed unde hauserit incertum. *Cornua* probant Voss. et Heins. Post hunc versum repetit Bonon. cod. vers. 594 : *Campesus*, etc. — 618. *Acies*. Junt. et seqq. usque ad Carr. — 621. *Aspicit Æetæ*. Carr. cod. et ed. II. Ed.

608. *Cras acies videbis, et ducum regna*, populos, *dissona*. Possis proprie sumere: qui diversis linguis, dialectis saltem utuntur; malim tamen, ampliori sensu, omnino discrepantia, diversa, præsertim variis armorum generibus, quæ in sequentibus enumerantur, nempe, 609, *saxiferæ surgat quibus imber habenæ*, qui lapides, imbris instar, e fundis jaciunt; *quæ jaculo gens levi apta, quæ picta* (pictis) *pharetris*.

612. Vide et Euryalen, Amazonum reginam, *alipedi*, celeri, *pulsantem*, proculcantem, *corpora curru*, *quibus exsultet Mavortia*, heroina, *turmis* equestribus, *et quantum elata securi*, bipenni, *valeat peltata*, minori clypeo latus sinistrum munita, *cara mihi*, *et veras inter non ultima* (λιπότης) *natas*, prima, quam æque saltem amo ac naturales natas, Chalciopen et Medeam.

616. Tum vero Æetes *libat occiduo parenti*, Soli; reliqui suis quisque diis, ut in prælio se adjuvent.

619. Prius vero, quam ista in terris prælia committat poeta, velitationem verborum præmittit in Olympo exortam. *Ecce Gradivus veniens a Getis*, nam gentes ad septemtrionem habitantes Martem in primis coluisse notum est, *ingentem per Arctoa æquora trahens nubem*, tempestatem, videt Argonautas, videt *ambitum senem*, audit appellatum de vellere tradendo regem, vellusque jam promissum.

Ambitumque senem, promissaque vellera puppi
Thessalicæ; citus ad summi stellantia patris
Tecta ruit, questuque Jovem testatur acerbo:
« Quæ studiis, rex magne, quies? jam mutua Divi
Exitia in solos hominum molimur honores,
Teque ea cuncta juvant, rabidam qui Pallada cælo
Non abigis, neque femineis jus objicis ausis.
Non querar, exstructa quod vexerit ipsa carina
Vellera sacra meis sperantem avertere lucis,
Quodque palam tutata viros; sic cætera pergat,
Si valet, insidiis quæ nunc fallacibus ambit,
Nostra ut Phryxeo spolientur templa metallo.
Non opus auxilio Colchis, nec fœdere vestro;
Et Persen simul, et Minyas deposcimus hostes.
Quin age, quid tantæ coeunt in prælia gentes?
Quid tuus Æsonides? imus nos, protinus imus

625. *Mutua*, *vidi*. Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Heins. *Divi*. Gronov. Obss. IV, 21. — 629. *Num queror*. Vatic. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Engent. *Nunc queror*. Bonon. cod. *Non queror*. Bonon. II. Maser. *Num querar*. Carr. — 632. *Quid nunc*. Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. Ed.

623. *Citus ad summi stellantia patris tecta ruit* cum impetu, *questuque Jovem testatur*, obtestatur, *acerbo*; vid. Virgil. Æn. X, 16 sqq. ubi Venus et Juno coram Jove altercantur.

625. *Quæ studiis*, i. e. factionibus, *quies? jam mutua Divi exitia*, nos dii odia et inimicitias exitiales exercemus invicem, et quare? *in solos hominum honores*, ut hominibus faveamus.—Cf. Hom. Il. I, 574: σφὼ ἕνεκα θνητῶν ἐριδαίνετον ὧδε. Ed.

627. *Teque*, mi pater, *ea cuncta juvant*, miror, te his delectari posse, *rabidam* (Martiale encomium!) *qui Pallada cælo non abigis*, *neque femineis* (contemptim) *jus objicis ausis*, qui auctoritate tua ea non reprimis?

629. *Non querar*, nam leve est, *exstructa quod vexerit carina*, adeo se abjecerit, ut manum *ipsa* rati remisque admoveret, veheretque, *sperantem*, inani spe implentem Jasonem, *vellera se sacra aversurum*.

635. *Et Persen simul et Argonautas deposcimus hostes*, utrosque solus in me suscipio.

636. *Quin age* (jam se convertit orator ad Palladem ipsam), dic, *cur tot gentes coeunt in prælia? quid tuus* Jason? oratio abrupta, et cumulatis interrogationibus, quod facere solemus ira commoti; *imus nos*, *et protinus* quidem *imus*, *et armis decernimus?*

In nemus auriferum, et sumptis decernimus armis?
Vel tu sola polo tacitis inopina tenebris
Labere: quantus ibi deus, experiere, nec illas
Adstiteris impune trabes; an Martia templa
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, et agger
Quod rudis, et sola colimur si gentibus umbra?
Est amor, et rerum cunctis tutela suarum;
Et tibi, magne pater, terris donaria certant;
Est honor his etiam suus: anne ego clara Mycenes
Culmina, virgineas præder si Cecropis arces,
Jam conjux, jam te gemitu lacrymisque tenebit
Nata querens? metuant ergo, nec talia poscant».
  Non tulit hæc animis, quin longa silentia Pallas

642. *Tantus mihi luctus et agger.* Vatic. cod. *Tantus mihi luctus et angor.* Bonon. cod. et edd. ante Carr. — 643. *Colimus.* Vitiose Junt. Ald. *Colimur frigentibus.* Carr. — 645. *Magna.* Vatic. et Bonon. codd. — 646. *Suus. Ego.* Vatic. cod. *Suus. Ac ego.* Bonon. cod. *S. at ego.* Bonon. I. Junt. Ald. *S. ast ego.* Bonon. II. Maser. Eugent. *Chara.* Codd. et edd. ante Carr. — 649. *Nec talia possint.* Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. Mascr. Eugent. *Possunt.* Bonon. II. *Poscant.* Ald. ex conj. Ed.

639. *Vel tu sola tacitis inopina tenebris polo labere*, etiamsi furtim nebulis involuta in terram descendas, *quantus ibi deus*, mecum tibi rem esse, *experiere, nec illas adstiteris impune trabes*, male tibi cedet, si ad lucum, templum meum, deprehendere.

641. *An Martia templa intemeranda minus*, ideo violare liceat, *quod mihi tacitus*, silens, quietus, *lucus*, *quod rudis agger*, ara ex cespitibus aggesta, *et sola*, solitaria, remota, *colimur si gentibus umbra*, silva, quod non tam magnifica templa habeam, quam alii dii?

644. *Est amor et rerum cunctis tutela suarum*, suum quisque, etiamsi non adeo magni pretii sit, amare solet et tueri.

645. *Et tibi, magne pater, terris donaria certant.* Cave statuas, hypallagen; ut dicere voluerit poeta, terræ donariis certant. Longe suavior magisque poetica est prosopopœia, ipsa donaria certant, quod maxime placeat, acceptum sit Jovi. *Est honor his*, meis, *etiam suus.*

646. *Anne ego clara Mycenes culmina*, templum Junonis Argivæ, *virgineas præder si Cecropis arces*, Palladi Athenis consecratas, *jam conjux, jam* (jucunda repetitio) *te gemitu*, nec gemitu solum, sed *et lacrymis* tenebit filiola *querens? metuant ergo, nec talia poscant.* Fallor,

Rumperet, irridens strepitumque minasque Gradivi :
« Non tibi Bistonidæ, quibus hæc fera murmura jactes,
Non Lapithæ, sed Pallas, ait; neque ego ægide digna,
Nec vocer ulterius proles Jovis, excidat iste
Ni tibi corde tumor; lituos mox armaque faxo
Oderis, et primis adimam tua nomina bellis.
Quin simili matrem demens gravitate sequutus?
Digna quidem, monstrum superis quæ tale creavit.
Quod tamen aggressæ scelus, aut quo crimine sontes,
Si juvenem, qui jussa sui tam dira tyranni
Impavidus maria et nondum qui nota subibat,
Juvimus, et magnis aliquam spem movimus ausis?

652. *Non tibi Aolidæ.* Vatic. cod. *Æolidæ.* Bonon. cod. Bonon. I. *Aloidæ.* Bonon. II. Junt. Maser. Ald. *Aloiadæ.* Engent. — 654. *Excidit.* Vatic. et Bonon. codd. — 655. *Lituos miser.* Vatic. et Bonon. codd. et edd. ante Carr. Ed.

an eum verborum delectum habere volnit poeta, ut *gemitus* et *poscant* ad Junonem, cui, nt matri, parcere Mars voluerit, *lacrimæ* autem et *metuant* ad Palladem referenda sint? Sed hoc est argutari. — Argutiæ meræ. Ed.

652. Jam contra insurgit Pallas. *Non tibi Bistonidæ*, Thraces, *non Lapithæ, quibus hæc fera murmura* (rectius *jurgia*, quod Heinsius vult, murmuribus enim obstant præcedentes *strepitus*) *jactes, sed Pallas*, quod gravius, quam si dixisset: *Ego.*

654. *Excidat iste ni tibi corde tumor*, nisi hanc tibi superbiam jactantiamque excutiam; *lituos mox armaque faxo oderis*, abjicias, *et primis bellis*, proximo quoque prælio, *adimam tua nomina*, gloriam. Satis diserte ac confidenter!

657. Cur non similibus conviciis matrem quoque insectatus est. Ed.

658. *Digna quidem*, nil aliud meruit (lepidus jocus!), quæ talis filii mater exstiterit, *quæ tali monstro* Olympum ornaverit.

659. *Quod tamen aggressæ scelus*, etc. notandum est hoc loco poetæ artificium: Junonem in suam causam implicuit Pallas, ut solent humiliores rei, potentioris alicujus participatione suam ipsorum causam tuentes: suæ tamen dignitati ac superbiæ consulens, non aperte præsidium tanti nominis sibi repetit; sed callide, ac velut in occasionem dicterii, nominata Junone, non jam suo unius, sed ambarum nomine causam agit, ac tantæ reæ consortio tuta, invidiosum facit accusatorem, qui non modo Pallada, sed ipsam deorum reginam, eamdemque sibi genitricem criminari videtur: acumen profecto mirabile! Ed.

660-662. Hæc eo pertinere videntur, ut Jovi se Junonemque purgare velit Pallas, quod jura ejus inva-

An nullas præferre preces, nec fœdera regis
Ulla sequi, cæca sed cuncta impellere pugna
Debuimus? Sic Thraces agunt, sic turbidus iste,
Si qua petit. Cuperem hæc etiam nunc bella remitti,
Nec socias armare manus: da vellera rector,
Et medio nos cerne mari. Quod sin ea Mavors
Abnegat, et solus nostris sudoribus obstat,
Ibimus indecores, frustraque tot æquora vectæ,
Fassaque, quæ nequeam?» Sic femina. Cœperat ardens
Hic iterum alternis Mavors insurgere dictis.
Excipit hinc contra pater, et sic voce coercet:
«Quid vesane fremis? quum vos jam pœnitet acti,
Peccatumque satis, tunc ad mea jura venitis.
Quolibet ista modo, quacumque impellite pugna,
Quæ cœpistis, habent quoniam sua fata furores.

663. *Reges.* Vatic. et Bon. codd. Bon. I. Junt. Ald. Engent. — 666. *Etiam num.* Vatic. et Bonon. codd. Junt. et aliæ usque ad Carr. — 669. *Abneget.* Vatic. et Bonon. codd. Junt. Maser. — 671. *Fas aliquæ nequeat.* Vatic. cod. *Fa alique nequeat.* Bon. cod. *Fas aliquem nequeat.* Bon. I et II. Junt. Maser. *Fas aliquid nequeat.* Ald. Engent. cum Pio. — 676. *Quodlibet.* Vat. et Bon. codd. Bon. I. Ed.

dere voluisse dixerat Gradivus, v. 628. Noli vero tale aliquid, mi care pater, credere; *nil nisi spem movimus*, et *aliquam* tantum.

663. *An debuimus nullas præferre*, prius tentare, *preces, nec fœdera regis sequi*, petere (hæc spectant ad *insidias fallaces*, quas objecerat Mars, v. 632), *sed cæca*, inconsulte, temere, *cuncta impellere pugna*, omnia statim miscere?

666. *Cuperem etiam nunc* sine bellis rem componi: *da vellera, rector*, Jupiter, *et medio nos cerne mari*, statim altum petemus.

671. *Fassaque quæ nequeam.* Vide, ad calcem hujus libri, not. 671, Wagneri lectionem, cujus ea est sententia, ut epicæ dignitati repugnare nobis videatur. Magis placet Pii lectio, et idoneum sensum præbens, et Vaticanæ scripturæ propior, quam ille ita exponit: «Lego, *Fas aliquid nequeat*, i. e. in Græciam revertemur nostra desideria frustrati, et *fas*, æquum ac justum, nihil poterit: quod quidem per interrogationem legi potest». Ed.

674. *Quum peccatum* est *satis* rixis atque contentionibus, *tunc ad mea jura venitis*, ut lites vestras arbiter componam.

676. Faciatis, quod lubet, per me licet, *quoniam furores habent sua fata*, luatis pœnas, quæ tales furores sequuntur.

Te tamen hoc, conjux, et te, mea nata, monebo:
Sit Persen pepulisse satis, nec vana retentet
Spes Minyas, finemve velint imponere bello.
Illum etenim talis rerum manet (accipite) ordo:
Victa retro nunc castra dabit, bellumque remittet,
Territus adventu ducis et virtute Pelasgi;
Mox ubi Thessalicis referent hos flamina terris,
Tunc aderit, victorque domos et sceptra tenebit,
Donec et Æeten inopis post longa senectæ
Exsilia (heu magnis quantum licet in pia fatis!)
Nata juvet, Graiusque nepos in regna reponat.
Hic labor, amborumque hæc sunt discrimina fratrum.
Vadite, et adversis, ut quis volet, irruat armis ».
  Dixerat; instaurat mensas, pacemque reducit,
Et jam sideream noctem demittit Olympo.
Tunc assuetus adest Phlegræas reddere pugnas

681. *Accipere ergo*. Vatic. cod. *Accipite ergo*. Bonon. cod. Bonon. I. Junt. Ald. Engent. *Exitus ergo*. Bonon. II. Maser. — 687. *Inopia fatis*. Vatic. cod. *Impia*. Bonon. cod. et edd. *Quantumlibet impia*. Aliqui ex conj. apud Pium. *In pia*. Gronov. Obss. IV, 21. — 688. *Nata jubet*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I et II. Junt. Ald. — 689. *Amborum hæc sunt*. Vatic. cod. Bonon. I et II. Junt. Maser. *Amborum sunt hæc*. Ald. Engent. cum Pio. — 693. *Phlegyas qui reddere*. Vatic. et Bonon. codd. Bonon. I. Junt. *Phlegræas qui r*. Ald. *Phrygias* pro var. lect. Bonon. cod. Ed.

678. Tum convertit se ad uxorem et filiam, sed placidius: non invehitur, sed *monet: Sit Persen pepulisse satis*, quem *manent* hæc fata: Nunc quidem victas dabit manus, Jasonis in primis virtute coactus; ut primum tamen Argo in patriam redierit, solio Æeten deturbabit, eumdem vero *post longa senectæ exsilia*, post longam eamque inopem in vita privata transactam senectutem, filia in regnum restituet. — « *Retentet* potest esse pro *moretur*; sed præstat *iterum spes tentet*. » Sic Burm. Ed.

687. *Heu magnis quantum licet in pia fatis*. Hæc Vossii conjectura est. Nos legimus cum Bon. cod. vett. que edit. *heu magnis quantum (licet impia) fatis*, etc. *magnis quantum* pro *quantis*; sensusque est: Medea patrem in solium reponet, quamvis tanto, tam præclaro fato, ob impietatem, indigna. Ed.

691. His dictis *instaurat mensam*, ad nectar et ambrosiam denuo redit Jupiter, *Et jam sideream noctem demittit Olympo*.

693. *Tunc adest Musarum chorus*

Musarum chorus, et citharæ pulsator Apollo;
Fertque gravem Phrygius circum cratera minister.
Surgitur in somnos, seque ad sua limina flectunt.

694. *E cithara pulsatur.* Vat. cod. *Cithara pulsator.* Junt. — 696. *Lumina.* Vat. cod. *Seseque ad lumina.* Bonon. cod. Ed.

assuetus reddere Phlegræas pugnas, ad hymnum canendum in victoriam Jovis e Gigantibus olim reportatam, *et citharæ pulsator Apollo*, Musis concinens.

695. *Phrygius minister*, Ganymedes. *Surgitur in somnos, seque ad sua limina*, domos, regiam Jovis cingentes, *flectunt:* conf. omnino Homeri Il. I, ad finem.

IN LIBRUM QUINTUM
ARGONAUTICON
NOVI EDITORIS
NOTÆ.

V. 4. *At memor Æsonides nimium jam vera loquuti*
Phineos.

Nimium vera occurrit et hoc Ovidii loco, Heroid. V, 123: *Ah! nimium vates miseræ mihi vera fuisti.*

V. 6. .... *cælataque multa*
Arte Dolionii donat velamina regis.

Cælata per metaphoram pro *acu picta*; egregie translatum: res enim acu pictæ speciem habent cælaturæ.

V. 10. .....*Portantque aræ; pars auguris alba*
Fronde caput vittisque ligant.

Heinsius codici suo adscripserat, *portantque pyræ*, ut supra, III, 333: nil opus; *ara* enim sæpe poetis *rogus* dicitur, ut patet ex hoc Virgilii versu, Æn. VI, 177:

.... aramque sepulcri
Congerere arboribus, cæloque educere certant.

Alba frons hoc loco populeam coronam designat; defunctorum capiti coronas imponere Veterum fuit consuetudo: albus autem color sacerdotes præcipue decebat; vide Mopsum cujus, I, 385, *Palla imos ferit alba pedes;* Statius, de vate Amphiarao curru invecto, hæc cecinit, Theb. VI, 330:

Ipse habitu niveus, nivei dant colla jugales,
Concolor est albis et cassis et infula cristis.

Alba seu *candida* sæpe dicitur populus: Horat. Carm. II, 3, 9, *albaque populus;* Virgil. Eclog. IX, 41, *hic candida populus antro Imminet.* Plinius, XVI, 23, quoddam populi genus refert, quod vocatur *alba populus*, idem, credo, quod Græcis λεύκη.

V. 11. *Positumque feretro Congemuere.* — *Positus* ac *depositus*, ubi de

corporibus defunctis agitur, solemnis est locutio: Virgil. Æn. II, 644, *Sic o sic positum affati discedite corpus;* id. ibid. XI, 30:

> Corpus ubi exanimi *positum* Pallantis Acœtes
> Servabat senior.

Ovid. Heroid. X, 122: *Nec positos artus unget amica manus;* id. Trist. III, 3, 40: *Depositum nec me qui fleat, ullus erit.*

V. 12. *Dies simul et suus admonet omnes.* — *Dies suus* similitudine refert hunc Virgilii locum, Æn. X, 467, *Stat sua cuique dies*, et apud Nostrum occurrit infra, VI, 628: *Quin habeat sua quemque dies.* — Valerius autem hoc omnino loco respexit ad exsequiariam formulam, cujus sententia hæc erat: *Vale: nos te ordine quo natura permiserit cuncti sequemur;* qua pronuntiata, dimittebantur adstantes. Ille igitur locus ad hanc consuetudinem spectat; quod nulli hactenus in mentem venerat commentatori.

V. 13. *Tiphyn agit violenta lues.* — *Agere* hoc loco significat *agitare, urgere*, non, ut putat Burmannus, *letho dare:* nunc enim de morbo Tiphyos, de obitu nondum agitur. — Secundum Herodotum quem citat Scholiastes Apollonii, II, 856, obiit Tiphys, non quum iret oppugnatum vellus, sed quum, expugnato vellere, in patriam rediretur. Seneca in Medea, 617, ita de hujus interitu canit:

> Tiphys in primis domitor profundi
> Liquit indocto regimen magistro,
> Litore externo, procul a paternis
> Occidens regnis, tumuloque vili
> Tectus, ignotas jacet inter umbras.

V. 19. *Qui cardine summo Vertitur.* — Apud Virgilium, Venus Junonis dolos verita, hæc dicit, Æn. I, 676: *haud tanto cessabit cardine rerum.*

V. 20. *Manibus ab unis* pro *a manibus unius*, scilicet Tiphyos.

V. 22. *Qualem præcipiti gravidum jam sorte parentem.* — *Præcipiti sorte*, fato, seu morte præmatura; *sorte* pro *morte*. Occurrit alias apud Valerium *sors leti:* I, 808, *et adhuc incognita* leti Sors *superest;* IV, 113, *hæc miseri* sors *est æquissima* leti. Si quis ambigit de significatione vocis *præceps*, adeat hunc locum Senecæ, ubi nutrix Phædræ suam heram deprecans ne mortem ipsa sibi consciscat, sic loquitur, Hippolyt. act. I, v. 270:

> Sic te senectus nostra *præcipiti* sinat
> Perire *leto*.

— *Gravidus* hoc loco idem valet quod *gravatus*, apud Ovidium, Metam. IV, 146:

> Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos
> Pyramus erexit.

Gravidus ergo *sorte*; non est quod vult Burmannus, *ævo gravis*; paterfamilias, quem Valerius morti proximum fingit, non est senio confectus, si quidem ejus liberi sunt adhuc parvuli, ut indicant hæc verba, *natorum parva manus*, et quæ sequuntur : præterea immaturus quisque luctuosior est exitus; et miserationem minus moveret tabula quam pingit Valerius, si pater ille supremum diem *senex* obiret.

V. 27. *Ille recens oculis intervolat Idmon.* — *Recens Idmon*, pro *cogitatio Idmonis recenter exstincti*, concisa et audax est locutio, hoc loco satis lucida, cujus autem imitatio obscuritatis periculo non careat. Diversa in re imaginem præbet eamdem Cicero, de Lege Agraria, orat. II, 59 : *Volitat enim ante oculos istorum Jubæ regis filius adolescens, non minus bene nummatus, quam bene capillatus.*

V. 28. *Exanimum frustra Minyæ clamore morantur.* — *Clamore morari*, periphrasis est poetica pro *conclamare*, i. e. mortuos magna voce iterum atque iterum vocare, quæ Veterum consuetudo fuit; Ovid. Trist. III, 3, 43 :

> ....quum clamore supremo
> Labentes oculos condet amica manus.

Lucan. II, 22 : *quum corpora nondum Conclamata jacent.* Vide Servii notas in Virgil. Æn. VI, 218.

V. 44. *Nos ulla movebimus ultra Æquora.* — Subaudi *remis* vel *tonsis*; sic Ovid. Amor. II, 11, 5 : *O! utinam, remo ne quis freta longa moveret!* et Lucan. V, 448 : *inertia tonsis Æquora motura.*

V. 46. *Et agentes noctibus Argos.* — Heinsius proponit *egentes fluctibus*, eo quod major ac minor Ursa orbi nostro nunquam occidant, quod ita exprimit Virgil. Georg. I, 246 : *Arctos Oceani metuentes æquore tingi.* Sed inutilis est illa emendatio : τὸ *agentes* facile explicat Pius cujus hæc nota est : « *agentes* inocciduo lumine Argonautas ». Subaudiendum igitur vel Argonautas cum Pio, vel navem cum ipso Valerio, I, 689 : *Tiphys agit.* Seneca de Ursa majore ait, Herc. fur. v. 6 :

> Hinc Arctos alta parte glacialis poli
> Sublime classes sidus Argolicas *agit.*

V. 58. *Nec separe conteget urna.*—*Separe* notabilis est locutio quæ reperitur tantum apud Nostrum, scriptoresque admodum paucos, et illos quidem Valerio posteriores. Vid. Stat. Theb. IV, 482; Prudent. in Unionit. In quibusdam lexicis invenitur *separ*, tanquam a Phædro, lib. I, fab. 3, 7, adhibitum; sed locus ad quem respiciunt, in conjectura cubat.

V. 100. *Odrysius dum rite movet.* — Codices habent *dux*; et *dum* protulit Carrion, perperam; non enim interea navis in altum provehitur, dum libat Mopsus, dumque canit Orpheus, sed postquam ille libatione, alter carmine umbram Stheneli placavit : narrationem nempe, Stheneli episodio

intermissam, auctor ad itineris descriptiouem, enumerationemque locorum, quam orsus erat, reducit. — Τὸ *movere carmina* in memoriam revocat hunc Virgilii versum, Æu. VII, 641, et X, 163:

Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete.

V. 102. *Altius in ventos recipit ratis.* « Quæ lectio sensum vix fundit, ait Wagnerus. Cujus loco quum amicissimus nuper Herelius, Ep. crit. p. 70, coujecisset *rediit ratis*, Ruhnkenius autem ad Vell. Paterc. lib. II, 70, 2, hanc conjecturam comprobaverit, in honorem duumvirorum præstantium, in contextum recepi *rediit*, hoc sensu: litore relicto, altum, vocantibus ventis, repetiit ».

V. 135. *Semianimem patrius quam vexerit amnis in æquor.* Vett. codd. omnesque ante Carr. edd. habent *quam sanguine vexerit amnis*, quæ lectio recentiori potior mihi videtur. Hæc locutio, *sanguine vexerit*, Valerium redolet, et apte cadit in fluvium cædibus auctum, et quasi sanguinem pro aquis volventem; dum contra τὸ *quam vexerit amnis in æquor* frigidum est, recentioremque arguit emendatoris manum. In confirmationem veteris lectionis, uil amplius addam, nisi sequentia exempla: Virgil. Æn. VI, 87, *Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno*; ibid. IX, 456, *et plenos spumanti sanguine rivos*; ibid. XI, 393, *Iliaco tumidum qui crescere Thybrim Sanguine.*

V. 136. *Quæ pelta latus atque humeros nudata pharetris.* — *Pelta*, qua utebantur Amazones, brevissimum erat scutum, in modum lunæ jam mediæ incisum. Virg. Æn. I, 494:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens;

id. ibid. XI, 662:

Feminea exsultant lunatis agmina peltis.

V. 139 . . . . *quantus duce terror in ipsa;*
Qui furor in signis; quo balteus arserit auro.

Legendum censeo, *qui furor; insignis quo balteus arserit auro*: sc. *quantus terror* et *quantus furor in ipsa duce*; omnia sic melius cohærent: Virgilius quoque *furorem* tribuit pugnanti reginæ, Æu. I, 495, *Penthesilea furens*.

V. 143 . . . . *sonat illa creatrix*
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius, etc.

Callimachus ait de Chalybum gente, fragm. VII, p. 341:

. . . . Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος,
Γηῖθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.

Valerius hanc sententiam auxit ornavitque. Ovidius dixit ingeniose, Metam. I, 141: *Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum.*

V. 149. *Dant virides post terga lacus.* Tibareni dicuntur Apollonio, II, 377, πολύῤῥηνες, agnis abundantes, unde possit conjici hanc regionem aquis et pascuis abundavisse, ideoque *virides* lacus Valerio dici.

V. 197. *Tot freta, tot dure properantia sidera passis,*
Phryxe, fave.

Sidera non sunt ipsæ procellæ, sed *astra procellosa:* quarum dictionum discrimen inter utramque facit Virgilius hoc versu, Georg. I, 311, *Quid tempestates autumni et sidera dicam? — Dure properantia.* Sidera nonnunquam dicuntur *properare;* sic Virgil. Georg. II, 481, et Æn. I, 749:

> Quid tantum Oceano *properent* se tingere soles
> Hiberni.

Exstat in hunc locum cel. *Jacobs* conjectura, cujus hæc sunt verba: « Burmannus opportune comparavit Virgilium, Æn. V, 627:

> Quum freta, quum terras omnes, tot inhospita saxa,
> Sideraque emensæ ferimur.

Unde quid sit *sidera pati* perspicue apparet; jam quum probabile sit, Valerium illum Virgilii locum aute oculos habuisse, eum et verbum *emensæ* expressisse suspicor sic: *Tot freta, tot cursu properanti sidera passis, Phryxe, fave* ».

V. 210. *Et pater aurato quantus jacet Inachus antro.* —Valerium aliquod monumentum, quod ipse vidisset, Inachum scilicet, vel alium quempiam fluvium, pro antro jacentem, urnaque innixum, hoc loco descripsisse conjicio; potest antri aditus, immo totum etiam monumentum inauratum fuisse. Nam sæpe videre erat Romæ non modo fluviorum, sed etiam urbium figuras inauratas vel argentatas, quarum profecto fulgore triumphi pompa oculos vulgi quam maxime perstringeret. Vide Baderi notas in hunc locum, ubi Martialis Rhenum alloquitur, Epigramm. X, 7:

> Sic et cornibus aureus receptis,
> Et Romanus eas utraque ripa.

Vide quoque Tacit. Ann. II, 41; Ovid. Trist. IV, 2, 37. Nec non operæ pretium erit conferre sequentem Virgilii locum, quem forsan ob oculos habuit Valerius, commentatorum vero nullus respexit, Georg. IV, 371:

> Et gemina auratus taurino cornua vultu
> Eridanus.

V. 212. *Protenus in proram rediit ratis.* — Sic conversa navis, et videbatur ad regressum parata, et Argonautis facilem escensum præbebat: nam escensum a puppe fieri solitum fuisse his demonstratur exemplis: Æn. VI, 4:

> ....litora curvæ
> Prætexunt *puppes;* juvenum manus emicat ardens
> Litus in Hesperium.

Id. ibid. X, 287:

> Interea Æneas socios de *puppibus* altis
> Pontibus exponit.

V. 221. *Et horrenda trepidam sub virgine puppim.* — Auctor hic summam omnium, quæ in Colchide perpetraturus est Jason, proponit; τὸ *horrenda trepidam sub virgine puppim*, referendum est ad introitum Medeæ in Argonautarum navem, VIII, 132, quæ quidem fingitur, illa insiliente, præ horrore tremuisse. Dixit quidem Virgilius, Æn. VI, 413, *gemuit sub pondere cymba*; sed, quum Argo sensu prædita poetis fingatur, scelestæ virginis horrore, non pondere, trepidavisse dicitur, nisi putes hoc utroque sensu capiendum. Quid vellent hæc verba dubium videri voluisse videtur Valerius, incertum an cavens hinc vulgaritatis, illinc temeritatis crimen, an ultro duplicem sensum verborum ambiguitate captans: tria inter vitia, nullius tamen compertus.

V. 225. *Inde canens: Scythica senior jam Solis ab urbe.*—Censeo punctum esse ponendum post *canens*, atque *inde canens* jungendum cum eo quod præcedit. Inde *est* pro *ab hoc rerum tempore*, nempe a morte Phryxi. — *Solis ab urbe*. Burmannus, Wagnerus, aliique eruditi viri jubent legi *Solis in urbe*, et sic habent codices et ante Carrionem editiones: quam lectionem, si opus esset confirmari, plane comprobat ille locus Apollonii, Wagnero laudatus, quem videtur expressisse Valerius. Vide supra, p. 345, not. 225.

V. 230. *Monumentum insigne pericli.* — Hæc erat apud Veteres consuetudo, ut ii qui aliquod periculum evasissent, quasdam res ad periculi memoriam pertinentes diis sacrarent, ex. gr. vestes quibus induti naufragium fecissent; sic Horatius, Od. I, 5, 13:

> ....me tabula sacer
> Votiva paries indicat uvida
> Suspendisse potenti
> Vestimenta maris deo.

Aureum vellus pendebat e quercu: arbore quoque nonnunquam suspendebantur vestes; Virgil. Æn. XII, 766:

> Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
> Hic steterat, nautis olim venerabile lignum;
> Servati ex undis ubi figere dona solebant
> Laurenti divo, et votas suspendere vestes.

V. 238. *Rapta soporato fuerint quum vellera luco.* — *Soporato luco*, pro *soporato dracone luci custode*, durior ellipsis videtur.

V. 240. *Fert castos Medea choros.* — Hanc locutionem, *ferre choros*, quæ apud cæteros auctores nusquam occurrit, apud Valerium jam vidimus, II, 282:

> Non similes jam *ferre choros* (semel orgia fallunt)
> Audet.

V. 247. *Hæc tibi, fatorum genitor tutela meorum.* — Subaudi, *dico*, vel *mando*, ut in hoc Valerii loco, VII, 170: *Hæc tibi nunc furiis atque ipsi cætera mando.*

V. 252. *Excubias, Gradive, tene.* — Hæc vetustum Romanorum morem respiciunt, quem refert Servius in Æn. VIII, 3: ille scilicet, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens: « *Mars, vigila* ».

V. 253. *Vox et tua noctibus exstet*, i. e. strepitum armorum et tubas vincat et superet vox Martis terribilis; sic, lib. VIII, 143: *Exstat sola parens, impletque ululatibus auras. Exstat* pro *obstat* existimo legendum hoc loco, I, 318:

> Femineis tantum illa furens ululatibus *obstat*,
> Obruat Idæam quantum tuba Martia buxum.

V. 256. *Graiumque procul respexit ad orbem.* — *Orbem* eodem sensu adhibuit Lucanus, Phars. VIII, 289: *Eoum comites properemus in orbem.*

V. 269. *Ille furens ira solio se proripit alto.* — Confer. cum Homer. Il. XX, 62: Δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε. Τὸ *solio se proripit alto* celeritate haud impar græco videtur. Non item dixerim de gallica interpretatione celeberrimi *Boileau, Traité du Sublime*, chap. VII: *Pluton sort de son trône.* Non exit, sed *exsilit.*

> Non scese no, precipitò di sella.

Ille versus Torquati Tassi, *Gerusalemme liberata*, *cant.* XIX, *ottav.* CIV, *v.* 8, gallici tarditatem et exemplo, et simul ipso verborum sensu, arguere videtur.

V. 273. *Omnemque quatit rumoribus Arcton.* — *Quatit* eodem sensu jam supra occurrit: I, 743, quatiunt*que truces oracula Colchos*; et II, 122, *et motis* quatit *oppida linguis.*

V. 274. *Jamque aderat magnis regum cum millibus urbi.* — Τὸ *regum millia* non regum, sed copiarum, quibus diversi præerant reges, indicat numerum: *magna millia regum*, i. e. ingentes copiæ regum; sic, VI, 172, *ingentesque inter sua millia reges.*

> V. 284. *Cernis, ait, Colchos, habeant quæ prœlia, quique*
> *Nunc status.*

Sic Virgil. Æn. IX, 188: *Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum.*

> V. 303. *Præcipue Æsoniden varios incerta per æstus*
> *Mens rapit undantem euris, ac multa novantem.*

Mens incerta rapit Æsoniden. — Notanda est illa locutio: qua Virgilius utitur inversa, Æn. IV, 285:

> Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
> In partesque rapit varias, perque omnia versat.

Id. ibid. 630: *et partes animum versabat in omnes.* — *Undantem.* Eodem

sensu, verbo *fluctuare* usus est Virgil. VIII, 19, *magno curarum fluctuat æstu;* X, 680, *animo nune huc, nunc fluctuat illuc.*

V. 305. *Qualiter ex alta quum Jupiter arce coruscat,*
Pliadas ille movens, mixtumque sonoribus imbrem
Horriferamve nivem, canis ubi tollitur omnis
Campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli,
Aut altos duris fatorum gentibus ortus;
Sic tum diversis hinc atque hinc molibus anceps
Pectora dux crebro gemitu quatit, ...

« Hæc ego, fateor, inquit Wagnerus, non exputo. Vir doctus, Jortinus in Miscell. Obss. t. IV, p. 174, hunc versiculum nostrum spurium (quod vix crediderim, nam *aut*, v. 308, requirit aliud *aut*), vel loco suo motum esse putat. Ubique quæsivi, nec tamen inveni locum, ubi aptari commode possit. Burmannus *altos* interpretatur *reconditos, profundos, altius repetitos,* quod nescio, an altius repetitum et contortum possit videri. Pius jam olim inveuisse narrat in quibusdam libris *alios*, id est, diversos ab ordine causarum solitarum. Quam explicationem uti meam nolim facere, ita τὸ *alios* tamen arridet, qua lux aliqua tenebricoso loco iuferri posse videtnr; aliqua, inquam, nam plura sunt, in quibus cæcutiam. *Ortus fatorum* subobscure dicti, et *duris gentibus* quid faciam, nescio. *Duras gentes* novi quidem esse, quibus natura non favet, vitæ necessitates non nisi magno labore sibi parautes, ætatem misere trahentes; quæ tamen omnia huc non quadrant. In mentem igitur venit, ita versum constituere: *Aut (movens) alios duros fatorum gentibus ortus*, hac sententia: Qualiter Jupiter fulgura, imbres, grandinem, etc. aut cruenta bella immittit, aut *alias duras* (plures editiones habent *diris*, ergo *diras*, quod melius esset) calamitates orbi gentibus jubet. Totus locus is est, cui Valerius, si per ætatem licuisset, uti aliam omnino formam atque colorem daturus, ita comparationem Jasonis cum Jove, egregiam illam quidem et ornatam, hic tamen non satis aptam atque congruam, fuisset animadversurus. Quid enim? Uti Jupiter tonat, fulgurat, bella atque calamitates immittit, sic Jasou..... curis agitatur; quæ in his, quæso, est similitudo? »

Mihi contigit, ut meminissem me similem prorsus apud Homerum comparationem legere, cujus lumine latina possit illustrari: Il. X, 5:

Ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο,
Τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον ἀθέσφατον, ἠὲ χάλαζαν,
Ἢ νιφετόν, ὅτε πέρ τε χιὼν ἐπάλυνεν ἀρούρας,
Ἠέ ποθι πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο·
Ὣς πυκίν' ἐν στήθεσσιν ἀνεστενάχιζ' Ἀγαμέμνων,
Νειόθεν ἐκ κραδίης· τρομέοντο δέ οἱ φρένες ἐντός.

Id in mente mihi videtur habuisse Valerius, uti variam cogitationum turbam quæ Jasonis vicissim obversantur animo, conferret cum magno consiliorum numero quæ Jupiter agitat, cumque diversitate phænomenorum

quæ suscitat, eventuumque quos orbi prænuntiat. Similitudo non tam quærenda in posteriori comparationis membro, quam in versibus comparationi præfixis, in quibus occurrunt hæc verba, *varios æstus*, *undantem curis*, *multa novantem*, quibus auctor præfari ac definire comparandam rem voluisse videtur. Hæret eadem difficultas in Homeri loco supra laudato, quem Heynius interpretans, mecum facit, nisi me fallit ejus sententia, cujus hæc sunt verba: « doctius utique ad curarum æstum comparatio refertur ».

Wagnerus *horriferam nivem* ait *grandinem* significare. Sed neque *nivem* pro *grandine* dixisset Valerius, nec potest epitheton *horrifera* proprium hujus dictionis sensum mutare. *Canis ubi tollitur omnis campus aquis*, i. e. ut optime Pius explicat, ubi omnis campus nive fit altior. *Canis* Maserius explicat *spumosis*, Wagnerus *albescentibus*, *spumantibus*; non recte: *canis aquis* aptissime designatur *nix*, de qua Plinius ait, II, 39, *humor coactus in nives*; et Virgil. Georg. I, 43:

> Vere novo, canis gelidus quum montibus humor
> Liquitur.

His verbis, *canis ubi tollitur omnis campus aquis*, auctor, *nivis* quam dixit *horriferam*, vim et altitudinem pingit. Valerium de *nive* loqui et jam satis patet, et dubitationem, si qua sit, tollat epitheton *canus*; sic Horat. Sat. II, 5, 41, *Furius hibernas cana nive conspuet Alpes*; Lucan. Phars. I, 679, *video Pangæa nivosis Cana jugis*. Ille autem versus, *horriferamve nivem*, etc. expressus est ex eo qui tertius est in Homerica comparatione supra laudata. Mox, in *magna ostia belli* agnoscis πτολέμοιο μέγα στόμα. Verbum *movens*, v. 306, verbo τεύχων respondet, ac sicut in græca comparatione, quartus quisque casus regitur verbo τεύχων, sic in latina, verbum *movens* in vs. 307, 308, 309 subaudiendum est. *Movere ostia*, idem valet quod *reserare*, *recludere*, quibus verbis utitur Virgilius in ædium Jani descriptione, quæ sic incipit, Æn. VII, 607:

> Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt,
> Relligione sacræ, et sævi formidine Martis.

His autem portis alludunt hæc Valerii: *aut sanguinei magna ostia belli*. Sequenti versu, τὸ *altos fatorum ortus* sic intelligi possit: *olim scripta et destinata fata*; sed *alios*, pro *altos*, malim cum Pio legere. *Moles*, v. 310, mihi videtur idem valere quod *pondus* in sequentibus exemplis: Lucan. VIII, 280, *mentisque meæ quo pondera vergant;* Senec. Med. 391, *quo pondus animi verget.* Occurrit in Tacit. Annal. XII, 66, *curarum moles*, quod exemplum temeritatis arguit eos qui *molibus* apud Valerium mutare tentaverunt. — *Pectora dux crebro gemitu quatit.* Istud quoque ex Homerica similitudine, quam supra vide, expressum est.

V. 319. *Ergo ubi lux altum sparget mare.* — Subaudi *radiis*.

V. 328. *Inde viam, qua Circæi plaga proxima campi,*
Corripiunt, regemque petunt jam luce reducta.

« Jam vero, inquit Wagnerus, pervenimus ad eum carminis nostri locum, ubi Medea partes agere præcipuas incipit. Haud dubie vero hac maxime in parte feliciter elaborasse poeta censendus est, tam veris vividisque coloribus muliebre depinxit ingenium, ita ad naturam accommodate exponit, quam vim habeant sensus, quibus nimis indulserimus, pugnam virtutem inter et cupidinem, et quo delabi femina, semel amabili illa simplicitate vitæque innocentia deposita, semel exuto pudore, possit. »

V. 332. *Rapta toris, primi jubar ad placabile Phœbi*
Ibat, et horrendas lustrantia flumina noctes.

Solebant Veteres aqua se mane abluere, quum res posceret, ac præsertim post somnia. Æneas, apud Virgilium, lib. VIII, 68, quum Thybrim in somno vidisset,

Surgit, et ætherii spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit.

Respicit hunc morem Persius in sequenti loco, Satir. II, 15:

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas;

Et Propertius, IV, 4, 23:

Sæpe illa immeritæ causata est omina Lunæ,
Et sibi tinguendas dixit in amne comas.

Vide somnium Iphigeniæ, apud Euripid. Iphig. in Taurid. v. 43, et somnium Clytæmnestræ, in Sophoclis Electra, v. 401 et 427.

V. 344. *Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,*
Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens
Pallados, hinc caræ Proserpina juncta Dianæ.

Non immerito Dianam et Pallada comites Proserpinæ facit Valerius, quippe quas fabulæ ferunt simul cum ea in Sicilia educatas fuisse; vid. Diodor. Sicul. lib. V, p. 200. Statius quoque Proserpinam, Pallada, et Dianam jungit, Achill. II, 150:

.....qualis Siculæ sub rupibus AEtnæ
Naides Enneas inter Diana, feroxque
Pallas, et Elysii lucebat sponsa tyranni.

Claudianus ait Proserpinam, Diana et Pallade comitibus, ambulantem, a Plutone raptam fuisse, de Raptu Proserp. II, 36:

Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina passu,
Nec membris nec honore minor; potuitque videri
Pallas, si clypeum, si ferret spicula, Phœbe.

— *Sicula rupes* mons est in quo posita erat urbs Enna, juxta quam rapta

fuit Proserpina. Ennæi agri descriptionem vide apud Ciceronem, orat. in Verrem de signis, cap. XLVIII, 107.

V. 366. *Mole nova, et roseæ perfudit luce juventæ.* — Juno Jasonem auxit *mole nova*, i. e. Μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα, majorem aspectu et pinguiorem fecit, ut Pallas Ulyssem, apud Homerum, Odyss. VI, 230.

V. 367. *Jam Talaum, jamque Ampyciden, astroque comantes*
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore.

Astro comantes egregie Pius explicat: Siderea ac divina luce coruscantes, quæ illos obibat radiis in astri speciem paribus ». — *Supereminet.* Hoc verbo monente, redit in memoriam ille Virgilii locus, Æn. I, 505: *gradiensque deas supereminet omnes.*

V. 369. *Non secus, autumno quam quum magis asperat ignes*
Sirius, et sævo quum nox accenditur auro,
Luciferas crinita faces.

Hoc simile sumptum est ex Apollonio, III, 956. Nec non Homerus Achillem, Iliad. XXII, 26, Ænean Virgilius, Æn. X, 272, cum Sirio conferunt. *Ignes* in hoc Valerii loco sunt *autumnales calores*, quos intendere putabatur Sirius, ut patet ex his Plinii locis: II, 40, *Caniculæ ex ortu, accendi solis vapores quis ignorat?* id. ibid. cap. 47, *solis vapor geminatus ardore sideris;* id. XVIII, 28, *accendit solem, et magnam æstus obtinet causam.* Non extra veri speciem *autumnos ignes* conjecit Burmannus; vide Heinsii notam in Ovid. Metam. III, 728.—Per *sævum aurum* cometen intellexerunt Pius, Maserius, Burmannus, ac Waguerus. Quum vero *illum* sit in versu 372, manifestum est Valerium de Sirio tantum loqui. Præterea quum ideo Jaso comparetur cum Sirio, quod, sicut Sirius præ ceteris stellis fulget, sic ille oris specie ac dignitate ceteros Argonautas antecellit, necesse est, ut singuli comparentur Jason ac Sirius, nec potest adjungi cometes, nisi unitatis ac similitudinis damno. Denique si quem pigeat vel his de causis cometen damnare, Apollonium adeat, III, 956, ubi nullus apparet cometes, quem tamen locum diligenter expressisse videtur Valerius. *Aurum* igitur nil aliud est quam lux sideris, instar auri, radiantis; et *sævum* dicitur, quod nocua vis Sirio tribuebatur. « *Accendere* autem eleganter dicitur, quia luce et splendore suo tenebras noctis vincit. » Sic Burmannus; pluraque affert de Silio, Statio et Claudiano exempla. Mihi satis erit unum e Virgilio proferre, quod, quum in eo de stellis quoque agatur, aptius in hunc Valerii locum cadere mihi videtur: Georg. I, 251:

Illic sera rubens accendit lumina Vesper.

— *Luciferas crinita faces. Luciferæ faces* stellæ sunt una cum Sirio exortæ. *Crinita* autem explicatur hoc ejusdem auctoris versu, II, 42: *Astraque, et effusis stellatus crinibus æther.* Itaque *nox luciferas crinita faces*, nil aliud est quam *nox stellata, stellis micans.*

V. 371. *Hebet Arcas et ingens Jupiter.* — *Hebetare* eodem sensu adhibuit Ovidius, Metam. V, 444: *Rursus ubi alma dies* hebetarat *sidera*. Virgilius prognostica serenitatis enumerans, hæc ait, Georg. I, 395: *Nam neque tum stellis* acies obtusa *videtur.*

V. 372 . . . . *ast illam tanto non gliscere cælo*
Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.

Gliscere hic significat *ardere.* — *Tanto cælo* Pius explicat *tanto cælesti ardore;* Wagnerus, *ardorem magis magisque intendere.* Ea esse videtur auctoris sententia, sed verba repugnant. Pro *cælo* sensus posceret aliam dictionem, qualem *igne* aut *ardore.* Forsan legendum *toto* pro *tanto.* — *Calidis jam fontibus.* Horatius fontem Bandusinm compellans, ait, Od. III, 13, 9:

Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere.

V. 379. *Si dea, si magni decus huc ades, inquit, Olympi,*
Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ;
Teque renodatam pharetris, ac pace fruentem,
Ad sua Caucaseæ producunt flumina nymphæ.

Fere similiter Æneas Venerem Tyriæ virginis specie indutam compellat, Virgil. Æn. I, 327:

O, quam te memorem, virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat: o dea certe:
An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una.

Videtur tamen Valerius hunc Homeri locum præcipue ob oculos habuisse, Odyss. VI, 149:

. . . . θεός νύ τις, ἦ βροτός ἐσσί;
Εἰ μέν τις θεός ἐσσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Ἀρτέμιδί σε ἔγωγε, Διὸς κούρῃ μεγάλοιο,
Εἶδός τε, μέγεθός τε, φυήν τ', ἄγχιστα ἐΐσκω.

Confer etiam Ovid. Metam. IV, 320.

V. 384. *Felix prole parens, olimque beatior ille,*
Qui tulerit, longis et te sibi junxerit annis!

In τῷ *felix prole parens* nil amplius vidit Burmannus, quam solemnem gratulandi formulam: ille tamen locus Homeri manifesta est imitatio, loco supra laudato, Odyss. VI, 154:

Τρισμάκαρες μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,

ac paulo infra:

Κεῖνος δ' αὖ περὶ κῆρι μακάρτατος ἔξοχον ἄλλων,
Ὅς κέ σ' ἐέδνοισι βρίσας οἶκόνδ' ἀγάγηται.

V. 386. *Sed fer opem, regina, viris.* — Homer. loco laudato, v. 175: ἀλλὰ ἄνασσ' ἐλέαιρε. *Regina* pro *filia regis* utitur et Virgilius, Æn. VI, 28,

Magnum reginæ sed enim miseratus amorem, ubi *regina* dicitur Ariadna, regis Minois filia.

V. 389. *Ac tu prima doce fandi tempusque modumque.* — Hic facile Virgilium agnoscis, Æn. IV, 293:

..................et quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus.

Mollissima, *dexter*, egregia epitheta, quibus sublatis, nullus jam carmini color: peccavit igitur Valerius, qui, quum Virgilium imitaretur, brevitatem elegantiæ prætulerit, eo tamen excusandus, quod oratio recta majorem dicendi simplicitatem, quam indirecta, postularet.

V. 395. *Si bivios possis discernere calles.* — Vett. codd. habent *vivos*: *bivios* debetur Heinsio, quem in hac re sic laudat Burmannus: « sine dubio hic divinus fuit Heinsius ». Liceat obiter notare Burmannum his verbis non ἀποθέωσιν Heinsii fecisse, ut quibusdam, vel eruditis, visum est viris, nec aliud quam Heinsio gratulatum esse quod veram auctori manum restituisset: *divinus fuit*, id est, *vere divinavit;* sic Martial. III, 71: *Non sum divinus, sed scio quid facias.*

V. 399. *Sacraque terrificæ supplex movet irrita Nocti.* — Non *Hecatæ*, ut explicat Wagnerus, sed ipsi *Nocti*, quæ *terrifica* dicitur, propter somnium quo territa erat Medea; v. supra, v. 330.

V. 406......*hic proceres audit, populosque precantes*
Alloquii facilis (præsens pater admonet) æqui.

« Sic vulgata, inquit Wagnerus, quæ tamen non satis placet. Offendunt in primis duo adjectiva, *facilis*, *æqui*, sine copula τῷ *alloquii* juncta. Cui incommodo medelam afferri posse putem, si parenthesin post *æqui* demum claudas, hoc sensu: rex audit cives precantes placido ore, facilis ad concedendum, quod petitur, *nam præsens pater*, sol omnituens, v. 248, *admonet æqui*, justitiæ æquitatisque rationem habere. Si quis tamen ita velit: *Alloquii æqui facilis*, i. e. alloquium ad æquum, nisi injusti quid postulent cives, facilis; non admodum refragantem me habebit, immo facilem, æquum. » — Nos parenthesin omnino sustulimus.

V. 423. *Arsinoen illi tepidæque requirunt Otia læta Phari.* — « Illi, cum rege in patriam regressi *Arsinoen* petunt. Hujus nominis urbem in Ægypto Argonautarum ætate nondum exstitisse, manifestum est. Quo factum, ut, qui notis illustrarunt Valerium, varia excogitarent atque substituerent nomina, quæ huic loco aptiora viderentur: Heinsius, *ast Meroen illi;* Burmannus, *at Siron*, quo nomine Nilus aliquando occurrit. Quibus adde Wesselingium, Probabb. p. 66, qui *at Sirbonem* lacum, Ægypti versus Palæstinam terminum, mavult. Ego vero nil muto. Anachronismi, uti aliis poetis, v. c. Virgilio, Æn. VI, 366, *portus Velini*, sic et Nostro condonandi; nec sola hæc est, quam sibi indulsit, temporum anticipatio; sed, ut alias taceam, infra, VI, 118, ubi de eadem Ægypto sermo

est, *Lagea novalia*, commemorat, quæ ad Alexandri M. tempora referenda.» Sic Wagnerus, quem in errorem induxit vox *illi*, quæ tamen et sæpe pro *hi* ponitur ἐμφατικῶς; sic infra, v. 453, *nondum noscentibus* ille *Quis labor. Requirere* autem sæpe adhiberi eodem sensu quo *desiderare* hæc docent exempla: Virgil. Georg. III, 70, *ac, ne post amissa* requiras, *Anteveni; Æn.* I, 221, *Amissos longo socios sermone* requirunt.

V. 425. *Et jam Sarmaticis permutat carbasa bracis.*
Barbarus in patriis sectatur montibus Æan
Phasis, amore furens.

«Alia, inquit Wagnerus, in mentem venit ratio textus, qui sic non satis placet, interpungendi. Fortasse Valerius scripserat: *Et jam Sarmaticis permutat carbasa bracis barbarus;* ita ut *barbarus* non ad sequentem *Phasin*, uti vulgata habet, pertineat, sed præcedentem Ægyptium. Sed video Pium jam olim et Maserium et Bononiensem idem voluisse, ideoque recepi. Cæterum Colchos a conditoribus Ægyptiis lini conficiendi artem didicisse, et in peregrinas terras evexisse tradunt, Herodotus, II, 104, et Strabo, XI, 762.» — Suus error præcedens, vide supra, ad not. 423, Wagnero negotium dedit etiam hoc loco. *Illi*, v. 423, nominativus est verbi *permutant; barbarus* autem ad *Phasin* referendus est, ut omnium præter Bonon. editionum interpunctio docet, quum præterea Valerius hoc epitheton Phasidi jam imposuerit, I, 517:

................quid *barbarus* amnibus illis
Phasis, et adversis proles mea gentibus obstat?

V. 438. *Ipsa subit, nudaque vocat dux agmina dextra.*—Legendum nobis videtur, cum Aldina Carrionisque editione, *ipse*, scilicet Jason.

V. 459. *Dignus avo, quemque insontem meliora manerent.* — Eamdem sententiam sic Virgilius extulit, Æn. VII, 653:

.............dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.

V. 471. *Talia miranti propius tulit orsa tyranno.* — *Miranti* et *orsa* jungenti Wagnero non possum accedere: sic autem intelligo: *talia verba propius attulit Æetæ attonito.*

V. 485. *Totque illa creantia divos Oppida.* — Veterem lectionem, *totque illacrimantia*, feliciter emendavit Gronovius; qua de re ipsum sibi gratulantem operæ pretium est audire, Obss. IV, 21: «Recordor, quum mire me hæc verba (*totque illacrimantia divos oppida*) vexarent, et pro lippo velut oculo essent; quoties fere auctor in manum veniret, in hunc locum incidebam, et tamen nihil aliud quam me fatigabam; tandem aliud agenti natum est quod contentione et labore parere non poteram: *totque illa creantia divos oppida*».—Martialis ait de suis popularibus, lib. X, ep. 103:

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte *creat*.

V. 490. *Nec melior parere recuso.* — *Melior* de virtute ac fortitudioe, nou de natalibus capiendum, quibus Pelias, ut qui Neptuoi filius esset, Jasone ooo erat inferior.

V. 513. *Tænarii chlamydem de sanguine aheni.* — *Sanguine* est pro *purpura : purpuream* cootra, pro *sanguineam* dixit Virgilius, Æn. IX, 349, *purpuream vomit ille animam.*

V. 516. *His Lapithes assuerat eques.* — Fingebaotur Lapithæ frena et artem equitandi invenisse; Virgil. Georg. III, 115, *Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere.*

V. 520. *Talibus orantem vultu gravis ille minaci*
Jam dudum premit.

« Sic scripsi pro *fremit.* Idem seoserat Heinsius, eam ob causam, qood paullo post idem *fremit* sequatur. Recte; sed plura suot, quæ eliminandam eam vocem jubeant. Et primo quidem oon video, quomodo *fremere* possit accusativo persooæ, somma sine duritie, addi; deinde nondum jam iram exerit Æetes, quod repugoaret statim sequentibus *furtis opertis*, et comparationi *ab unda silente* desumptæ; denique omnia, quæ deinceps narraotur, *secum* agit Æetes, oam, v. 535, demum Jasooi respondet. » — Sic Wagnerus, qoem *fremere* eum accusativo persooæ offeodit : at *fremere* eum aeeusativo rei oceurrit infra, v. 524-525 : *ausa viri fremit.* Potuit, ut mihi videtur, itidem dieere Valerius : *Talibus orantem virum fremit*, quæ locutio potest in hane resolvi : *talem orationem viri fremit.*

V. 559. *Haud mora : prosiliunt, quos nec Rhipæa juventus,*
Quos nec Iber, aut tota suis Aurora pharetris
Sustineat.

Operæ pretium est cooferre *Torquato Tasso*, *Gerusalemme liberata*, I, 593 :

> Non è gente pagana insieme accolta,
> Non muro cinto di profonda fossa,
> Non gran torrente, o monte alpestre, o folta
> Selva, che 'l lor viaggio arrestar possa.

V. 566. *Qualis ab Oceano nitidum chorus æthera vestit;*
Qualibus assurgens nox aurea cingitur astris.

Tiboll. Eleg. II, 1, 87 :

> Ludite, jam Nox jungit equos, currumque sequuntur
> Matris lascivo Sidera fulva choro.

Videre est in ploribus monumentis Noctem obduetam velo stellis coosperso.

V. 571. *Interea læto patitur convivia vultu.* — *Patitur* egregie exprimit quam iovitus Pelias Argouautas epulis exciperet, quamque illa, quam vultu præferebat, mentita esset lætitia.

V. 581. *Ceu pugnam paret, et positas confundere mensas.* — Thracum mos erat armatos accumbere, ac sæpe, quum vino incaluissent, poculis pugnare, et ipsas mensas evertere; quocirca cecinit Horatius, Od. I, 27:

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est.

V. 591. *Croceos sic illius omnis odores Jactat eques.* — Lucanus ait de quodam Indiæ populo, Phars. III, 238: *Et qui tingentes croceo medicamine crinem.* Propertius de quodam ejusdem regionis rege, Eleg. IV, 3, 64: *Raptave odorato carbasa lina duci.*

V. 602. *Nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget.* — Sic Virg. Æn. VIII, 90: *Olli remigio noctemque diemque fatigant.*

V. 604 . . . . *jam pervigil illum*
Medus, et oppositis exspectat Iberia claustris.

Claustra hoc loco sunt *Caucasiæ Pylæ* ad urbem Harmastim in Iberia sitæ; vide Plin. VI, 11. *Caspias* quoque *Pylas* auctorem designare voluisse crediderim, quippe qui Medos nominet; vid. Plin. VI, 14. De Caspiis Pylis sic Seneca, Thyest. v. 374:

Aut qui Caspia fortibus
Recludunt juga Sarmatis.

Nescio cur Valerius, inter populos quibus a Barbarorum incursionibus esset metus, Getas nominet, qui et ipsi incursiones facere solebant.

V. 609. *Saxiferæ surgat quibus imber habenæ.* — *Habenæ* hoc loco sunt proprie *amenta* fundæ. Virg. Æn. IX, 586:

Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit *habena*.

Funda autem usos esse Parthos monet ille Propertii locus, Eleg. IV, 3, 65:

Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus et versis increpat arcus equis.

Imbrem saxiferæ habenæ confer cum *ferreo imbre* Virgilii, Æn. XII, 283.

V. 622. *Ambitumque senem*, i. e. circumventum ab Argonautis. Verbum *ambire* redit infra, v. 632: *insidiis quæ nunc fallacibus* ambit. Sic Virgil. VII, 333: *neu connubiis* ambire *Latinum*.

V. 625. *Quæ studiis, rex magne, quies? jam mutua Divi*
Exitia in solos hominum molimur honores.

Eadem queritur Mars apud Homerum, Il. lib. V, 873:

Αἰεί τοι ῥίγιστα θεοὶ τετληότες εἰμὲν,
Ἀλλήλων ἰότητι, χάριν δ' ἄνδρεσσι φέροντες.

V. 627. *Teque ea cuncta juvant.* — Homer. Iliad. lib. V, 872 :

Ζεῦ πάτερ, οὐ νεμεσίζῃ, ὁρῶν τάδε καρτερὰ ἔργα;

V. 634. *Non opus auxilio Colchis, nec fœdere vestro.* — Errat Wagnerus qui *vestro* ad *deos* omnes refert : Palladis tantum et Argonautarum *auxilium*, *fœdus*que cum Æeta nuper factum aspernatur Mars.

V. 642. . . . . *tacitus mihi lucus, et agger*
Quod rudis, et sola colimur si gentibus umbra ?

Pius in antiquissimo exemplari reperit *tantum* pro *tacitus ;* lectio *tacitus* orta e Carrionis codice hoc loco videtur absona. Tacitus, de moribus Germanorum, cap. IX, Germanos memorat lucos ac nemora diis consecrare.

V. 645. *Et tibi, magne pater, terris donaria certant.* — *Donaria* sunt hic *templa*, ut in hoc Virgilii loco, Georg. III, 533 : *ductos alta ad donaria currus.*

V. 652. *Bistonidæ*, pro *Bistones* vel *Bistonii.*

V. 656. *Et primis adimam tua nomina bellis.* — *Prima bella* mihi videntur hic idem significare quod *prima prælia* in sequenti Virgilii loco, quem fortasse respexit Noster, Æneid. VII, 603 : *quum prima movent in prælia Martem.* Id scilicet Marti minatur Pallas, ei se ablaturam esse *Bellipotentis* titulum ac munus, quod quidem, Marti proprium, sic exprimit Virg. Æn. XII, 180 :

. . . . .tuque, inclyte Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques.

V. 657. *Quin simili matrem demens gravitate sequutus :*
Digna quidem, monstrum superis quæ tale creavit.

Hæc est vulgata interpunctio : nostra, quam vide p. 377, sensum aptiorem efficit : matrem enim ne oblique quidem perstrinxit Mars, nedum Palladi locus sit eum criminandi tanquam ne matri quidem pepercerit. Wagnerus vulgatam sequutus, hæc habet : « Hactenus ad Martem, nunc ad assidentes deos dirigit orationem. Hæserat in hoc loco Burmannus, *gravitate sequutum* vix se intelligere fassus. Quum vero *lingua gravem*, qui occurrit supra, v. 598, ipse excitaverit Burmannus, cui addi potest, IV, 3, non video, cur substantivum *gravitas* tantopere offenderit, quæ nihil aliud est, quam verborum immodestia, Germanis *Grobheit.* Nec *sequi* pro *persequi* insolitum ; sic Ovidius, Metam. II, 498, *sequi feras.* In posteriori versiculo erat, ubi hærerem ipse, qui primo intuitu persuadere mihi non possem, Palladem Junoni eo tempore, quo operam ambæ in Jasone adjuvando consociassent (nam alias non semper amicas fuisse memineram), dicere, quod illa nollet audire, voluisse. Sed sana omnia, si ita locum interpreteris : Non me solam, sed matrem adeo demens criminibus onera-

vit, *dignam quidem*, nil aliud meruit (lepidus jocus!), quæ talis filii mater exstiterit, *quæ tali monstro* Olympum ornaverit ».

V. 671. *Fassaque quæ nequeam? Sic femina.* — « Sic vulgata, sed ita nullo sensu, ut pro conclamato et desperato locum habeant interpretes omnes, quos fefellisse in primis videtur, quod *sic femina* seorsim sumerent, et intelligerent ita: Hic finem fecit loquendi Pallas. Mihi vero secus videtur, unamque locus propositionem continere, si tamen aliter interpungere, unamque literulam mutare liceat. Fac igitur mecum, mi lector, periculum, incidas post *fassaque*, interrogationis notam rejicias post *femina*, et τὸ *sic* mutes in *sim;* tum vero habebis: *Fassaque, quæ nequeam, sim femina?* hoc sensu: Quæ dixerim, addixerim, promiserim, nequeam perficere, *femina* quippe debilis (ut respiciatur ad *femineos ausus*, v. 628), quæ dea tantum sim, non deus. Veniam, spero, impetrabo a lectoribus, quod huic meo commento locum dederim in contexto. Sic saltem locus habebit aliquem sensum, qui plane nullus erat in vulgata. » Sic Wagnerus, cujus sensus mihi videtur epicæ dignitati repugnare. Pius, ac post illum Aldina editio, legit: *fas aliquid nequeat*, quod quum a Vaticano codice minus abludit, tum sensum exhibet satis idoneum.

V. 687. *Heu magnis quantum licet in pia fatis.* — « Hæc lectio, inquit Wagnerus, præeunte Gronovio, Obss. p. 770, in textum a Burmanno recepta; quæ quum admodum contorta videatur, *quantum licet fatis in pia*, i. e. officia pietatis, equidem malim Bentleio ad Horat. Epist. II, 1, 16, eatenus accedere, ut cum codicibus scribam, *quantumlibet impia*, aliter tamen explicem. Bentleius enim: *Medea magnis fatis nata erat;* ego vero, parentheseos signis deletis, sic: *quantumlibet impia*, quauquam Jasonis amore abrepta patrem olim prodidisset, *post magna fata* tamen eumdem juvabit; *Graiusque nepos*, Medeus, Ægei et Medeæ (repudiata enim a Jasone Medea Athenarum regi Ægeo nupserat, Diodor. Sicul. IV, 55, 56; *Justin.* II, 6) filius, *in regnum reponet.* »

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC PRIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS PRIORIS VOLUMINIS.